S.n Z.l N.o 26.

Dela [illegible]

m3 2

Ordeno para evitar fraudes y inconbenientes un auto en
que mando que las personas que se opusiessen a dhas dotacio
nes con el presupuesto de que eran parientas del dho funda
[illegible] justificando serlo y estar dentro del septimo
[illegible] con dho fundador no fuessen abidas ni tenidas
[illegible] les parientas del y que los dhos patronos pudiessen
[illegible] y nombrar a otras segun los llamamientos de dha funda
cion como de ella y del libro en que esta dha vissita de
que hago exibicion con el juramento necessario mas lar
gamente consta y parece y mediante que al presen
[illegible] algunas personas con suposicion de ser parientas
del dho fundador intentan se les adjudiquen dhas do
taciones y que las tales no an justificado ni justifican
ser tales parientas dentro en el dho septimo grado
con el dho fundador y que en esto se perjudica a las hijas
de la fienerria y demas de dha parrochia a q.n parece
que con mas voluntad se inclino el dho fundador y q.e
se contrabiene a la auto de vissita referido = a V.md
pido y suplico le mande confirmar y aprobar y
que si allevado a pura y duda ex.on y que en su cumpli
miento se de licencia a la dha cofradia m.e y demas
patronos de dhas memorias y dotaciones para
que puedan excluyr y excluyan a las personas que
con titulo de parientas se pongan no justificando estar
lo con dho fundador dentro en el dho septimo grado

84
84-1-4
1.142

Y que puedan elegir y nombrar a dhas segun dha fundacion y auto de Vissita Refendo y para ello se den y libren los despachos nuesarios pido &a &a

Guerra

Auttos Proveyolo el señor Licenciado Don Pedro Cantero de Contreras Probisor general deste obispado en Valladolid a quince dias del mes de abril de mill y seiscientos y setenta y seis años =

En la ciudad de Valladolid a quince dias del mes de abril de mill y seiscientos y setenta y seis años el señor Lez.do Don Pedro Cantero de Contreras probisor general deste obispado abiendo visto estos autos por ante mi el notario dixo mandaba y mando se guarde y cumpla y execute en todo y por todo el auto de Visita dado por el Ill.mo señor Don Juan bijil de quinones obispo que fue deste obispado su fecha en esta ciudad en veinte y seis de otubre del año passado de mill y seiscientos y once Refrendado de Bernardo de salçedo su secretario que esta en el libro de cabildos de la cofradia de san Elifonso y animas de purgatorio de la parroquial del salbador desta ciudad en quanto a la forma que la dicha cofradia a de oserbar y guardar en la eleçion y adjudicacion de las prebendas que para cassar guerfana fundo y docto Bartholome de alba boticario vecino que fue desta dicha ciudad de que es patrona dicha cofrad

sin yr ni benir contra su tenor y forma con apercibimiento que la eleçion y adjudicaçion de prebendas que en contrario y giere la dicha cofradia o sus eletores no se pasaran en quenta los marabedis que pagaren en las que se dieren del cumplimiento de las dhas memorias y ademas se procedera a lo demas que aya lugar de derecho y para ello se den y libren los mandamientos necesarios y se buelban a la dha cofradia el dho libro y fundaçion de dhas memorias y lo firmo su merced =

7 Fo

Fr. Cantero

Enterm

Marcos de Porras

NIHIL TAM OCCVLTVM, ET OBSTRVSVM, QVOD PERSPICAX SCOTI INGENIVM NON PENETRAVERIT, ET E TENEBRIS

ERVERIT, NIHIL DENIQVE TAM NODOSVM, QVOD ILLE NON DISSOLVERIT. IOANNES PITSEVS DE REBVS ANGLICIS. Pag. 391

R. A. P. AC FRATRIS

EMMANVELIS PEREZ DE QUIROGA,

ORDINIS MINORUM,

REGULARIS OBSERVANTIÆ,

PROVINCIÆ

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS,

LECTORIS BIS IUBILATI, EX-DIFFINITORIS,

PATRIS PROVINCIÆ,

PATRIA VALLIS-OLETANI.

DISPUTATIONES

THEOLOGICÆ,

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS

IOANNIS DUNS SCOTI.

TOMUS SECUNDUS,

ET QUINTUS OPERIS.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISSU SUPERIORUM.

Vallis-Oleti. Ex Typographia Regia, apud viduam *Iosephi à Rueda.*

Anno Dñi. 1712.

PALENCIA

EMMANVELIS PEREZ DE QUIROGA

ORDINIS MINORUM

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS

PATRIS PROVINCIÆ

DISPUTATIONES

THEOLOGICÆ

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS

IOANNIS DUNS SCOTI

TOMUS SECUNDUS.

ET QUINTUS OPERIS.

R.^MO P.N. MAGNOQUE PATRI
FR. ILDEPHONSO
A BIEZMA,
REGIO CONCIONATORI, EIUSQUE THEOLOGO
PRO IMMACULATA CONCEPTIONE.
OLIM INDIARUM OCCIDENTALIUM
COMMISSARIO GENERALI,
ET NUNC TOTIUS SERAPHICI ORBIS GENERALI
MINISTRO MERITISSIMO.

IAM R.^me magneque Pater (in quo cunctas certè emicare virtutes, lata docet experientia, ex eaque eas omnes absque dubio clamare coguntur; & coacti sunt conclamare; ob quod igitur, illas sygillatim referre, si potiùs, quam gloria, vniuscuiusque non esset iniuria, esse tamen credo, nihil gloriæ tanto accrescere Patri, quia de tanto Patre iure est cum Casiodoro dicendum: *Magna est eius gloria, quæ nullis laudibus crescit, & nullius vituperatione minuitur.*) Iam, inquam, Magne, & R.^me Pater, opus integrum, à me in *tomo* 1. *Prologo ad Lectorem* promissum, integrè laboravi, & laboratum habeo cum Privilegio Regis, & permissu superiorum, vt qui typis non sunt traditi, prælo mandentur. Iste autem, qui quintus est tomus operis perdifficilis à me intentæ, optatam lucem typis nunc beneficio posidet.

Iam de libro illo, ab Illmo & R.^mo D. Godoy scripto, septemque sigillis sigillatum, vtpotè, in septem membranas obvoluto, adeoque septem funiculis colligato, vt nemo fuerit inventus, qui illum aperiret, eiusque sacramenta palam faceret, quintus sigillus cernitur apertus; nam hic quintus tomus disrrumpit funiculum quintum, eo quod in lucem manifestum pandit, quod quintum sigillum libri Ill.^mi Godoy recludit. Dum primum sigillum labore non parvo apertum conspexi, ad te, R.^me Magneque Pater, confugi, & si rationem ibi omnibus manifestam feci, ibi etiam pro dignitate, & excellentia Vestræ R.^mæ Magnæque Paternitatis videndam illis relinquo, ne, quod consonum non est, repetam idem. Primum itaquè laborem sub

vmbra alarum tuarum impoſui, ideòque laboris ſolamen inveni, & non ſolum nullam vocem tonantem audivi; quinimmò tranquilà pace inoffenſo pede tomus primus, qui primum ſigillum aperuit, felicitèr cucurrit.

Sed quid mirum ſub tanto Duce felicitas, ſub tanto Protectore ſecuritas! mirum eſſet certè, quod ita non foret, quia nemo certè illi auderet nocere, eo quod in fronte hoc epigrafe: *R.mo Patri Noſtro Fratri Ildephonſo à Biezma*, erat ſignatus, ideòquè non mirum, quod evolaſſet tutus. Idem alijs tribus voluminibus accidit, eſtò alia tria ſigilla diſolverint, quia etſi hac tempeſtate non multum cucurrerunt bellorum cauſa; omnes tamen, ad quos pervenere, amici facti ſunt illis. Felicitèr omnes quatuor tomi, hucuſque in lucem editi, ſunt ad miſi, ſed omnis eorum felicitas ex eo provenit, quod primum omnium veſtræ R.mæ Magnæque Paternitati dicavi, & vt primitias laborum meorum Domino meo optuli. Vndè ſi primus, qui lucem invenit, ſub præſidium tanti Protectoris exivit, cœteri, qui ſunt primum ſecuti, debebant eſſe felicitate pari, quia, *ſi error parvus in principio maximus in fine, cum contrariorum eadem ſit ratio*, finis debet eſſe optimus, eo quod principium maximum.

Nunc iam quintus tomus, quintum aperiens ſigillum, priores ſequitur, quia in lucem nunc proditur, & quia libri ſunt filij; & ad Patrem attinet, de filijs providere, hic meus filius quintus, qui labore fuit genitus maximo, cupio, quod ſit ditatus in quinto, ita vt æquet in fortuna primo. Unum eſt ad hoc neceſſarium dumtaxat, hocque vnum, non libere eligo, ſed naturalitèr appeto. Ad hoc illum pono ſub vmbra veſtræ R.mæ Magnæque Paternitatis, meque cum illo ſub illa proſterno, rogans, vt hoc munuſculum, huncque tuum addictiſsimum ſervulum, & ex tuis filijs minorem minoribus, fidelitatis tamen minorem nullatenus, ſed parem inter maximos ſaltem, ſub tua protectione accipias; nam ita erit magnus, qui parvus fuiſſet, non ita. Sic ſpero de tua Clementia, & Iuſtitia, & ad Divinam exorando maneo, vt longævam vitam ad maiorem decorem tibi concedat, & totam largiatur felicitatem, & pacem. Vale R.me Magneque Pater totius noſtræ Seraphicæ Familiæ dulce delicium. Vale iterum, iterumque vale. Vive felix, & vtinam in æternum regnes.

Ita ex corde offert, & conſecrat,

Reverendiſsimæ Magnæque Paternitati veſtræ.

Tuus addictiſsimus filius, obſequentiſsimuſque ſervus,

Frater Emmanuel Perez de Quiroga.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

REverendiſsimus Pater Noſter Fr.Ildephonſus de Biezma, Concionator Regius, atque pro Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ Regali Congregatione Theologus, & Miniſter Generalis totius Ordinis Seraphici Patris Noſtri Franciſci, nobis examinandos comiſit tres Tomos, quorum duo ſunt *Secundus, & Tertius in 3. Sentent. Scoti*, correſpondentes *Secundo, & Tertio Ill. Godoy in 3. part. D. Thomæ. Tertius* denique eſt *Selectarum Quæſtionum*, Auctore R. A. P. Fr. Emmanuele Perez de Quiroga, ex Ordine Minorum huius Almæ Provinciæ Immaculatæ Conceptionis filio, Lectore bis Iubilato, & eiuſdem Provinciæ meritiſsimo Patre, & vt de ſingulis iudicium feramus: miramur huius candidiſsimi Theologi ingenium in inſtructura doctrinæ, methodoque docendi; eſt enim in indagando diligens, in diſquirendo profundus, in explicando perſpicuus, in diſputando acer, in diſcurrendo novus, in loquendo gravis, in iudicando ſecurus. Admiramur tanti Doctoris laborem, non ſolum in doctrina ſui, & noſtri Subtilis Doctoris; ſed in eruditiſſimis Ill. Godoy ſcriptis. Laudamus conatum in materia, forma, & ſtilo, non ſolum horum, ſed reliquorum operum. In duobus primis tomis reſplendet Verbi incarnati notitia, & illius fructus mirabiliter pandit; probans omnia Decretis Pontificum, & Conciliorum, confirmans acutiſsimis rationibus: adeoque inoffenſo percurrit pede *hoc maremagnum, & ſpatioſum manibus* oculis, & calamis, vt valeat cum Doctore Gentium proclamitare: *Navigantes venimus in locum quendam, qui vocatur boni portus* à Divino Verbo adverbio *benè* probatus. Tertius denique tomus iure eſt appellandus *Selectarum Quæſtionum*; non ſolum in diverſitate illarum; ſed in electione doctrinæ; ſtat enim mira varietate refertus, eruditione plenus; firmam, ſolidamque doctrinam continens, ita vt nomen correſpondeat operi, opus nomini, & doctrina Auctori; & vt vno Verbo dicamus hic (ſicut & in alijs operibus huius eruditi Doctoris) habet Theologus, vndè poſsit alios erudire in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Tándem vt aliquomodo ſuſcepto muneri ſatisfaciamus, dicamus R. Noſtro Præſuli quod olim Plinius reſcribebat ſuo maximo: *Accipe nunc quid de vniverſis generaliter iudicem, eſt opus pulchrum, validum, ac ſublime vărium, elegans, ſpatioſum etiam, & cum magna laude diffuſum.* Plura quidem in operum, Auctoriſque commendationem volentes, libenteſque diceremus; ſed vetat timor, ne, ſcilicèt, ſupervacanei officij notam incurramus. Itaquè ne limites mandati muneris inepti laudatores exiliamus, ſyncero animo aſſerimus, nihil eſſe in his libris correctione dignum; nihil ſanè; quod Sacræ Theologiæ ſtudioſis non vtile ſit; & neceſſarium. Fruantur omnes (& maximè noſtræ Scholæ ſectatores) proficiantque. Omnia enim fidei Orthodoxæ valde conſonant. Hoc noſtrum iudicium eſt. Valliſ-Oleti in hoc Regali Seraphici Patris Noſtri Franciſci Conventu die 8. Ianuarij anno à Verbo Incarnato 1711.

Fr. Ignatius à Barreiro.
Lector Sacræ Theologiæ.

Fr. Ioannes à Soto.
Lector Theologiæ.

LICENTIA ORDINIS.

FR. ILDEPHONSVS DE BIEZMA; TOTIVS ORDINIS S. P. N. FRANCISCI Miniſter Generalis; & Servus, &c.

PRæſentium tenore, & provt ad noſtri Officij ius attinet, noſtra cum benedictione Licentiam elargimur, atque facultatem facimus R. P. Fr. Emmanueli Perez de Quiroga, Lectori bis Iubilato; Almæque Noſtræ Immaculatæ Conceptionis Provinciæ Patri, tres tomos à ſe compoſitos, quorum duo intitulantur: *Diſputationes Theologicæ in Tertium Sententiarum Scoti*; & alter: *Selectæ Quæſtiones, &c.* Typis, & in lucem edendi, quandoquidem, à Theologis noſtri Ordinis, ex Commiſsione noſtra, reviſi, & approbati extitere. Servatis attamen in reliquo, de iure ſervandis. Dat. in hoc noſtro Regali Conventu S. Franciſci Curiæ Matritenſis die 4. Februarij 1711.

Fr. Ildephonſus de Biezma.
Miniſt. Generalis.

D. M. S. Rmæ.
Fr. Ioannes Ximenez.
Secr. Gener. Ordin.

CENSVRA R.A.P.Fr.BERNARDI A SANCTO ILDEPHONSO, EX-LECTORIS ARTIVM, & primarij Theologiæ, olimque in ſuis Cœnobijs Salmanticenſi, & Valliſ-Oletani, Excalceatorum B.Mariæ Virginis de Mercede, Redemptionis Captivorum Commendatoris, Ex-Diffinitoris Generalis, Sanctæque Inquiſitionis Qualificatoris, &c.

HAud ſine ſpeciali diligentia, & lætitia, Ordinationi, & commiſsioni, obtemperando D.D. Andreæ del Orbe Larreatigui, Maioris Sanctæ Crucis Collegij, Vallii-Oletani Hoſpitis Collegæ, nec non Proviſoris, & Vicarij Generalis, Valliſ-Oletanæ Diœceſis, per Reverendiſsimum, & Illuſtriſsimum D.D. Andreã de Orueta & Varaſorda, & quondam Supremæ Inquiſitionis Tribunalis Inquiſitorem, nunc autem digniſsimum Præſulem, & Epiſcopum prædictæ Valliſ-Oletanæ Diœceſis: Vidi volumina tria, quorum primi titulus eſt: *Tractatus quartus de Extremo aſſumpto, vel aſſumptibili à Verbo.* Secundi autem titulus eſt: *Tractatus de Potentia animæ Chriſti.* Tertij vero titulus eſt: *Quæſtiones ſelectæ de Deo Vno ex diverſis Theologiæ tractatibus.* Authore R.A.P.M.Fr.Emmanuele Perez de Quiroga, Lectore bis Iubilato, & Immaculatæ Conceptionis Provinciæ Ordinis Minorũ Quondam Diffinitore, & Patre (Præcor benevolum Lectorem: Ne moleſtè ferat; nec miretur parvulam ſequentem digreſsionem) Video enim Prædictum Authorem adamaſſe
Luc.19. profeſsionem Minoris. Cum tamen in illo conſiderem, quod de Zacheo dixit Luc. *cap.*:19. Quod erat ſtatura puſillus; & tamen Princeps, & Dives: nam Author noſter cum profeſsione Minoritatis conſervat divitias, non auri, & argenti, ſed magnificæ Doctrinæ litterarum, & vtilium conſiliorum; ad multorum adiuvamen, & lucem: nec caret ratione principatus: cum originem ducat, & hæreditaverit à nobiliſsimis familijs *Perez*, & *Quiroga*. De quo non plus pro nunc. In prædictis voluminibus (attendendo ad omnia in illis contenta) Invenio Doctrinam omnibus gratam fore. Doctioribus oſtendit quod laudent: Doctis, in quo confortentur: Tyronibus lucem ad progreſsum. Et quod laudabilius mihi videtur, eſt, Quod Doctrina in tribus libris contenta conſequitur intentum Authoris abſque alicuius læſsione. Quod non poſſum non laudare. Nam ideò Pigmæi, qui erant in turribus
D. Hieron. & alij. Tyri, laudantur (cum tamen ſecundum D.Hieronymum, dicantur eſſe Gigantes, & compleviſſe pulchritudinem prædictæ Civitatis) eo, quod ſuſpenderunt pharetras ſuas; ne nocerent. Vndè Doctrina prædicti Authoris, tametſi intentum eius conſequatur; nullum vulnerare, conſtat. Nec miror: Cum prædictus Author ſit germen Seraphicæ matris, quæ plantata fuit in aquis tribulationis, rigoris, & pœnitentiæ. Ex qua prodijt fortiſsimus, & Subtiliſsimus D. & Leo Scotus, qui primus ſcripſit, & reliquit Doctrinam à ſe inventam poſteris, eo tempore Leunculis: poſtea verò Soboles miræ magnitudinis, & fortitudinis.
Ezech. 19. Vt à ſimili dicitur Ezech.19. *Mater tua quaſi vinea in ſanguine tuo ſuper aquam plantata eſt: fructus eius, & frondes eius creverunt ex aquis multis. Et facta ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra Dominantium, & exaltata eſt ſtatura eius inter frondes: & vidit altitudinem ſuam in multitudine palmitum ſuorum.* Cum autem non dubitem, Authorem huius operis debere eſſe inter potiſsimos viros prædictæ familiæ numerandum, vt conſtat ex doctrina dicta, & eius documentis; cum ipſa doctrina Clamito vt typis mandetur. Cum nihil (meo videri) contineat, quod diſſonet Chatholicæ Fidei, nec moribus ſanctis Sic ſentio, (ſalvo meliori) &c. In hoc Conventu S.Ioſephi Excalceatorum B.Mariæ Virginis de Mercede, Redemptionis Captivorum, prædictæ Pincianæ Civitatis veteris Caſtellæ. Die 8.Ianuarii, anno 1711.

Fr.Bernardus à Sancto Ildephonſo.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Lic.D.Andres de Orbe y Larriategui, Colegial Hueſped en el Mayor de Santa Cruz, Proviſſor, Oficial, y Vicario General en eſta Ciudad de Valladolid, y todo ſu Obiſpado, por el Illmo.Señor D.Andres de Orueta y Baraforda, Obiſpo de el, &c. Por la preſente damos licencia para que por lo que à Nos toca, ſe puedan imprimir, y dar à la eſtampa tres tomos, los dos: *Segundo, y Tercero, ſobre el Tercero de las Sentencias.* Y el otro: *Quæſtiones Selectas*, compueſtos por el M.R.P.Fr.Manuel Perez de Quiroga, del Orden de Señor S.Franciſco, &c. mediante aver ſido viſtos, y examinados de nueſtra orden, y mandato, y no tener coſa alguna contra nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas, y loables coſtumbres. Dada en la Ciudad de Valladolid à 25. dias del mes de Febrero de 1711. años.

Lic.Don Andres de Orbe y Larriategui.

Por ſu mandado,
Marcos de Porras.

CEN-

CENSURA R. A. P. Fr. IOSEPHI BASAGUTIA, *Magistri in Sacra Theologia, & in suo Matritensi Carmelitarum Cœnobio Prioris emeritissimi.*

M. P. S.

SVpræmi Senatus iussu vidi, atentèque legi tomos tres ex florentissimo ingenij viridiario R.A.P.M.Fr.Emmanuelis Perez de Quiroga, Sacri Seraphicique Minorum Ordinis Regularis Observantiæ, Purissimæque Dei-Paræ Provinciæ, Lectoris bis Iubilati, Ex-Definitorisque, ac meritissimi Patris. Tres igitur legi, duos: *In Tertium Sententiarum*, ad mentem Venerabilis, Subtilissimique Scoti Doctoris: *Selectæ quæstiones* alium ex diversis Theologiæ tractatibus desumptæ iuxta eiusdem Doctoris Subtilis mentem: & dum legerem, mihi, quod Magno Basilio scripta amici sui D. Gregorij Nazianceni contigit legenti; accidit: *Agnovi opus* (ait Magnus Basilius) *vt hi facere solent qui amicorum libros ex similitudine in eis conspicua agnoscunt.* Siquidem in his voluminibus (à superioribus non absonis, imo potius germanis) inveni amplissimam doctrinæ messem, & locuplentissimum sapientiæ thesaurum cum elegantissimo, ac clarissimo stylo, tùm in eruenda Subtilis Doctoris mente, tùm in quæstionibus difficillimis decidendis subtilitatem, ac dexteritatem. Ita vt Lirenensis verba vsurpare valeam: *Cuius pene verba, tot sententiæ; quot sensus; tot victoriæ.* Et si volumina multa pro Doctoris Subtilis illustranda doctrina stent exarata, multa tanti Magistri acumine denuo sunt inventa. Non enim reprehendenda est Librorum multiplicitas, cum adsit tanti Doctoris sapientiæ færacitas: Nam vt optimè Ambrosius monet: *Reprehendant messem, quia sera fœcunditas est: reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est; reprehendant olivam, quia postremus est fructus.* Tanti ergo Magistri opera vtilissima sunt, fructusque sapientiæ plena. Vndè de tanto Magistro meritò dixerim: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet*; extrinsecus enim venustatem præmostrant, odorem vndique spirant. Patet intrinsecus solida doctrina, qua Vener. Scoti Doctoris mens propugnatur perpetuò, & explicatur, vt sapienter pateat, quod eminentèr latebat. Qui ergo sapientiæ odore vult optimè olere, huc accedat, vbi non spinas reperiet, sed optimos flores.

S. Bas. epis. ad Gregor.

Lir. cap. 23 comm. 1.

S. Amb. lib. 5. epist. cõt. Symmac.

Lætare ergo magna Seraphici Francisci Soboles, quia filius iste tibi ex vno partu tres peperit filios; lætare igitur, non quia sterilis peperit plurimos, sed quia fœcunda non cessavit parere. Tu es enim Magni Francisci parentis excelsa proles vinea illa Domini Sabaoth in domo Domini plantata, & impinguata extendens palmites tuos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines tuos; Vinea excelsa, & electa, quæ non tribulos germinavit, sed optimos fructus. Ex vno palmite tres genuisti botros, & si iuxta Philosophum *lib. 1. de Cœlo, cap. 1.* tria sunt omnia, & vt Pythagorici inquiunt, ipsum omne, & omnia tribus sunt determinata: Omnia sapientiæ flumina vineam istam electam rigant. Per *tres* enim, tàm sacri, quàm prophani superlativum significant, & maximum in suo genere; in ter maximus in his tribus tomis, ita vt si hoc tempore Pastor Dametas existeret, non diceret Menalchę, vt quod difficile illud Virgilij Egloga 5:

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres, pateat cœli spatium, non amplius vlnas.

Nam ad explorandum tale miraculum in his voluminibus tria nobis cœli spatia patent, quin opus sit nobis artis Apollinæ, plus enim quam Apollo est nobis Quiroga.

In primis duobus agit de servatore nostro, Dominoque Iesu trabea mortalitatis induto, at tam sapientèr, ac celeberrimè, vt de illo canere valeam.

Percelebrem facit plus te Theologia per orbem
Nam scriptor sacræ plus celebrandus erit.

In altero selectæ quæstiones ex Sacræ Theologiæ viridiario exceptæ, ita selectè componens, vt legens in admirationem raptus, vsque ad tertium perveniat cœlum: & si tertium

cœ-

cœlum eſt beatorum fæliciſsima ſedes, Quiroga noſter ita facit, ita ſcribit, ita ſelectè docet, vt optimo iure de illo poſsit decantari illud Iuvenalis 2. Epig. 23.

Qui ſcribenda facit, ſcribit vt legenda, beatus
Illi; beatus es tu, quod vtrumque facis,
Digna legi ſcribis, facis & digniſsima ſcribi:
Scripta probant doctum te tua facta probum.

Sit iuſsioni obſequens omnia in his tribus tomis contenta inoffenſo pede currere poteſt Lector, dummodo multum in eis reperi, quod ſapientum ingenijs prodeſſe, nihil, quod fidei orthodoxæ obeſſe poſsit: Dignumque arbitror, quod communi prodeat vtilitati, illumque cum aplauſu amplectentur vniverſa Lycæa. Sic cenſio, ſalvo, &c. In hoc Regali Deigenitricis Virginis Mariæ Matritenſi Carmelo, die 15. Iunij, ann. 1711.

Fr. Ioſephus Baſagutia.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DOn Juan del Barco y Oliva, Secretario de Cámara del Rey nueſtro Señor, de los que en ſu Conſejo reſiden, certifico: Que aviendoſe preſentado ante los Señores de èl, por parte de Fr. Manuel Perez de Quiroga, Religioſo de nueſtro Serafico P. S. Franciſco, tres tomos de Teologia, intitulados los dos *in 3. Sent.* y el otro: *Quæſtiones Selectæ ex diverſis Theologiæ tractatibus*, viſto por dichos Señores, dieron licencia à el ſuſodicho, para q̃ por vna vez los pueda imprimir, guardando las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos, que hablan, y diſponen cerca, y en razon de la Impreſsion de los Libros, los quales vàn rubricados de mi rubrica, y firmados al fin de cada vno de mi nombre. Y mandaron, que deſpues de Impreſſos, y ſacadas las erratas de ellos, ſe traigan à el Conſejo, para que ſe taſſe el precio, que por cada bolumen huviere de aver. Y para que conſte doy eſta Certificacion, en Madrid à 20. de Junio de 1711. años.

Don Juan del Barco y Oliva.

FEE DE ERRATAS.

PAg. 18. num. 123. accidentali, *lege* actuali. Pag. 194. num. 10. delectionem, *lege* deletionem. Pag. 242. num. 25. poſteſt, *lege* poteſt. Pag. 266. num. 38. prædictorum, *lege* perditorum. Pag. 404. num. 41. defendit, *lege* defendi. Pag. 405. num. 42. repreſentate, *lege* repræſentantem. Pag. 408. num. 7. quod, *lege* quæ.

He viſto eſte libro, intitulado: *In 3. Sentent. tom. 2.* ſu Autor el P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, y con eſtas erratas correſponde à ſu original. Madrid, y Noviembre 17. de 1712.

Licenciado Don Benito
del Rio y Cordido.
Corrector General por ſu Mageſtad.

SVMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo, eſte libro intitulado: *In 3. Sentent. tom. 2.* compueſto por el P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, del Orden de nueſtro Padre San Franciſco, à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu original, à que me refiero, deſpachado por Don Miguel Rubin de Noriega. En Madrid à 24. de Noviembre de 1712. años.

Don Miguel Rubin de Noriega.

IN-

INDEX DISPVTATIONVM, ET PARAGRAPHORUM, QUÆ IN HOC SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

Littera P. *designat Paginam.*

TRACTATUS QUARTUS.

De extremo assumpto, vel assumptibili à Verbo.

DISPVTATIO DECIMA OCTAVA.

Vtrùm omnis natura creata sit assumptibilis à Verbo?

§. I.
Prima pars disputationis resolvitur. *Pag.* 2.
§. II.
Naturam irrationalem esse de potentia absolutâ assumptibilem, authoritate, & ratione probatur. *Pag.* 5.
§. III.
Circa secundam disputationis partem, relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.* 9.
§. IV.
Solvitur primum argumentum Ill. God. *Pag.* 15.
§. V.
Solvitur secundum argumentum Ill. God. *P.* 19.
§. VI.
Accidens vniri non posse cum Divina existentia, probatur. *Pag.* 21.
§. VII.
Circa tertiam partem referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag.* 22.
§. VIII.
Argumento Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 27.
§. IX.
Occasione cuiusdam argumenti statuitur secunda conclusio. *Pag.* 29.
§. X.
De materia prima sine forma substantiali, & forma materiali separatâ à materia. *Pag.* 31.
§. XI.
Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 35.

DISPVTATIO XIX.

An natura creata, terminata propria personalitate, possit assumi ad subsistentiam Divinam?

§. I.
Præmituntur, quæ apud omnes sunt certa. *P.* 41.
§. II.
Ratio dubitandi proponitur, & referuntur sententiæ. *Pag.* 42.
§. III.
Ratio prima Ill. Godoy declaratur, & inconsequentia ostenditur. *Ibidem.*
§. IV.
Secunda ratio Ill. Godoy proponitur, & inconsequentia illius declaratur. *Pag.* 49.
§. V.
Aliæ rationes Ill. Godoy declarantur, & illius inconsequentia ostenditur. *Pag.* 54.
§. VI.
Rationes Gonet explanantur, & illius etiam inconsequentia ostenditur. *Pag.* 57.
§. VII.
Triplici ratione speciali ostenditur inconsequentia Ill. Godoy. *Pag.* 64.
§. VIII.
Rationibus probatur communis sententia. *P.* 66.
§. Vltimus.
Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 68.

DISPVTATIO XX.

An hæc propositio: *Deus assumpsit hominem*, in rigore, & proprietate sermonis sit vera?

§. I.
Necessaria ad intelligentiam difficultatis supponuntur. *Pag.* 71.
§. II.
Relatis sententijs, vera eligitur, & authoritate probatur. *Pag.* 73.

Ra-

§. III.
Rationibus Theologicis noſtra ſententia ſuadetur. *Pag.*83.
§. IV.
Paritate ad hominem contra Ill.Godoy, & paritate contra alios adverſarios, probatur noſtra concluſio. *Pag.*89.
§. V.
Argumentum Ill. Godoy ex conſenſu Scholaſticorum ſolvitur. *Pag.*95.
§. VI.
Argumenta Ill. Godoy ex authoritate deducta ſolvuntur. *Pag.*97.
§. VII.
Rationibus Theologicis Ill. Godoy occurritur. *Pag.*102.
§. VIII.
Aliorum argumentis occurritur. *Pag.*112.
§. IX.
Occaſione vltimi argumenti examinatur, quomodo ſint veræ hæ propoſitiones: *Deus eſt homo. Homo eſt Deus.* Pag.115.
§. X.
Prima difficultas reſolvitur. *Pag.*118.
§. XI.
Reſolvitur ſecunda difficultas. *Pag.*121.

TRACTATUS V.
De Gratia perſonali Chriſti.

DISPVTATIO XXI.
Vtrùm humanitas Chriſti ſanctificetur formalitèr per aliquid ſubſtantiale?
§. I.
Aliquibus ſuppoſitis, referuntur ſententiæ. *P.*125.
§. II.
Prima concluſio ſtatuitur, & probatur. *Pag.*128.
§. III.
Argumento Ill.Godoy, ab authoritate deducto, occurritur. *Pag.*138.
§. IV.
Occurritur argumento Ill. Godoy à ratione deducto. *Pag.*144.
§. V.
Solvuntur ſpecialia argumenta. *Pag.*150.
§. VI.
Vnionem hypoſtaticam ex ſua ratione formali non eſſe formam ſanctificantem humanitatem Chriſti, cum veriori ſententia defenditur. *Pag.* 160.
§. VII.
Perſonalitatem Verbi ſub expreſſo perſonalitatis conceptu, non eſſe formalem ſanctitatem, probatur. *Pag.*161.
§. VIII.
Divinitatem non ſanctificare formalitèr humanitatem Chriſti, probatur. *Pag.*168.
§. IX.
Reijcitur moralis ſanctitas Deitatis. *Pag.*172.
§. X.
Ratione ſpeciali probatur noſtra concluſio. *Pag.*179.
§. XI.
Argumenta Ill.Godoy diluuntur. *Pag.*183.
§. Vltimus.
Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.*185.
DISPVTATIO XXII.
Vtrùm in anima Chriſti Domini fuerit gratia habitualis?
§. I.
Relatis ſententijs, ſtatuitur prima concluſio, & obiectioni Ill.Godoy occurritur. *Pag.*186.
§. II.
Duplex alia concluſio ſtatuitur, & corollaria declarantur. *Pag.*189.
DISPVTATIO XXIII.
Ad quid fuerit neceſſaria gratia habitualis in anima Chriſti Domini?
§. Vnicus.
Reſolvitur difficultas. *Pag.*191.
DISPVTATIO XXIV.
An fuerint in Chriſto virtutes per ſe adquiſitæ, illaſque habuerit à primo conceptionis inſtanti?
§. I.
Difficultas diſputationis reſolvitur. *Pag.*192.
§. II.
Corollaria de virtutibus per ſe adquiſibilibus. *Pag.* 193.
§. III.
Corollarium de virtutibus moralibus. *Pag.*194.
§. IV.
Corollarium de virtutibus Theologicis. *Pag.*195.
§. V.
Corollarium de pia affectione, & fide humana. *Pag.* 204.
DISPVTATIO XXV.
Qualitèr donum timoris fuerit in Chriſto?
§. I.
Referuntur ſententiæ, & ſtatuitur prima concluſio. *Pag.*205.
§. II.
Argumentis occurritur, & ſolutiones Ill.Godoy impugnantur. *Pag.*208.
§. III.
Occaſione vltimi argumenti ſtatuitur ſecunda concluſio. *Pag.*209.
§. IV.
Argumenta Ill. Godoy contra concluſionem diluuntur. *Pag.*217.
§. V.
Explicatur actus primarius timoris. *Pag.*219.
§. VI.
Occurritur argumentis Ill.Godoy. *Pag.*221.

Bre-

§. Vltimus.
Brevis difficultas resolvitur. *Pag.*222.

DISPVTATIO XXVI.
An gratia Christi fuerit sub aliqua ratione simplicitèr infinita?

§. I.
Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.*225.

§. II.
Gratiam Christi non posse dici in ratione gratiæ infinitam, probatur. *Pag.*231.

§. III.
Obiectionibus Ill. Godoy occurritur. *Pag.*234.

§. IV.
Gratiam Christi esse simplicitèr infinitam in ratione gratiæ, ex doctrina Ill. Godoy contra ipsum probatur. *Pag.*235.

DISPVTATIO XXVII.
An Christi gratia, & sanctitas augeri potuerit?

§. I.
Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag.*237.

§. II.
Non potuisse intensivè augeri, probatur. *Pag.*238.

§. III.
Probatur, gratiam ab intrinseco termino augmenti non carere. *Pag.*241.

§. IV.
Argumento Ill. Godoy occurritur. *Pag.*243.

TRACTATUS VI.
De Gratia Christi Capitali.

DISPVTATIO XXVIII.
An Christus sit Caput Ecclesiæ, & per quam gratiam in ratione capitis constituatur?

§. I.
Prima pars disputationis resolvitur. *Pag.*247.

§. II.
Duplici argumento occurritur, & explicatur: an Christus sit membrum Ecclesiæ, & an secundum corpus sit Caput Ecclesiæ? *Pag.*248.

§. III.
Circa secundam partem referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag.*251.

§. IV.
Argumento Ill. Godoy occurritur. *Pag.*253.

§. V.
Statuitur secunda conclusio. *Pag.*254.

§. Vltimus.
Solvitur argumentum Ill. Godoy, & corollaria ex dictis declarantur. *Pag.*258.

DISPVTATIO XXIX.
An Christus, in quantum homo, sit caput omnium hominum, & Angelorum?

§. I.
Circa primam disputationis partem aliqua præmituntur. *Pag.*259.

§. II.
Prima pars disputationis resolvitur. *Pag.*261.

§. III.
Occurritur argumentis Ill. Godoy. *Pag.*263.

§. IV.
Secunda pars disputationis resolvitur. *Pag.*265.

DISPVTATIO XXX.
Qualitèr gratia habitualis comparetur ad gratiam vnionis?

§. I.
Quæ certa sunt, declarantur. *Pag.*267.

§. II.
Duplex conclusio statuitur, & probatur. *Pag.*268.

§. III.
Duplex difficultas proponitur, & resolvitur. *Pag.*269.

§. Vltimus.
Corollaria præcedentis doctrinæ. *Ibidem.*

TRACTATUS VII.
De Scientia animæ Christi in communi.

DISPVTATIO XXXI.
An intellectus Christi creatus intellexerit cognitione increata, an solâ creata?

§. I.
Statuitur prima conclusio. *Pag.*273.

§. II.
Ab inconvenienti probatur conclusio, & ostenditur contra Ill. Godoy, quod si Christus intellexisset intentione increata, Deum de facto comprehendisset. *Pag.*275.

§. III.
Suprà positam conclusionem in opinione Ill. Godoy sustineri non posse, ostenditur. *Pag.*286.

§. IV.
Duplici argumento occurritur. *Pag.*291.

§. V.
Statuitur secunda conclusio. *Pag.*292.

§. VI.
Occurritur cuidam argumento. *Pag.*296.

§. VII.
Statuitur tertia conclusio. *Pag.*298.

§. VIII.
Statuitur quarta conclusio. *Pag.*299.

§. Vltimus.
Argumento Ill. Godoy occurritur. *Pag.*306.

DISPVTATIO XXXII.
Quotuplex scientia fuerit in anima Christi?

§. I.
De Scientia Beata. *Pag.*308.

De

§. II.
De Scientia per se infusa supernaturali. *Pag.*310.
§. III.
De Scientia per se infusa naturali. *Pag.*315.
§. IV.
Argumenta Ill. Godoy contra primam partem conclusionis solvuntur. *Pag.*317.
§. V.
De Scientia per se adquisibili. *Pag.*318.

TRACTATUS VIII.
De Scientia Beata animæ Christi.

DISPVTATIO XXXIII.
An Christus per intellectum creatum comprehenderit Divinam Essentiam?
§. I.
Explicatur quid sit comprehensio, & quid ad comprehensionem requiratur. *Pag.*321.
§. II.
Relatis sententijs, prima conclusio statuitur, & probatur. *Pag.*328.
§. III.
Traditur vera ratio incomprehensibilitatis Divinæ. *Pag.*333.
§. IV.
Deum esse à creatura incomprehensibilem, de fide non esse, defenditur. *Pag.*342.
§. V.
Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag.*343.
DISPVTATIO XXXIV.
Vtrùm anima Christi cognoverit omnia in Verbo ex vi cognitionis Verbi?
§. I.
Aperitur status difficultatis, & referuntur sententiæ. *Pag.*351.
§. II.
Statuitur prima conclusio, & probatur. *Pag.*353.
§. III.
Ad hominem contra Ill. Godoy probatur conclusio. *Pag.*358.
§. IV.
Ratione fundamentali probatur conclusio. *P.*365
§. V.
Rationibus specialibus probatur conclusio. *P.*366
§. VI.
Occurritur argumento Ill. Godoy. *Pag.*368.
§. VII.
Alia solvuntur argumenta. *Pag.*372.
§. Vltimus.
Statuuntur secunda, & tertia conclusio, & corollaria præcedentis doctrinæ declarantur. *P.*382.

TRACTATUS IX.
De Scientia per se infusa, & Scientia per se adquisibili.

DISPVTATIO XXXV.
An omnia obiecta creata possint ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem cognosci?
§. I.
Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag.*384.
§. II.
Statuitur secunda conclusio, & probatur. *P.*388.
§. III.
De cognitionibus cordium, & futuris contingentibus. *Pag.*390.
§. IV.
De tota collectione possibilium. *Pag.*393.
§. V.
Statuitur quinta conclusio, & probatur. *Pag.*396.
§. Vltimus.
Statuitur sexta conclusio. *Pag.*397.
DISPVTATIO XXXVI.
Vtrùm Anima Christi Domini per Scientiam infusam Mysterium Trinitatis cognoverit evidenter?
§. I.
Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag.*397.
§. II.
Triplex alia conclusio statuitur. *Pag.*405.
DISPVTATIO XXXVIII.
De Scientia, vnitate, & alijs ad scientiam infusam supernaturalem spectantibus?
§. I.
De qualitate specierum. *Pag.*407.
§. II.
Constituendus est in intellectu Christi habitus ab speciebus distinctus. *Ibidem.*
§. III.
Habitus scientiæ infusæ distinguitur à lumine gloriæ. *Pag.*408.
§. IV.
De vnitate scientiæ per se infusæ. *Ibidem.*
§. V.
De vsu istius scientiæ discurrendo. *Pag.*409.
§. VI.
De conversione ad Phantasmata. *Pag.*410.
§. Vltimus.
De scientiæ per se infusæ actualitate. *Pag.*411.

TRACTATVS QUARTUS.

DE EXTREMO ASSUMPTO, VEL ASSUMPTIBILI à Verbo.

AB hoc tractatu incepit Ill. Godoy tomum secundum *in 3. partem* D. Thomæ, & ab hoc (vestigia illius sequendo) tomum secundum *in 3. Sent.* incipimus. Et ne ab incepto deficiamus, disputationes, quas pro hoc tractatu, & in hoc tomo, subijcit Ill. Godoy, ordine illius servato sine distinctione paramus.

DISPVTATIO DECIMA OCTAVA.

Vtrùm omnis natura creata sit assumptibilis à Verbo?

Num. 1 *Naturæ acceptiones explicãtur.*

LIcèt nomen naturæ cum omni rigore sumptum solum stet pro natura substantiali completa; largiùs tamẽ de natura loquendo, abstrahit à natura substantiali, & natura accidentali, à completa, vel totali, & ab incompleta, & partiali, & in omnia membra hæc dividitur. Rursus natura substantialis completa dividitur, in purè spiritualem, qualis est natura Angelica, in purè corporalem, qualis est natura brutorum, vt equus, natura vegetabilium, vt planta, & natura insensibilium, vt lapis, & in naturam mixtam, & compositam ex spirituali, & corporali, vt natura humana, quæ ex materia corporali, & spirituali forma composita, medium tenet inter Angelos, & alias inferiores creaturas, & cum illis omnibus habet aliquid commune, nempè, intelligere cum Angelis, sentire cum brutis, vegetare cum plantis, & esse cum lapidibus; de quibus omnibus nostra disceptatio procedit, inquirens; an omnes istę naturę sint à Divino Verbo assumptibiles? quam in tres partes secabimus. Prima erit de natura substantiali completa. Secunda de natura accidentali; & tertia de natura incompleta substantiali, hoc est, de partibus componentibus substantiam, vel essentialitèr, quales sunt materia, & forma; vel integralitèr, vt caput, manus, & cætera membra corporis.

Disputationis divisio.

*****

§. 11.

Prima pars disputationis resolvitur.

2 *Duo, quæ certa sunt, supponuntur.*

VT ea, quæ certa sunt, ab incertis separemus, primò, vt indubitatum supponimus: naturam humanã esse assumptibilem à Verbo; fuit enim defacto assumpta, vt fide Misterij Incarnationis docemur; ab actu enim ad potentiam irrefragabile fit argumentum. Ex quo secundò, vt omninò certum supponendum colligitur, non solum humanitatem, quæ defacto fuit assumpta, sed etiam omnium hominũ humanitates, numero ab illa distinctas, potuisse à Divino Verbo assumi in vnitatem personæ, cuius oppositũ docuisse Vviclef *tom.* 1. *cap.* 44. refert Vazquez *in præsenti disput.* 30. Cuius sententiam, vt omnino absurdã reijciunt Theologi, & meritò; cum enim natura humana, quæ defacto assumpta fuit, & naturæ aliorum hominum sint eiusdem speciei; & consequentèr sicut personalitas propria, quæ ad naturam assumptam naturalitèr sequeretur, si non fuisset à Divino Verbo præventa, realitèr ab illa distinguitur: ita in alijs naturis realis distinctio intercedit inter illas, & personalitates proprias, evidenti illatione colligitur, quod non solum humanitas, quæ defacto assumpta fuit, sed etiam aliæ humanitates potuerunt à Divino Verbo assumi. Quod patet: nam ob realem distinctionem humanitatis assumptæ à propria personalitate, data est in illa capacitas, vt assumeretur à Verbo; sed etiam in alijs humanitatibus datur similis distinctio, cum omnes humanitates sint eiusdem speciei: ergo etiam aliæ humanitates sunt assumptibiles à Divino Verbo.

3 His ita brevitèr præsuppositis, dubium restat de alijs naturis substantialibus completis, nempè, de natura Angelica, quæ purè spiritualis est, & de natura purè materiali, & corporea. De quo aliquas opiniones refert Ill. Godoy *num.* 3. ipse tamen à nobis non discedit; quare hanc partem disputationis absque controversia cũ illo resolvemus, pro cuius explicatione. Sit.

4 1. *Conclusio statuitur. Scotus. D. Thom.*

Prima conclusio: *Natura Angelica est assumptibilis à Deo de potentia absoluta in vnitatem personæ; non tamen ita congruentèr, sicut humana natura.* Sic Scotus *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 1. D. Thom. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. *artic.* 1. *quæstiunc.* 2. & 4. contra Gentes *cap.* 55. Hæc conclusio duplicem habet partem, & pro vtraque venit probanda.

5 *Probatur* 1 *Conclusio quo ad* 1. *partem ex D. Paulo.*

Et quidem quoad primam partem ostenditur primò ex D. Paulo ad Hæbreos 2. illis verbis: *Nusquam Angelos aprehendit, sed semen Abrahæ aprehendit*, quod de aprehensione per vnionẽ hypostaticã accipitur communi interpretatione, commendatque Apostolus charitatem Dei erga homines præ Angelis, eo, quod potius humanã, quam naturam Angelicam, assumpserit; sed si natura Angelica non esset assumptibilis à Deo in vnitatẽ personæ, non teneret comparatio, nec amoris commendatio erga homines præ Angelis, cũ ad hoc necessum sit, quod Deus liberè humanam naturã assumpserit, liberque fuerit in non assumendo Angelicam, quæ libertas stare nequit, si illam non potuit assumere; no enim potest esse libera non assumptio, nisi assumptio sit possibilis: ergo asserendum est, naturam Angelicam esse à Deo assumptibilem de potentia absoluta in vnitatem personæ.

6 *Prob.* 2. Secundò probatur: quod enim contradictionem non implicat, est Deo possibile de potentia absoluta; sed assumptio naturæ Angelicæ à Deo in vnitatem personæ contradictionem non implicat: ergo est Deo de potentia absoluta possibilis, & à Divina Omnipotentia factibilis. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: non enim implicat ex parte Dei assumentis, neque ex parte naturæ Angelicæ: ergo ex nullo capite implicat. Antecedens pro prima parte est certũ, vis namque assumptiva Dei est per essentiam infinita, ac proinde ex parte illius assumptio naturæ Angelicæ repugnare non potest, nisi imperfectionem dicat, quod cũ fundamento non potest asseverari, cum supponatur sine vlla imperfectione assumens naturã humanam; & consequentèr in assumptione naturę Angelicæ imperfectio esse non possit, cum sit humana perfectior.

7 *Minor pro* 2. *parte probatur.*

Deindè eadem minor pro secunda parte, in qua est difficultas, probatur: si repugnaret ex parte naturæ Angelicæ, ideo esset, quia personalitas Angeli non distingueretur realitèr ab eius natura; sed ab illa distinguitur realitèr: ergo ex parte naturæ Angelicæ nulla repugnantia, vel implicatio invenitur,

vt assumatur à Deo. Consequentia probatione non indiget. Maior est certa; tùm: quia aliud repugnantiæ caput assignabile non est, nisi prædicta indistinctio. Tùm etiam: quia non alia ratione in natura humana est, vt à Deo assumatur, capacitas, nisi quia distinguitur realitèr à sua personalitate; & consequentèr potest, vel propria personalitate destructa, vel ad illam non subsequuta, per subsistentiam, & personalitatem Verbi terminari, inqua propria personalitas eminentèr continetur; sed si personalitas Angeli realitèr ab illius natura distinguitur, potest destrui, non destructa Angelica natura, vel non consequi ad illã, quatenus primò productam, & aliàs in subsistentia Verbi eminentèr continetur, non minus, quã personalitas hominis: ergo reali distinctione personalitatis Angeli ab illius natura concessa, non potest assumptibilitas à Deo in vnitatem personæ Angelicæ naturæ negari.

8 *Subsistentiam Angeli distingui ab illius natura probatur.*

Minor autem probatur: subsistentia naturæ humanæ realitèr distinguitur ab illa: ergo subsistentia naturæ Angelicæ realitèr ab illa distinguitur. Antecedens constat; alioquin natura humana non esset assumptibilis à Verbo, quod est contra fidem, qua firmitèr credimus, quod Verbum factum est homo. Cosequentia probatur. Primò: nã quæcumque sit ratio statuendi distinctionem realem inter naturam humanam, & illius subsistentiam, convincit etiam realem distinctionem inter naturam Angelicã, & illius subsistentiam; sed iuxta concessa, & veritatem, subsistentia naturæ humanæ realitèr distinguitur ab illa: ergo subsistentia naturę Angelicæ realitèr ab illa distinguitur. Probatur secundò eadem consequentia: ratio, qua probatur, subsistentiam Divinam realitèr non distingui ab illius natura, convincit, quod subsistentia Angelica realitèr ab illius natura distinguitur: ergo, &c. Probatur antecedens: ratio, qua probatur, subsistentiam Divinã realitèr non distingui ab illius natura, est infinitas; sed in Angelo non est infinitas: ergo ratio, qua probatur, subsistentiam Divinam realitèr non distingui ab illius natura, convincit, quod subsistentia Angelica realitèr ab illius natura distinguitur.

Cõsequẽtia probat. 1.

Secundò.

9 *Probat. 3. 1. pars conclusionis.*

Tertiò probatur prima pars nostrę prædictæ conclusionis: natura Angelica habet propriam subsistentiã: ergo potest loco illius Divina subsistentia substitui; cum in hoc, vt diximus *n.* 6. nulla appareat repugnantia: ergo natura Angelica est assumptibilis à Deo de potentia absoluta in vnitatem personæ. Quartò probatur: personalitas Verbi Divini est independens, independentia opposita dependentiæ naturæ Angelicæ: ergo potest terminare dependentiam illius: ergo natura Angelica est à Verbo Divino assumptibilis.

Quartò.

10 *2. pars conclusionis probatur.*

Secunda pars conclusionis probatur: nam in natura assumptibili triplex consideratur congruentia, nempè, dignitatis, necessitatis, & vniversalitatis, vel extensionis; sed quamvis natura Angelica in prima congruentia excedat naturam humanam, ab illa in alijs exceditur: ergo absolutè est dicendũ, naturam humanam fuisse congruentiùs, quam Angelica, assumptibilem. Minor, in qua est difficultas, pro eo, quod præsuponit, nempè, Angelicam naturam excedere in congruentia dignitatis humanam, patet: est enim in linea Intellectuali perfectior, quam humana natura, saltim in ordine ad operationes naturales, estò in ordine ad visionem, & amorem supernaturalem conveniant, vt docuimus *tom. 1. in 1. Sent. disput. 7.* sed congruentia dignitatis pensatur in natura assumptibili ratione intellectualitatis: ergo in hac congruentia excedit natura Angelica humanam.

Quod autem excedatur in alijs, probatur: in primis namquè excedit in vniversalitate; nam in homine omnes gradus vniversi quodamodo continentur, intelligit namque cum Angelis, vivit cum plantis, sentit cum animalibus, & in hoc, quod est existere, convenit cum lapidibus, & alijs inanimatis; in Angelo autem prẽter communem rationẽ essendi solus gradus intellectualitatis invenitur: ergo assumpto homine, quodamodo totum vniversum assũmitur: Sicut Evangeliũ omni creaturæ quodamodo prædicatur, cum homini prædicatur, vt inquit Gregorius explicans illa verba Christi ad Discipulos: *Euntes in mundũ vniversum prædicate Evangelium omni creaturæ*; non sic autem, si Angelus assumeretur: ergo attenta vniversalitate, maior congruitas in natura humana, quam in natura Angelica, reperitur in ordine ad assumptionem.

11

Deinde, quod etiam natura huma-

12

na excedat Angelicam in congruentia neceſsitatis, oſtendit primò Ill. Godoy *num.* 12. quia licèt vtraque natura peccaverit, peccatum tamen Angeli irremiſsibile eſt, ſecundum communē modum, quo peccatū in ordine gratiæ remittitur, ſcilicet, per hoc, quod peccans avertatur à peccato, & convertatur in Deum, eo, quod Angelus inflexibiliter adhęret per electionem, ſivè ad bonum, ſivè ad malum inclinetur; homo autem eſt flexibilis arbitrij, non ſolum ante, ſed etiam poſt electionem; & conſequenter peccatū illius poteſt iuxta communem modū ordinis gratiæ remitti: ergo attenta congruentia neceſsitatis redemptionis à peccato, natura humana excedit Angelicam naturam. Secundò: nam licèt demus, Angelum poſt electionē inflexibilem nō eſſe, nec immobiliter malo adhęrere, propria tamen voluntate peccavit, & non ab alio ſeductus, ſed ex malitia deliquit; nos autem nō propria, ſed aliena voluntate peccavimus, & primus Parens, cuius peccatum fuit noſtrum, ab vxore ſuaſus; vxor autem à Serpente; ſed maior congruētia eſt, vt peccatum ex aliena voluntate contractum, & externa ſuaſione cōmiſſum, remittatur, quam id, quod propria voluntate, & ex malitia committitur: ergo maior congruentia neceſsitatis invenitur in humana natura, vt aſſumatur à Deo in ordine ad deſtruendum eius peccatum, quam in natura Angelica, eſtò poſt electionem inflexibilis non ſit, nec immobiliter perſeveret in malo.

13 *Probatur exceſſus in congruētia neceſsitatis.*

Ex hac duplici ratione, prima omninò falſa eſt in noſtra opinione, quia nulli dubiū, quod Angelus apud noſtram, & Scoti doctrinam flexibilis eſt poſt electionem, vt tractatu de Angelis dicitur. Secunda verò vera eſt, eam que amplector, ad ipſamque addi poſſunt duæ ſequentes rationes. Prima: nam natura humana cecidit tota; non verò Angelica: ergo Angelicam excedit humana in congruentia neceſsitatis. Secunda: quia Angelus ſpontè, & ferè ſine occaſione peccavit; homo verò tentatus, & deceptus, peccatum commiſsit: ergo idem, quod prius.

Dices. Si autem dicas: his rationibus probari, maiorem congruentiam in homine reperiri, vt per Dei miſericordiā eius remittatur peccatum, & vt Deus naturam creatam aſſumat ad ſatisfaciendum pro illo, quam invenitur in Angelo; non autem probari, maiorē congruentiam, vt natura humana aſſumatur, nam potuit Deus, Angelicam aſſumendo naturam, pro homine ſatisfacere.

14 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Contra (inquit Ill. Godoy *num.* 14.) nam ſemel dato, ob rationes aſsignatas, eſſe in humana natura maiorem congruentiam, vt illius remittatur peccatum, & vt Deus ex eius miſeria motus, naturam aſſumat creatam ad ſatisfaciendum pro illa, convincitur maior congruentia, vt natura humana aſſumatur à Deo, & in illa ſatisfaciat: ergo ſolutio tradita eſt nulla. Probat antecedens; tùm; quia aſſumendo naturam humanam, melius ſervatur in ſatisfactione iuſtitia, quatenus ille, qui peccavit, licèt non individualiter, ſpecificè tamen ſatisfacit. Tùm etiam; quia hoc modo magis potentia Dei oſtenditur, naturam humanam infirmam ad tantam evehendo dignitatē. Tùm deniquè; quia magis inimicus confunditur, Deique potentia monſtratur, eius armis ipſum ſpoliando, quatenus ex Stirpe infecta, illiuſque poteſtati per peccatum ſubiecta, natura aſſumitur, in qua Deus ſubſiſtens, ipſum ſpoliat, & vincit.

15 *Reſpondeo ego.*

Cæterum claritatis gratia, reſpondeò ad replicā, concedendo, rationes prædictas directè ſolum probare, maiorem congruentiam eſſe in homine, vt à peccato redimatur, quam in Angelo; indirectè tamen probant, convenientiùs fuiſſe, aſſumere naturam humanam ad redemptionem hominis à peccato, ob rationes ab Ill. Godoy adductas; conſequenterque per ſuprapoſitas rationes probatur, quod natura humana excedat Angelicā in congruētia neceſsitatis. Argumenta contra iſtā concluſionē adducit, & ſoluit Ill. Godoy §. 2. & 3. inquo videnda relinquo.

16 *Arguitur contra Ill. Godoy.*

Contra ipſum tamen, doctrinæ D. Thomę nitendo, poteſt argui deſtruēdo ſecundam partem concluſionis: nā D. Thomas 3. *part. quæſt.* 4. *artic.* 1. ait: *Reſpondeo dicendo, quod aliquid aſſumptibile dicitur, quaſi aptum aſſumi à Divina perſona, quæ quidem aptitudo non poteſt intelligi ſecundum potentiam paſsivam naturalem, quæ non ſe extendit ad id, quod tranſcendit vnio perſonalis creaturæ ad Deum. Vnde relinquitur, quod aſſumptibile aliquid dicatur ſecundum congruentiam ad vnionem prædictam; quæ*

quidem congruentia attenditur secundum duo in humana natura, scilicet, secundum eius dignitatem, & necessitatem. Sic D. Thomas ad litterã, ex quo sic arguo: assumptibile secundum congruentiã attenditur secundum dignitatem, & necessitatem; sed in his ad invicem excedũtur Angelica, & humana natura: ergo neutra est magis assumptibilis secundum congruentiam. Probatur minor: Angelica natura excedit secũdum dignitatem humanã, & humana excedit secundũ necessitatẽ Angelicã: ergo in dictis cõgruẽtijs ad invicẽ excedũtur Angelica, & humana natura.

§. II.

Naturam irrationalem esse de potentia absoluta assumptibilem, authoritate, & ratione probatur.

17 2. *Concluſ.* *Scotus.* *D. Thom.*

SEcunda conclusio: *Natura irrationalis completa potest de potentia Dei absoluta vniri hypostaticè Deo, & ab ipso assumi in vnitatem suppositi.* Ita Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 1. §. ad 2. argumentum.* D. Thomas *in 3. dist. 2. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 1. & 3. part. quæst. 4. artic. 1. ad 1.* cum quo conclusionem tuetur Ill. Godoy *num. 54.* & nos cum Scoto defendimus; brevitèr tamẽ pertractabimus, quia in hoc litigiũ nõ habemus.

18 *Probatur 1 ex Gregorio Niſeno.*

Probatur primò conclusio authoritate D. Gregorij Nisseni *in Oratione magna, cap. 27.* vbi contra eos, qui asserebant: indecorum esse dicere, Deum corpus assumpsisse terrestre, non autẽ Cœleste, hæc habet: *Nihilo tolerabilior videbitur esse turpido, & dedecus, quod Deus Cœlestis corporis figuram susceperit, quam terrestris; ab eius enim natura, qui altissimus est, ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualitèr subiecta.* Quibus, vt clarè constat, docet Nisenus, corpus etiam Cœleste, & quamvis aliam creaturam, potuisse à Divino Verbo assumi, & rationẽ reddit; quia omnia æqualitèr distãt à Deo & æqualitèr sunt illi subiecta. Quæ doctrina intelligenda est secundum potentiam obedientialem, nam secundum congruentiã non omnia æqualitèr possunt assumi, vt docet Scotus, & cum illo omnes Theologi communiter, quod consonat cum dictis *n. 13.*

19 *Probat. 2. ex Auguſt.*

Probatur secundò aperto Augustini testimonio *tom. 1. de Vera Religione, cap. 16.* illis verbis: *Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat natura, quod non solum visibilitèr (nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato) sed etiam hominibus in vero homine apparuit; ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda:* ergo iuxta Augustinum potuit Verbũ Cœleste naturam assumere, & in illa hominibus apparere; sed natura Cœlestis irrationalis, imò & insensibilis est: ergo potest Deus de potentia absoluta naturã quãlibet irrationalẽ assumere.

20 *Probat. 3. ratione.*

Tertio probatur ratione: ideò natura rationalis potest assumi, quia subsistens est subsistentia ab ipsa separabili, & in Divina subsistentia eminentialitèr contenta; sed etiam natura irrationalis subsistit subsistentia distincta, & ab ipsa separabili, & in Divina subsistentia eminentialitèr contenta: ergo etiã irrationalis natura est assumptibilis à Deo de potentia absoluta. Maior cũ consequentia tenet; Minor autẽ probatur: in primis namque natura irrationalis subsistit in proprio supposito. Quod autem subsistentia propria ab ipsa sit separabilis, patet primò: nam natura rationalis ideò à propria subsistẽtia separabilis est, quia distinguitur realitèr ab illa; sed etiam à natura irrationali propria subsistentia realitèr distinguitur: ergo ab illa potest separari. Secundò: nam id, quod perfectionis est, si à natura perfectiori potest separari, etiam est separabile à natura imperfectiori; sed subsistere perfectionis est in subsistentia, & separari potest à natura rationali, quæ perfectior est, quam irrationalis natura: ergo propria subsistentia separari potest ab irrationali natura.

21 *Probat. 4.*

Quartò probatur conclusio: natura rationalis potest vniri hypostaticè Deo, & ab ipso assumi in vnitatẽ suppositi: ergo etiam natura irrationalis potest vniri hypostaticè Deo, & ab ipso in vnitatem suppositi assumi. Antecedens ita est certum, vt factum sit de fide ex dictis *num. 8.* Consequentia probatur: nam ratio probans, quod natura rationalis potest vniri hypostaticè Deo, & ab ipso assumi in vnitatem suppositi, convincit etiam, quod natura irrationalis potest vniri hypostaticè Deo, & ab ipso in vnitatem suppositi assumi; sed iuxta concessa, imò iuxta fidem, natura rationalis potest

vniri hypostatice Deo,& ab ipso assùmi in vnitatem suppositi: ergo etiam natura irrationalis potest hypostaticè vniri Deo, & ab ipso assumi in vnitatem suppositi. Minor,& consequentia tenent. Maior autem manifestè apparebit per rationem,quā pro assumptibilitate naturę rationalis assignare velint,qui conclusioni contrarientur.

22 *Probat. 5.* Probatur quintò conclusio: natura irrationalis est subsistens propria subsistentia: ergo potest loco illius Divina subsistentia substituī: ergo de potentia Dei absoluta potest natura irrationalis vniri hypostaticè Deo, & ab ipso assùmi in vnitatem suppositi. *Confirm.* Confirmatur, & vrgetur: subsistentia Verbi Divini est independens independentia opposita dependentiæ naturæ irrationalis: ergo potest terminare dependētiam illius: ergo natura irrationalis est à Verbo Divino assumptibilis.

23 *Probat. 6* Sextò probatur conclusio,& certè ratione efficacissima,vt ait Ill. Godoy *num.* 64. nam corpus Christi post mortem mansit in sepulchro cum Verbo Divino substantialitèr vnitum; & tamen Corpus Christi post mortem fuit irrationalis naturæ: ergo natura irrationalis capax est vnionis substantialis cum Deo. Consequentia tenet. Maior constat. Primò: ex illo communi axiomate asserente: *Verbum nunquam, quod semel assumpsit, reliquisse*, quod quantū ad partes principales omnes admittunt: ergo corpus, quod est vna ex partibus principalibus naturæ humanæ, nunquam fuit à Verbo dimissum; & consequentèr illi vnitum mansit in sepulchro. Secundò: nam est de fide, Christum pro nobis sepultum fuisse, vt constat ex illis verbis: *Passus, & sepultus est*; sed hoc verum esse non potest, nisi Verbum vnitū alicui ex partibus humanæ naturæ per vnionem substantialem, fuerit in sepulchro: ergo Verbum, vt vnitum substantialitèr alicui humanę naturæ parti, mansit in sepulchro; sed non, vt vnitum animę, nā sic descendit ad inferos: ergo vnitum substantialitèr corpori. Minor etiam constat: nam corpus Christi in sepulchro non erat naturæ viventis: ergo nec sensibilis, nec rationalis.

24 *Probat. 7.* Probatur denique conclusio: nam quod contradictionem non implicat, est Deo possibile de potentia absoluta; sed assumptio naturæ irrationalis à Deo in vnitatem suppositi contradictionem non implicat: ergo est Deo de potentia absoluta possibilis: ergo natura irrationalis potest vniri hypostaticè Deo,& ab ipso assumi in vnitatē suppositi. Secunda consequentia ex prima evidenter infertur. Prima autē ex præmissis. Ex his verò maior est omnibus manifesta. Minor autem, in qua solū est difficultas, probatur: quia non implicat ex parte Dei assumentis; sed neque ex parte naturæ irrationalis: ergo assumptio naturæ irrationalis à Deo in vnitatem suppositi contradictionem non implicat. Consequentia tenet. Maior patet. Primo: nā vis assumptiva Dei est per essentiam infinita, ac proinde ex parte illius assumptio naturæ irrationalis repugnare non potest. Secundo: nam alioquin assumptio naturæ rationalis à Deo in vnitatem personę contradictionē implicaret ex parte Dei, quod nefas est. Minor claret: tùm; ex rationibus assignatis pro conclusione. Tùm etiam; vt more scholastico proceditur, ex solutione argumentorum apparebit.

Ex his pro nostra conclusione rationibus, tertiā tradit Ill. Godoy *n.* 57. quæ verò ad illam responderi potest, adducit *num.* 58. & per sequentia vsque ad *num.* 64. reijcit. Tradit etiam sextam rationem *n.* 64. & quę ad illam contrarij respondent, adducit *num.* 65. & per sequentia vsque ad *num.* 70. refellit. Ex cæteris autem rationibus à nobis traditis, quid ad quartā, & quintam respondere valeant, nescio; quod verò valent ad vltimā respondere, impugnabimus, rationes illius solvendo. 25

Contra dictam conclusionem arguunt oppositi Authores ab authoritate, & à ratione. Argumenta ex authoritate deducta tradit, & soluit Ill. Godoy à *num.* 70. *vsque ad* 88. in quo vtrumque videndum relinquo. Argumenta verò ex ratione desumpta latè adducit, & soluit à *num.* 88. *vsque ad num.* 119. A nobis autem quatuor sunt brevitèr proponenda, & solvenda, vt vltima nostra probatio cum reliquis efficax appareat. 26

27 *Arguitur* 1 Arguitur primò: esse est proptèr operari; sed natura irrationalis nō potest habere operationes supernaturales, scilicet, visionem, & fruitionem: ergo nec habere potest esse supernaturale. Atqui subsistere naturam irrationalem per subsistentiam Verbi est naturam irrationalem habere esse su-

per-

pernaturale ; subsisteret namque subsistentia supernaturali : ergo cum natura irrationalis nequeat habere esse supernaturale, nequit à Verbo terminari, & consequentèr nec ab illo assumi in vnitatem suppositi. Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: esse est proptèr operari, secutum ad esse concedo maiorē; esse est proptèr operari, repugnans ad esse nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam ; vel illam distinguo: ergo natura irrationalis non potest habere esse supernaturale personale concedo consequentiam; esse supernaturale suppositale nego consequentiā. Ex quo distinguo sussumptam: subsistere naturam irrationalē per subsistentiam Verbi, est naturam irrationalem habere esse supernaturale suppositale concedo sussumptam; personale nego minorem, & hac distinctione suppositа, nego suppositum consequentis.

Respondeo.

28 *Explicatur solutio.*

Itaquè ex eo, quod natura irrationalis nequeat habere operationes illas supernaturales, scilicet, visionem, & fruitionem, & consequentèr non sit ad illas elebabilis, quia operationes prædictæ sunt ita propriæ naturæ rationalis, vt ad esse naturæ irrationalis repugnent; non infertur, quod natura irrationalis non sit elebabilis ad esse suppositale supernaturale, sed dumtaxat infertur, quod non sit elebabilis ad esse supernaturale personale, ad quod secuntur operationes prædictæ, quod libentèr fatemur, & infrà cum Scoto defendemus, ex quo nihil contra nostram conclusionem.

29 *Arguitur 2.*

Arguitur secundò: *qui non potest ad minus, non potest ad magis*; sed vniri hypostaticè cum Deo, ab ipsoque assumi in vnitatem suppositi est magis, quam Deum videre, Deoque frui: ergo qui no potest Deum videre, Deoque frui, nec potest hypostaticè vniri cū Deo, ab ipsoque assumi in vnitatem suppositi. Atqui natura irrationalis non potest Deum videre, Deoque frui: ergo nec potest hypostaticè vniri cū Deo, ab ipsoque assumi in vnitatem suppositi. Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: qui non potest ad minus, non potest ad magis, si sunt eiusdem ordinis concedo maiorem; si sunt diversi ordinis nego maiorem, & omissa minori, nego consequentiam. Concedo sussumptum, & nego consequentiam. Ratio autem solutionis sequenti apparebit retorsione.

Respondeo.

30 *Retorqueo argumentū*

Retorqueo argumentum, ex hacque retorsione plures in plura formētur retorsiones: qui non potest ad minus, non potest ad magis; sed raciocinare est magis, quam volare: ergo qui non potest volare, non potest raciocinare. Atqui homo non potest volare: ergo homo non potest raciocinare, quod est contra omnes; vnde solutio ad retorsionem erit ad argumentum responsio, si solutione data illius factores quiescere nolint.

31 *Arguitur 3.*

Arguitur tertio: vnio hypostatica est forma sanctificans: ergo natura irrationalis est incapax vnionis hypostaticæ. Probatur consequentia: natura irrationalis est incapax sanctitatis: ergo & vnionis hypostaticæ. Probatur consequentia: quod est incapax sanctitatis, est incapax vnionis hypostaticæ; sed iuxta concessa natura irrationalis est incapax sanctitatis: ero etiam vnionis hypostaticæ. Minor, & consequentia tenent. Maior autem probatur: quod est incapax effectus formalis formę, est incapax ipsius formę; sed sanctitas est effectus formalis vnionis hypostaticæ: ergo quod est incapax sanctitatis, est incapax vnionis hypostaticæ. Respondeo primò: hoc argumentum in falsa omninò niti doctrina; falsum itaque omninò est, quod vnio hypostatica sit forma sanctificans, vt cum Scoto tenent omnes Scotistæ, imò cum hac veriori Scotistarum sententia hoc docet etiam Ill. Godoy *disp.* 21. §. 3. de quo agit ibi. Vnde negato antecedenti totū ruit argumētum, & hæc est prima illius solutio.

Respondeo 1.

32 *Respondeo 2.*

Respondeo secundò distinguendo antecedens: vnio hypostatica est forma sanctificans in ordine ad cultum, & reverentiam concedo antecedens; in ordine ad beatitudinem nego antecedens, & consequentiam, ad cuius probationem distinguo antecedens: natura irrationalis est incapax sanctitatis in ordine ad beatitudinem concedo antecedens; in ordine ad cultū, & reverentiam nego antecedens, & consequentiam, ad cuius probationē distinguo maiorem: quod est incapax sanctitatis in ordine ad beatitudinem, & cultum, seu reverentiā, est incapax vnionis hypostaticæ concedo maiorem; quod est incapax sanctitatis in ordine ad beatitudinem tantum nego maiorem, distinguo distinctione data

minorem,& nego consequentiã. Vndè licèt natura irrationalis non esset sancta sanctitate in ordine ad beatitudinem;esset tamen sancta sanctitate in ordine ad cultum , & reverentiam; nam esset ratione vnionis speciali adoratione digna , vt clarè constat in corpore Christi in triduo mortis.

33 *Respondeo 3.* Respondeo tertiò, omisso antecedenti,negando consequentiam,ad cuius probationem concesso antecedenti nego etiam consequentiam ; ad huiusque probationem nego maiorem; & ad illius probationẽ distinguo maiorem: quod est incapax effectus formalis primarij formæ, est incapax ipsius formæ prætermitto maiorem;effectus formalis secundarij nego maiorem;& sub eadem distinctione minoris nego consequentiam ; cuius ratio traditur ab Ill. Godoy *num.* 107. nam persona Verbi vnita naturę creatæ non habet pro effectu formali primario,illam gratam,& sanctam constituere, sed illam reddere subsistentẽ: vndè natura capax huiuscemodi effectus,vel quasi effectus formalis, & si incapax sit sanctitatis, capax est vnionis cum Verbo,& cũ quavis alia persona; stat enim capacitas subiecti ad formam cum incapacitate ad effectum secundarium formalem.

34 *Arguitur 4.* Arguitur quartò: si natura irrationalis vniretur hypostaticè Deo , & ab ipso in vnitatem suppositi assumeretur,Deus vocaretur Asinus,Canis &c. atqui indecens esset Deo,quod vocaretur Asinus , Canis &c. ergo natura irrationalis nequit vniri hypostaticè Deo,nec ab ipso in vnitatem suppositi assumi. *Respondeo.* Respondeo ad argumentum concessa maiori distinguendo minorem : indecens esset Deo , indecentia negativa,quod vocaretur Asinus,Canis &c. concedo minorem;indecentia positiva nego minorẽ , & consequentiam. Alia itaquè est indecentia negativa, & alia positiva indecentia. Indecentia negativa est non decentia, quã haberet Deus,si in vnitatem suppositi assumeret naturam irrationalem. Indecentia positiva est imperfectio, quã data hypotesi Deus nõ haberet; ideoque non repugnat, Deum sibi hypostaticè vnire naturam irrationalem.

35 *Quæres. Respondeo.* Si autem quæras:an casu,quo Verbum naturam irrationalem assumeret,illam personaret? Respondeo negativè cum Scoto *in 3. dist. 2. quæst. 1. §. ad istud*,& ratio sumitur ex differentia suppositi à persona ; suppositum namque , & persona solum differunt pœnes fundamentum;ideest, pœnes naturam,quam connotant , vt claret ex eorum diffinitionibus; vndè differunt in hoc : quod suppositum connotat quamcumque naturam substantialẽ; persona vero connotat pręcisè naturam intellectualem. Ex quo talis formatur ratio: persona connotat præcisè naturam intellectualem ; sed casu , quo Verbum naturam irrationalem assumeret , natura assumpta, quam connotaret Verbum , irrationalis maneret , quin transire possit in naturam intellectualem : ergo casu, quo Verbum naturam irrationalem assumeret , illam non personaret.

36 *Difficultas quædam: an natura humana sit magis assumptibilis qualibet alia natura?* Pro complemento tamen huius primę partis disputationis investiganda venit quædam alia difficultas,scilicèt , an natura humana sit magis assumptibilis à Verbo , quam quælibet alia natura ? Ad hanc difficultatem examinandam me movet , quod aliquando vidi in quibusdam publicis conclusionibus cuiusdam Patris ex Dominicana familia , qui inter cæteras conclusiones disputandas,has duas priores posuit : *Prima conclusio: convenientius fuit, Verbum assumere naturam humanam , quam quamlibet aliam naturam. Secunda conclusio : natura humana est magis assumptibilis qualibet alia natura.* Hoc igitur est motivum assumendi hanc difficultatem, à qua brevitèr me expediam,proponendo,quæ contra secundam conclusionem prædicti Theologi invenio.

37 *Resolvitur difficultas.* Respondeo igitur ad difficultatem propositam negativè,& probatur primo:naturam humanam esse assumptibilem , est habere capacitatem ad assumptionẽ;sed hæc capacitas æquè reperitur in natura humana , Angelica,& irrationali:ergo natura humana non est magis assumptibilis.Probatur minor:ideò in natura humana est capacitas ad assumptionem , quia realitèr distinguitur à propria personalitate ; sed hæc distinctio æquè reperitur in Angelica , & irrationali : ergo capacitas ad assumptionem æquè reperitur in natura humana , Angelica , & irrationali.

38 *Respondebis.* Respondebis distinguendo primum consequens:ergo natura humana non est magis assumptibilis , assumptibili-

tate

tate absoluta concedes consequentiã; assumptibilitate secundum congruentiam negabis consequentiam. Contra primò: ergo natura humana non est magis assumptibilis qualibet alia natura creata assumptibilitate absoluta: ergo hæc propositio: *natura humana est magis assumptibilis qualibet alia natura creata*, absolutè est falsa. Atqui à Theologo prædicto ponitur, vt absolutè vera: ergo ponitur, vt verum absolutè, quod absolutè est falsum. Probatur sussumpta: in prima conclusione asserit: naturam humanam esse magis assumptibilem secundum congruentiam, his verbis: *Convenientiùs fuit, Verbum assumere naturam humanam*; sed in secunda conclusione asserit: *naturã humanam esse magis assumptibilem*: ergo loquitur de assumptibilitate absoluta; alioquin secunda conclusio esset eadem cum prima: ergo hæc propositio: *natura humana est magis assumptibilis qualibet alia natura creata*, à Theologo prædicto ponitur, vt absolutè vera.

Contra 1.

39 Contra secundò: naturam humanã esse magis assumptibilem, assumptibilitate secundum congruentiam, non est, naturam humanam esse magis assumptibilem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: naturam humanã esse magis assumptibilem secundum congruentiã, dumtaxat est, esse congruentiam, vt potiùs humana, quam alia natura, assumatur; sed hoc non est, naturam humanam esse magis assumptibilem: ergo naturam humanam esse magis assumptibilem, assumptibilitate secundum congruentiam, non est, naturam humanã esse magis assumptibilẽ. Probatur minor: esse congruentiam, vt potiùs sexus virilis, quam muliebris, assumatur, non est, sexum virilem esse magis assumptibilem, quam muliebrem: ergo pariter: esse congruẽtiam, vt potiùs humana, quam alia natura, assumatur, non est, naturam humanam esse magis assumptibilem.

Contra 2.

§. III.

Circa secundam disputationis partem, relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

40 CIrca secundum, quod in disputatione in examen vocavimus, nempè, an natura accidentalis possit Deo hypostaticè vniri, vt extra cõtroversiam, & omninò certum, supponimus primò: posse accidens cum Deo vnione mediata vniri. Quod patet: nam defacto omnia hominis communia accidẽtia, media humanitate, sunt Verbo Divino vnita: ergo mediatè sunt vnibilia. Disidium ergo relinquitur circa immediatam vnionem. Supponendum est secundò: personam Divinam habere rationem personæ, suppositi, subsistentiæ, & termini sustentantis, vndè potest personare naturã, quæ personabilis est, suppositare, quæ suppositabilis est, & sustentare naturã, quæ petit terminum extrinsecum, vt sustentetur. Supponendum est tertiò: accidens, vt notat Doctor Subtilis *in 3. dist. 1. quæst. 1. §. de primò vers.*, dicere duplicem respectum ad subiectũ. Primus est terminati, & sustentati ad terminans, & sustentans. Secundus verò est inhærentis ad id, cui inhæret.

Suppono 1.

Secundò.

Tertiò.

Quartò, vt extra controversiam, & omninò certum, supponimus: accidẽs relativũ non posse immediatè à Verbo assumi. Quod patet: nam in tantũ aliqui concedunt, accidens absolutum posse à Verbo immediatè assumi, in quantum separatum à subiecto; sed accidens relativum nequit à fundamento separari, & separatum conservari: ergo accidens relativum nequit immediatè à Verbo assumi. Restat igitur difficultas de accidente absoluto.

41 *Quartò.*

De quo, varijs Theologorum sententijs relictis, triplicem assertionem statuit Ill. Godoy. Primam tradit *num.* 124. in ipsaque asserit: accidens non posse assumi à Deo, vt illius subsistentia subsistat. Secundam adducit *n.* 148. in ipsaque tenet: accidens non posse immediatè vniri Deo, vt extremo, & puro termino vnionis. Tertiam tradit *num.* 174. in qua docet: non repugnare accidens vniri immediatè cum existẽtia Divina. Ex hac triplici conclusione ab Ill. Godoy statuta, tertia falsa est, & etiam secunda. Prima verò in bonum sensum intellecta, vera est; sed quia intentum Ill. Godoy in prima, & secunda conclusione est negare: posse accidens immediatè vniri cum Divina subsistentia; ne ab intento deficiamus, duplicem conclusionem, comprehendentem triplicem Ill. Godoy, illique è regione oppositam, statuam. Sit ergo contra ipsum.

42 *Sententia Ill. Godoy.*

Prima conclusio: *potest accidens vniri immediatè cum Divina subsistentia.*

43 *Prima conclusio.*

Sic

Scotus. Sic Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 1. §. de primò versiculo. Et licèt. Et dist. 22. Et quodlib. 19. § secundò potest.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num. antecedenti cit.* & probatur primò: accidens namq; dicitad subiectum duplicem respectũ ex dictis *num.* 40. primus est sustentificati ad sustentificans, qui non dicit imperfectionem. Secundus est inhærentis ad id, in quo inhæret, qui dicit imperfectionem: ergo licèt secundus respectus repugnet Verbo, non tamen primus: ergo poterit Verbo convenire: ergo potest accidens immediatè vniri cum Verbi subsistentia. Hæc est principalis ratio, qua nititur Scoti doctrina, quam certè in sensu ab Scoto valdè diverso in præsenti sumit Ill. Godoy, quod, vt appareat, argumentũ, quod contra se sibi obijcit, ex doctrina Scoti deductum, ad litteram transcribo.

Probatur 1

44 *Arguit se Ill. Godoy.* Sic itaquè se arguit *num.* 162. potest Deus vniri cum accidente in ratione subiecti sub conceptu sustentantis: ergo potest accidens immediatè Deo vniri. Consequentia tenet. Antecedens autem ostẽdit. Primò: potest namquè Deus supplere omnem causam extrinsecam; sed subiectum, vt sustentans, est causa extrinseca accidẽtis: ergo potest supplere causalitatem subiecti, vt sustentantis; & consequentèr potest vniri cum accidenti, vt subiectum in ratione sustentantis. Secundò probat antecedens: nam licèt receptio sit imperfectio in subiecto, ratio sustentantis imperfectio non est; sed Deus potest vniri sub omni ratione, non dicente imperfectionem; vndè vnitur in ratione sustentantis humanitatem, quia in conceptu sustentantis non involuitur imperfectio. Et similitèr vniri potest, & defacto vnitur mentibus Beatorũ, vt species, & terminus determinans intellectum, quia in ratione determinantis sub munere speciei imperfectio non clauditur: ergo potest Deus vniri cum accidenti in ratione subiecti sub conceptu sustentantis.

Anteced. probat. 1.

Secundò.

45 *Respondet ad* 1. *prob.* Respondet *num.* 163. negãdo antecedens, & ad primam probationem distinguit maiorem: potest supplere omnem causam extrinsecam in eodẽ genere causæ negat maiorem; in eodẽ vel in alio, transeat maior, & concessa minori, distinguit consequens: potest supplere causalitatem subiecti, gerendo munus subiecti, vel in genere causæ subiectivę, quę materialis est, negat consequentiam; in genere causæ efficientis concedit consequentiam. Ex quo non sequitur, quod possit per modum subiecti cum accidenti vniri, nã ad hoc necessùm erat, quod suppleret causalitatem sustentativam subiecti in eodem genere causæ, scilicèt, subiectivæ, & materialis, quod implicat; sicut ex eo, quod supplere possit causalitatem dispositionum in genere causæ efficientis, producendo formã sine prævijs dispositionibus, non sequitur, posse vniri per modum dispositionis formalitèr disponentis ad formã.

46 *Ad secundam.* Ad secundam respondet *num.* 164. distinguendo maiorem: ratio sustentantis non est imperfectio ex conceptu communi, abstrahente à sustentatione effectiva, purè terminativa, & subiectiva concedit maiorem; subiectiva sustentatione negat maiorem, & concessa minori negat consequentiã: sed tantum infertur, posse Deum cum accidenti vniri, vt causa efficiens sustentans, in qua vnione nulla imperfectio importatur; non autem quod possit vniri, vt sustentans sustentatione purè terminativa; nã iste modus vnionis repugnat naturę accidentis; nec vt sustentans sustentatione subiectiva; quia in hac sustentatione includitur imperfectio, eo, quod, quamvis munus sustentantis subiectivè non exprimat imperfectionem receptionis, illã tamen essentialitèr includit, eo, quod sustentatio subiectiva non potest ab effectiva, & purè terminativa in alio distingui, quã in eo, quod includat, & exigat receptionẽ formæ sustentatæ.

47 *Si opponas* Si autem opponas: potest dari subiectum subsistentans formam sine illius receptione; sed receptione sublata, omnis imperfectio excluditur: ergo vnio per modum subiecti potest ab omni imperfectione depurari: ergo poterit Deus rationẽ subiecti respectu accidentis sortiri, & cum illo immediatè vniri. Vtraque consequentia est legitima. Minor constat; nam secluſa receptione, solum remanet, vel conceptus sustentationis effectivæ, vel purè terminativæ, in quibus nulla imperfectio relucet. Maior ostẽditur primò: nam sustentare, & recipere accidens, sunt in subiecto munera distincta: ergo potest dari subiectum sustentans formam sine illius receptione. Secundò probatur maior: nam licèt subsistentia creata sustentet propriam natu-

Probatur maior 1.

Secundò.

ram,

ram,& in illa recipiatur, potest subsistentia Divina vniri cum natura creata sub conceptu sustentantis, & illam realiter sustentare absque eo,quod recipiatur in illa:ergo pariter: quamvis subiectum creatum sustentet accidens, illud in se recipiendo, poterit competere Deo munus subiecti sustentantis, absque munere recipientis, & vniri cũ accidẽti creato,vt subiectũ sustẽtationis,absque illius receptione.

48 *Respondet Ill. God y.*

Ad hanc impugnationem respondet Ill.Godoy *num.*167.negando maiorem;quia secluſa receptione à subiecto, non est, per quid distinguatur sustentatio subiectiva ab effectiva, & purè terminativa, quæ convenit subsistentiæ:sicut secluſio respectu ad terminum,non est,per quid distinguatur in relativum ab inhærentia accidentis absoluti;ac proinde implicat subiectũ sustentationis absque receptione formæ. Et ex his ad primam probationẽ constat solutio:licèt namquè illa munera distinguantur, non tamen potest munus sustentantis subiectivè sine receptione formæ inveniri, eo, quod sine illius inclusione, & exigentia non est,per quid à sustentatione effectiva, & purè terminativa distinguatur.

Ad 1. probationem maioris.

49 *Ad 2.*

Ad secundam probationem maioris respondet *num.*169.concesso antecedenti,negando consequentiam.Ratio discriminis est:nam licèt subsistentia creata terminet propriam naturã, & in illa recipiatur, hoc secundum de materiali illi convenit,attenta formali ratione subsistentiæ substantialis, quia potest sustentatio, provt est propria subsistentiæ, & ab alijs modis sustentandi distincta intelligi,& inveniri: Cæterum receptione subiectiva secluſa,non manet sustentatio subiectiva, vt ab alijs modis sustentandi distincta; & ideò non potest dari subiectum solius sustentationis, obtinens veram subiecti rationem.

50 *Argumentum instat Ill. Godoy.*

Et quidem eodem argumento (inquit Ill.Godoy *num.*168.) probaretur, posse Deum vniri cum forma substantiali sub conceptu materiæ sub munere sustentantis, quod nescit, an aliquis ex nobis sit concessurus,nec hucusquè admissum vidit. Quod autem sequatur,patet: nam etiam in materia munus sustentantis formam,& munus recipientis distinguntur,potestque receptio formæ sine illius sustentatione quoad substantiam inveniri:ergo si ex his præmissis inferimus: posse Deum vniri, vt subiectum purè sustentans, secluſa receptione; pariter inferre possumus: Deum vniri posse per modum materiæ cum forma substantiali sub solo munere sustentantis sine receptione formæ.

51 *Doctrina Ill. Godoy. non est ad rem.*

Hæc est doctrinaIll.Godoy,qua vti potest ad solvendam nostram probationem;ex illa tamen(prætermissa adhuc illius probabilitate,de qua in præsenti non curamus) manifestè appareat: in sensu ab Scoto valdè diverso illius doctrinam sumere;Scotus namquè non intendit, nec vnquã docuit, quod dato casu,quod accidens immediatè vniretur cum Divino Verbo, Verbum esset subiectum accidentis; sed dumtaxat docet, quod in tali casu Verbum terminaret accidens per modum puri termini, quod non est sustentare illud sustentatione subiectiva, in quo vnicè nititur Ill. Godoy, vt Scoti veritati adversetur; vndè non est ad rem, nec doctrina ad solutionem nostræ probationis deserviens, nec instantia contra nos facta.

52 *Probat. 2. concluſio.*

Quare doctrina Ill.Godoy admissa, contra ipsum ratio Scoti declaratur, & secundò nostra probatur concluſio: licèt non possit Deus vniri cum accidente sub conceptu sustentantis sustentatione subiectiva; potest tamen cum illo vniri sub conceptu sustentantis sustentatione purè terminativa: ergo potest accidens immediatè Deo vniri.Consequentia est evidens.Antecedens verò ex dictis ab Ill.Godoy ad hominem contra ipsum probatur primò: ideò Deus non potest vniri cum accidente sub conceptu sustentationis sustentatione subiectiva, quia subiectiva subsistentatio includit imperfectionem; sed sustentatio purè terminativa imperfectionem non involuit: ergo licèt Deus non possit vniri cum accidente sub conceptu sustentantis sustentatione subiectiva;potest cum illo vniri sub conceptu sustentantis sustentatione purè terminativa. Consequentia legitimè infertur ex præmissis. Ex his autem maior est doctrina Ill. Godoy *num.* 164. & 167. vt vidimus *num.*46. & 48.

Antecedẽs probatur 1. ad homin. contra Ill. Godoy.

Minor verò etiam ex ab ipso dictis probatur: ideò subiectiva sustentatio imperfectionem involuit,quia munus sustentandi subiectivè inveniri non potest sine receptione formæ;sed mu-

Minor etiã ad hominẽ contra ipsũ probatur.

nus ſuſtentandi purè terminativè ſine receptione formę invenitur: ergo ſuſtentatio purè terminativa imperfectionem non involuit. Conſequentia eſt legitima. Maior certa. Primò: nam ſi à ſuſtentatione ſubiectiva tolleretur receptio, omnis imperfectio excluderetur. Secundò: quia alioquin ſuſtentatio ex conceptu communi abſtrahente à ſuſtentatione effectiva, purè terminativa, & ſubiectiva, imperfectionem involueret, quod eſt contra Ill. Godoy *num.* 164. Minor probatur: ſuſtentatio ſubiectiva per receptionē formæ diſtinguitur à ſuſtentatione purè terminativa; ſed hoc eſſet falsū, ſi munus ſuſtentandi purè terminativè non inveniretur ſine receptione formæ: ergo munus ſuſtentandi purè terminativè ſine receptione formæ invenitur.

53 *Probat. 2. etiam ad hominem contra ipſum.*

Probatur ſecundò ſuprà poſitū antecedens ad hominem etiam contra Ill. Godoy: licèt non poſsit ſubſiſtētia Divina gerere vices ſubſiſtentiæ partialis, quantum ad rationē partis; poteſt tamen gerere vices ſubſiſtentiæ partialis quoad conceptum ſubſiſtentiæ ſine imperfectione partis: ergo ſimiliter: licèt non poſsit Deus vniri cū accidente ſub conceptu ſuſtentantis ſuſtentatione ſubiectiva; poteſt cū illo vniri ſub conceptu ſuſtentantis ſuſtentatione purè terminativa. Antecedens eſt Ill. Godoy *num.* 272. Conſequentia paritate rationis eſt certa, & probatur primo: non minus repugnat Divinæ ſubſiſtentiæ ratio partis, ac Deo repugnat ratio ſubiecti; ſed primū non obſtat, vt Divina ſubſiſtentia poſsit gerere vices ſubſiſtentiæ partialis quoad conceptum ſubſiſtentiæ ſine imperfectione partis: ergo nec obſtat ſecundū, vt poſsit Deus vniri cum accidente, quoad conceptum ſuſtentationis ſine imperfectione ſubiecti. Secundò probatur dicta conſequentia: ſicut ſubſiſtentia partialis, qua partialis, dicit imperfectionē; ità ſuſtentatio ſubiectiva, qua ſubiectiva, imperfectionem involuit; atqui imperfectio partialitatis nō obſtat, vt Divina ſubſiſtentia poſsit gerere vices ſubſiſtentiæ partialis quoad conceptum ſubſiſtentiæ ſine imperfectione partis: ergo nec imperfectio ſubiectionis obſtabit, vt poſsit Deus vniri cum accidente, quoad conceptum ſuſtentationis.

Probatur conſequentia 1.

Secundò.

54 Reſpondebit Ill. Godoy ad hanc probationem pro noſtra concluſione' quod adducit ipſe *n.* 164. ſcilicèt: quod modus vnionis Dei cum accidēte ſub conceptu ſuſtentationis purè terminativæ repugnat naturæ accidentis. Vndè in forma reſpondebit negando antecedens, ad cuius primā probationē conceſſa maiori, diſtinguet minorem: ſuſtentatio purè terminativa imperfectionem non includit, nec repugnat naturæ accidentis negat minorem; & naturæ accidentis repugnat concedit minorem, & negat conſequentiā. Ad ſecundam reſpondebit conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius vtrāmque probationē negabit conſequentiam, cuius diſparitas eſt: quod Divinæ ſubſiſtentiæ non repugnat, gerere vices ſubſiſtentiæ partialis; accidenti verò repugnat ſuſtentatio, quæ ſubiectiva non ſit.

Reſpōdebit Ill. Godoy.

55 *Solutio petit principium.*

Cæterum ſi ſic reſpondet, principiū petit manifeſtè; aſsignet namquè rationem, cur accidenti repugnet ſuſtentatio, quæ ſubiectivà non ſit; & non repugnet ſubſiſtentiæ partiali ſupletio ſubſiſtentiæ, quæ partialis non ſit? Vndè, re benè inſpecta, paritas ſemper vrget, & allatam reſponſionem deſtruit; vndè paritate ipſa impugnatur ſolutio: non repugnat ſubſiſtentiæ Divinę ſupplere vices ſubſiſtentiæ partialis quoad conceptum ſubſiſtentiæ ſine imperfectione partis: ergo non repugnat Divinę ſubſiſtentię ſupplere vices ſubiecti ſuſtentantis quoad conceptū ſuſtentantis ſine imperfectione ſubiecti. Antecedens eſt Ill. Godoy *num.* 272. Conſequentia eſt paritate certa, & probatur, vt probata manet *n.* 53. Ex hac paritate ad hominem contra ipſum falſitas apparet ſolutionis datæ, & evaneſcet etiam per ſolutionem argumentorum, ex quibus Ill. Godoy talem inferre repugnantiam connatur; per ſequenteſque probationes refutabitur etiam.

Impugnatur ad hominem cōtra ipſum.

56 *Probat. 3. concluſio, & impugnatur ſolutio Ill. Godoy.*

Probatur tertiò concluſio, & impugnatur ſolutio Ill. Godoy: accidens quoad ſuſtentificari, ab inhærentia præſcindendo, eſt in perfecta potentia obedientiali in ordine ad Deum: ergo poteſt immediatè à Verbo aſſumi ſine inhærentia illius in Verbo: ergo nō repugnat, quod accidens vniatur immediatè cum Divina ſubſiſtentia: ruit ergo ſolutio Ill. Godoy. Secunda, & tertia conſequentia ex prima inferuntur. Prima autē claret: nā ideò quęli-

bet

bet natura subſtantialis poteſt immediatè à Verbo aſſumi, quia eſt in perfecta potentia obedientiali in ordine ad Deum: ergo ſi accidens quoad ſuſtentificari, ab inhærentia præſcindendo, eſt in perfecta potentia obedientiali in ordine ad Deum; poterit immediatè à Verbo aſſumi, ſine inhærentia illius in Verbo. Antecedens vero probatur: natura ſubſtantialis quoad ſuſtētificari, à receptione præſcindendo, eſt in perfecta potentia obedientiali in ordine ad Deum: ergo paritèr: accidens quoad ſuſtentificari, ab inhærentia præſcindendo, eſt in perfecta potentia obedientiali in ordine ad Deum.

Confirmatur 1. Confirmatur primò, & augetur difficultas: natura humana eſt de facto immediatè à Verbo aſſumpta, quin Verbum informet naturam humanā, & quin natura humana recipiatur in Verbo: ergo poteſt accidens immediatè aſſumi, quin Verbum recipiat accidens, & quin accidens inhæreat Verbo. *Confirmatur 2.* Confirmatur ſecundò, & vrgetur: nam ſi natura perfecta ita eſt in potentia obedientiali, vt ei non repugnet ſuſtentificari alieno ſuppoſito ſine imperfectionibus, quibus ſuppoſito proprio ſuſtentificatur: ergo multo minus repugnabit accidenti, ſuſtentari alieno ſuppoſito ſine imperfectionibus, quibus à ſubiecto proprio ſuſtentatur. Probatur conſequentia: accidens magis dependet quoad ſuſtentificari, quam natura perfecta, ſcilicet, ſubſtantia completa: ergo ſi natura perfecta ita eſt in obedientiali potentia, vt ei non repugnet ſuſtentificari ſuppoſito alieno ſine imperfectionibus, quibus ſuſtentificatur ſuppoſito proprio, multo minus accidenti repugnabit.

57 *Reſpondet Ill. Godoy.* Ad hanc noſtram probationem ex paritate naturę ſubſtantialis deſſumptam, nihil reſpondet Ill. Godoy, niſi, quod reſponſum habet *num.* 169. & nos tranſcriptum habemus *num.* 49. Quod tamen non eſſe ad rem, declaravimus *num.* 51. ex ipſiuſque doctrina ad hominem contra ipſum impugnavimus *num.* 52. & 53. Vltra quod prætermittendum non eſt: Ill. Godoy ſolutione prædicta optimè reſpondere argumento ab ipſo facto, ſcilicet, argumento ab ipſo adducto *num.* 165; Cęterum advertendum maximè eſt, voluntariè omninò argumentum formaſſe, vt illa ſolutione illi ſatisfieret; nos enim argumenta pro noſtra concluſione non ita formamus ex dictis *num.* 51. nec ita formatum vidit Ill. Godoy in Caſtillo, quem citat *num.* 121. pro oppoſita ſententia, imò nec in Pitigiano, nec in Fabro, quos Caſtillo citat, & de quo mentionem facit Ill. Godoy *num. citat.*

58 *Amplius declaratur innutilitas ſolutionis.* Suprà hoc autem adhuc magis mirum eſt, quod Ill. Godoy argumentum efformet de ſubiecto ſuſtentante, vt ſolutione prædicta veram facere intentet ſuam concluſionem; argumentum namquè non procedit contra concluſionem, quod evidentèr (meo videri) oſtendo: nam concluſio, contra quam procedit argumentum, ad quod tribuit Ill. Godoy ſolutionē prædictam, eſt hæc: *accidens non poteſt immediatè vniri Deo, vt extremo, & puro termino vnionis*; atqui argumentum non procedit de extremo, & puro termino vnionis: ergo argumentum non procedit contra concluſionem. Declaratur hoc: Concluſio, contra quam procedit argumentum, loquitur de puro termino vnionis, ſeu de ſuſtentatione purè terminativa; ſed argumentū loquitur de ſuſtentatione ſubiectiva: ergo argumentum non procedit contra concluſionem. Præmiſſæ ſunt certæ. Conſequentia vltra hoc, quod legitimè infertur, conſtat ex doctrina Ill. Godoy qui *n.* 164. & 167. ſuſtentationem ſubiectivam à purè terminativa diſtinctam cognoſcit.

59 *Probat. 4. concluſio, & impugnatur ſolutio Ill. Godoy.* Probatur quartò concluſio, & impugnatur ſolutio Ill. Godoy: omne dependens poteſt terminari ad independens independentia oppoſita ſuæ dependentiæ; ſed accidens eſt dependens dependentia ſuſtentativa: ergo poteſt terminari ad independens independētia ſuſtentativa. Maior patet. Primò: nam independentia eſt ratio formalis terminandi dependens. Secundò: quia per independentiā ſubſiſtit dependens. Minor claret: accidens enim dependet ab alio, tanquam à ſuſtentante extrinſeco. Conſequentia eſt legitima; alioquin accidens non ſuſtētaretur in ſubiecto. Suſſumo nunc; atqui Verbum Divinum eſt independens independētia oppoſita dependentiæ accidentis: ergo poteſt accidēs terminari ad Verbum Divinum, & conſequentèr cum Divina ſubſiſtentia immediatè vniri. Vtraque conſequentia eſt legitima.

Innutilitas ſolutionis de nobo declaratur

Sussumpta verò est notoria, & ostenditur: nam Verbum Divinum est independens in ratione sustentantis, quæ est independentia opposita dependentiæ sustentati, quæ est accidentis dependentia.

60 *Probat. 5. conclusio.*

Probatur quintò conclusio: Verbũ Divinum habet vim infinitã independentiæ in ratione termini sustentantis: ergo potest terminare omne terminabile, & dependens, imperfectionibus sublatis. Atqui accidens est terminabile à Verbo absque vlla imperfectione: ergo potest Verbum Divinum accidens terminare. Probatur primò sussumpta pro prima parte: actualis terminatio accidentis à suo subiecto nõ est de essentia illius, vt claret in accidentibus Eucharisticis, quæ actu per subiectum non terminantur: ergo accidens est terminabile à Verbo. Secundò: quia accidẽs, sicut quodlibet aliud ens, est in perfecta potentia obedientiali in ordine ad Deum: ergo est terminabile à Verbo. Pro secunda autem parte probatur sussumpta: nam imperfectio, quam importat accidens, non provenit ex sustentatione, & terminatione in alio, sed ex inhæsione in illo; atqui in persona Verbi accidens non esset inhæsivè, vt est manifestum; sed tantum esset in illo, tanquam in termino extrinseco sustentante: ergo accidens est terminabile à Verbo absque vlla imperfectione. Denique sussumpta pro vtraque parte ex præiactis patet probationibus, & ex dicendis constabit.

61 *Probat. 6. conclusio.*

Probatur sextò conclusio: accidentia Eucharistica existunt per se; sed subsistentia Divina ob suam infinitatem eminentèr continet omnem modum perfectitatis: ergo potest loco illius vniri, & illius effectum supplere: ergo vniri potest cum natura accidentali, illamque terminare. Maior est de fide. Minor est Ill. Godoy *num.* 144. Consequentia prima probatur: ideo iuxta Ill. Godoy potest subsistentia Divina vniri cum natura substantiali, eamque terminare, quia natura substantialis habet esse per se, & Divina subsistentia ob suam infinitatem eminentèr continet omnem modum perfectitatis; atqui iuxta concessa accidentia Eucharistica existunt per se, & Divina subsistentia ob suam infinitatẽ eminẽtèr continet omnẽ modũ perfectitatis: ergo potest subsistẽtia Divina vniri cũ natura accidentali, illamq̃ terminare.

62 *Respondet Ill. Godoy.*

Ad hanc nostram probationem respondet Ill. Godoy *num.* 144. distinguendo maiorem: accidentia Eucharistica existunt per se, perfectate negativa concedit maiorem; positivè per aliquem modum terminantem accidentia Eucharistica, & repugnantem inhæsioni negat maiorem, & concessa minori, negat consequentiam; nam subsistentia Divina ideo potest cum humanitate vniri, & illam subsistentem constituere, quia eminentèr continet modum personalitatis humanæ, à quo naturalitèr compleretur, nisi impedimentum adesset: in accidenti autem, nec coniuncto, nec separato, nullus datur modus, illud complens ad existendum, sed tantum conservatur per se negativè, hoc est, conservatur à Deo sine inhærentia ad subiectum, Deo efficientèr supplente dependentiam, qua accidens à subiecto dependet; & ideò non potest subsistentia Divina vniri cum accidenti, nec illud terminare, & complere.

63 *Impugnatur 1. hæc solutio.*

Hæc tamen solutio impugnatur primò: prædicta responsio est expræsè contra D. Thomam: ergo ruit. Probatur antecedens: responsio prædicta negat, accidentia in Eucharistia non existere per se positivè per aliquem modum terminantem accidentia Eucharistica; sed hoc est expressè contra Div. Thomam: ergo responsio Ill. Godoy est expræssè contra D. Thomam. Probatur minor: Div. Thomas expræssè affirmat: accidentia post consecrationem existere per se positivè per aliquem modum terminantem accidentia Eucharistica: ergo hoc negare, est expræssè contra Div. Thomam. Antecedens, in quo solum est difficultas, est Div. Thomæ 3. *part. quæst.* 77. *artic.* 1. *ad* 4. hæc ad litteram docentis: *Ad quartum dicendum, quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis, & vini, non habebant ipsa esse, nec alia accidentia; sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem; sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse; vnde sunt composita ex esse, & quod est, sicut in prima parte de Angelis dictum est*: ergo D. Thomas expræssè affirmat: accidentia post consecrationem existere per se positivè per aliquem modum terminantem accidentia Eucharistica.

Solutio Ill. God. adversatur Thomistarum doctrinæ.

Deindè prædicta Ill. Godoy solutio est contra generalem doctrinā Thomistarum, tenentium, & defendentiū contra nos, & Scotum: accidentia Eucharistica existere per se positivè per aliquem modum ipsis superadditum. Et pro omnibus sufficiat, qui iuxta æstimationem Ill. God. pro omnibus sufficere valet, nempè, Caietanus, qui 3. *part. quæst. 77. art. 1.* hæc habet: *Quibus prælibatis, ad singula descendendo, perspice in 1. artic. huius litteræ in responsione ad 4. primum, quod diximus, scilicet, quod accidens transit de quo est, in quod est, & est deinceps compositum ex quod est, & quo est*: nulla ergo est illius solutio.

64 *Impugn. 2.*

Impugnatur secundò solutio Ill. God: data solutione prædicta, potest accidens immediatè vniri cum Divina subsistentia: ergo solutio non tollit vim nostræ probationis. Probatur antecedens. Primò: solutio prædicta, scilicet, quod accidentia Eucharistica existunt per se negativè, est doctrina Scoti *in 4. dist. 12. quæst. 1. §. ad argumēta, versic. ad 2.* quā cum ipso fatemur; sed quod accidentia Eucharistica existant per se negativè, nullā oppositionē dicit cum immediata vnione accidentis cū Divina subsistentia; alioquin illā assignet Ill. Godoy: ergo data prędicta solutione, potest accidens immediatè vniri cum Divina subsistentia. Probatur secundò idem antecedens: solutio prędicta nullam trahit, nec infert implicationem, vt accidens nequeat immediatè vniri cum Divina subsistentia: ergo potest vniri. Consequentia est legitima. Antecedens verò constabit ex solutione argumentorū.

65 *Probatur deniquè cōclusio ad hominem contra Ill. Godoy.*

Probatur deniquè conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: non minus accidens, ex conceptu accidentis, petit sustentari subiectivè, sustentatione connaturali, ac actuari, & informari existentia connaturali; atquí hoc non obstante, potest accidens existere existentia Divina, quin talis existētia illud actuet, vel informet: ergo illo etiam non obstante, poterit accidens sustentari subsistentia Divina, quin talis subsistentia illud subiectivè sustentet. Minor est Ill. Godoy *disp. præsenti, num. 183.* Maior ex terminis claret, & ostenditur: quia non minus accidens, ex conceptu accidentis, petit sustentari sustentatione subiectiva à sustentante proprio, & connaturali, ac actuari, & informari existentialitèr ab existentia propria, & connaturali. Consequentia verò vi paritatis legitima apparet, & probatur: tanta vis terminativa reperitur in Divina subsistentia, ac in existentia Divina, dato, quod Divina existentia sit actus terminans; alioquin subsistentia Divina non haberet vim terminativam infinitam, quod est contra Ill. Godoy: ergo si non obstante, quod accidens, ex conceptu accidentis, petat actuari, & informari existentia connaturali, potest existere existentia Divina, quin talis existentia ob vim terminativam illius illud actuet, vel informet; non obstante, quod accidens, ex conceptu accidentis, petat sustentari subiectivè sustentatione connaturali, poterit sustentari subsistentia Divina, quin talis subsistentia ob vim illius terminativam illud subiectivè sustentet.

§. IV.

Solvitur primum argumentum Ill. Godoy.

66 *Arguit 1. Ill. Godoy.*

ARguit primò Ill. Godoy *n. 135.* natura non potens subsistere, aut per se existere per creatam subsistentiam, non potest Divinæ vniri, nec per illam subsistens reddi; sed natura accidentalis non potest subsistere, aut per se existere per subsistentiam creatam: ergo non potest Divinæ immediatè vniri, nec per illam terminari. Consequentia tenet. Maior constat: nam subsistentia Divina ideò potest naturæ creatæ vniri, quia continet eminentèr modum subsistentiæ terminantem naturam creatam, ob quā continentiam potest illius effectum supplere, & vice illius terminare naturam, cuius est modus: ergo natura incapax subsistendi per subsistentiam creatam, eminentèr in divina subsistentia contentam, non potest cum illa immediatè vniri, nec per illam terminari. Minorem probat: non enim potest accidens per se subsistere, aut terminari per subsistentiam creatā, quæ ad genus accidentis pertineat, nec per subsistentiam creatam, quæ sit modus substantialis: ergo nullo modo potest per se existere per subsistentiam creatam. Consequentia tenet. Antecedens pro prima parte constat: nam omne accidens, & omnis modus spectans ad lineam accidentis, per se dicit ordinem ad subiectum inhæsionis, & sus-

Maiorem probat.

Probat minorem.

Antecedēs pro 1. parte constat.

tentationis; sed modus per se dicens ordinem ad subiectum non potest independentiam à subiecto, & incommunicabilitatem præstare, in quo per se existere consistit: ergo modus spectans ad lineam accidentis, non potest accidens constituere per se existens.

67 *Pro 2. probatur.* Deindè pro secundâ parte probatur: nam subsistentia substantialis modalis necessariò debet respicere naturam aliquam substantialem, cui connaturaliter conveniat; sed modi substantiali constituentis per se existentem naturâ accidentalem non potest dari natura, cui conveniat connaturaliter: ergo implicat talis modus. Maior, cum consequentia tenet. Minorem ostendit. Primò: nam modus ille supernaturalis esset, vtpote, præstans formaliter effectū supernaturalem: ergo non potest esse connaturalis, nisi naturæ substantiali supernaturali; sed natura substantialis supernaturalis implicat: ergo implicat natura, cui prædictus modus possit esse connaturalis. Secundò: nā eo ipso, quod esset connaturalis alicui naturæ creatæ, non posset terminare, aut subsistentem reddere aliam naturam; sed modus ille adstruitur, vt terminet naturam accidentalem, & illam per se existentem, & subsistentem constituat: ergo nequit esse connaturalis alicui substantiali naturæ.

68 *Confirm.* Confirmatur: subsistentia substantialis ita est propria substantialis naturæ, vt repugnet communicari accidenti; sed modus substantialis, quo accidens redderetur subsistens, esset subsistentia substantialis: ergo implicat talis modus, qui substantialis sit, & accidens per se existens, & subsistens cōstituat. Minor cum consequētia tenet. Maiorē probat: nam subsistentia substantialis, & modus existendi per se ita sunt propria substantiæ, sicut modus essendi per inhærentiā in alio proprius est accidentis; sed modus inhærentiæ ita est proprius accidenti, vt repugnet communicari substantiæ: ergo substantialis subsistentia, & modus per se existendi ita appropriatur substantiæ, vt implicet accidenti competere.

69 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: natura non potens subsistere per subsistentiam creatam, non potest Divinæ vniri, nec per illam subsistens reddi sub ratione subsistentiæ concedo maiorem; sub ratione sustentantis, vel terminantis nego maiorem; distinguoque minorem: natura accidentalis non potest subsistere, aut per se existere per subsistentiam creatam sub ratione subsistentiæ concedo minorem; sub ratione sustentantis, vel terminantis nego minorem, & consequentiam, vel illam similiter distinguo.

70 *Explicatur solutio.* Itaquè subsistere duo dicit, scilicet, sustentare, & supposita re. Hoc secundum est accidenti repugnans, de ipsoque convincit argumentum Ill. God. sed non est ad rem, quia no loquimur de assumptione accidentis ad substantiā sub conceptu subsistentiæ, vel suppositi. Primum verò est accidēti possibile, vt claret ex dictis, ideoquè potest Divinæ subsistentiæ vniri, & per illam terminari. Quod clarissimè explicatur: quando enim dicimus accidens esse assumptibile ad subsistentiā Divinam, non intendimus suadere, accidens personari, subsistere, aut suppositari posse per subsistentiam Divinam, sed tantum sustentari, & terminari, sicut terminatur, & sustentatur per substantiam, seclusa inhærentia, quod non implicat; vndè assumptio creaturæ ad subsistendum subsistentia Divina non fit ad hoc, vt loco subsistentiæ propriæ, subsistentia Divina substituatur in illa, nisi creatura sit capax personalitatis, suppositi, aut subsistentiæ; id circo cum accidens non sit aptum ad subsistendum, sed tantū sustentari, & terminari exigat; persona Verbi sustentaret, & terminaret illud; cum (vt dixi *num.* 40.) habeat rationem termini sustentantis, sicuti subsistentiæ, suppositi, & personę.

71 *Ad probationē maioris respondeo.* Ex hac solutione ad omnia, quæ in argumento adducit Ill. Godoy, patet solutio. Respondeo namquè primò ad probationem maioris, instam distinguendo: subsistētia Divina ideò potest naturę creatę vniri, quia cōtinet eminentèr modum subsistentiæ terminantē naturam creatā sub ratione subsistentiæ, & sustentantis, seu terminantis concedo probationem; sub ratione subsistentiæ præcisè nego probationem; quia vt diximus *num. antecedenti*, & claret etiam ex suppositis *num.* 40. ideò subsistentia Divina potest vniri naturæ creatæ, quia eminentèr continet modum subsistentiæ, naturā creatam terminantem sub vtroque conceptu, scilicet, sub conceptu sustentantis, si natura sit incapax suppositari,

vel

vel personari; & sub conceptu subsistentiæ, si natura sit capax suppositari, vt est quęcumque natura creata substantialis completa; vel personari, vti est natura rationalis.

72 *Respond.2.* Et quia de natura creata substantiali completa videtur loqui Ill. Godoy in paritate probationis; de ipsa loquendo, respondeo secundò ad probationem prædictam, alitèr illam distinguendo: subsistentia Divina ideò potest naturæ creatæ vniri sub ratione subsistentiæ, quia continet eminentèr modũ subsistentiæ, terminantẽ naturam creatã concedo probationem; sub ratione purè sustentãtis, seu terminantis nego. Solutio claret ex dictis, & clariùs apparebit retorsione sequenti.

73 *Retorqueo probationẽ* Retorqueo itaquè probationem: ideò subsistentia Divina potest naturæ creatæ substantiali completæ vniri sub ratione subsistentiæ, suppositi, vel personę, quomodo fuerit natura, quia continet eminentèr modũ subsistentiæ, terminantem naturam creatam; atqui subsistentia Divina continet eminentèr modum sustentationis, sustentantem naturam accidentalem: ergo subsistentia Divina potest naturę accidentali vniri sub ratione sustentantis. Maior, & consequentia tenent. Minor autem nottoria videtur; alioquin Divina subsistentia non haberet rationem termini sustentantis, cuius oppositum supposuimus *num.*40.

74 *Ad probationem minoris respondetur.* Ad probationem minoris respondeo distinguendo antecedens pro secunda parte: non potest accidens per se subsistere, aut terminari per subsistentiam creatam, quæ sit modus substantialis sub ratione subsistentiæ concedo antecedens; sub ratione sustentantis, vel terminantis nego antecedens, & consequentiam. Nec contra hoc faciunt probationes antecedentis, quas adducit Ill. Godoy *num.* 136. & nos transcripsimus *num.*67.

75 *Ad confirmationem respõdetur.* Ad confirmationem respondetur distinguendo maiorem: subsistentia substantialis ita est propria substantialis naturæ, vt sub ratione subsistentiæ repugnet communicari accidenti concedo maiorem; ita est propria substantialis naturæ, vt sub ratione sustentantis repugnet communicari accidenti nego maiorem, & eadem distinctione distinguo minorem, & consequens. Solutio satis claret ex dictis, & ad probationem maioris, vt nostræ potest obstare solutioni, distinguo maiorem; subsistentia substantialis, & modus existendi per se ita sunt propria substantiæ, sicut modus essendi per inhærentiam aptitudinalem proprius est accidenti concedo maiorem; per inhærentiam actualem nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo substantialis subsistentia, & modus per se existendi positivus ita appropiatur substantiæ, vt implicet accidenti competere concedo consequentiam; modus per se existendi negativus nego consequentiam; nam licèt accidenti repugnet existere per se positivè; non vero illi repugnat per se existere negativè, vt claret in accidentibus Eucharistiæ, & fatetur Ill. Godoy *num.*144.

76 *Fundamentum Ill. Godoy solvitur.* Ex his solutum manet fundamentum Ill. Godoy, sumptum ex subsistentia, quæ est proprietas, & modus substantiæ, consequentèr nequit accidenti competere. Huic enim argumento respondeo ex dictis distinguendo antecedens: subsistentia sub ratione subsistentiæ est proprietas, & modus substantiæ concedo antecedens; sub ratione sustentantis, & dependentiam terminantis nego antecedens, & similitèr distinguo consequens, vt patet ex dictis *num.*70. Hæc est solutio, quam non meminit Ill. Godoy; est tamen Scoti expræssa, vt *num.*40. notavimus.

77 *Retorqueo argumentũ Ill. Godoy.* Soluto iam argumento Ill. Godoy ex parte subsistentiæ, & visso, quod ex hac parte nulla est implicantia in eo, quod possit accidens immediatè vniri cum Divina subsistentia, restat nunc argumentum illius pro hac parte retorquere, quod sic facio; natura potẽs subsistere per aliquid creatum, potest Deo immediatè vniri in ratione subsistentiæ: ergo natura potens terminari, & sustentari per aliquid creatum, potest Deo immediatè vniri in ratione termini, & sustentantis. Atqui accidentalis natura potens est terminari, & sustentari per aliquid creatum: ergo potest natura accidentalis immediatè Deo vniri in ratione termini, & sustentantis. Omnia sunt vera, si verum est consequens primum.

78 *Probat. 1. cõsequẽtiã.* Hoc autem probatur. Primò: ideò natura potens subsistere per aliquid creatum, potest Deo immediatè vniri in ratione subsistentiæ, quia Divina subsistentia continet eminentèr illud creatum, per quod natura redditur

ſubſiſtens; ſed Divina ſubſiſtentia continet eminenter illud creatũ, per quod natura redditur terminata, & ſuſtentata: ergo natura potens terminari, & ſuſtentari per aliquid creatum, poteſt Deo immediatè vniri in ratione termini, & ſuſtentantis. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt ratio Ill. Godoy, quam contra nos obijcit. Minor eſt evidens; alioquin ſubſiſtentia Divina non eſſet ita potens in ratione termini, ac in ratione ſubſiſtentiæ, quod implicatorium videtur.

Secundò. Secundò probatur: ideò natura potens ſubſiſtere per aliquid creatum, poteſt Deo immediatè vniri in ratione ſubſiſtentiæ, quia illud creatum, per quod natura poteſt ſubſiſtere, realiter ab illa diſtinguitur; ſed illud creatum, per quod natura poteſt terminari, & ſuſtentari, realiter ab illa diſtinguitur. Ergo natura potens terminari, & ſuſtentari per aliquid creatũ, poteſt Deo immediatè vniri in ratione termini, & ſuſtentantis. Conſequentia eſt ita certa, ac præcedens. Maior eſt Ill. Godoy *num.* 7. Minor patet tàm in natura ſubſtantiali, quàm in accidentali: nam illud creatũ, per quod natura ſubſtantialis terminatur, eſt ſubſiſtentia; & illud creatum, per quod natura accidentalis ſuſtentatur, eſt ſubſtantia; ſed ſubſiſtentia realiter diſtinguitur à natura ſubſtantiali, & ſubſtantia à natura accidentali: ergo vera eſt minor, tã de natura ſubſtãtiali, quã de accidentali.

79 *Dices 1. pro Ill. Godoy.* Dices tamen primò pro Ill. Godoy: ſubſiſtentia eſt vltimũ complementũ ſubſtantiæ in genere ſubſtantiæ; ſed implicat, quod accidens ſit ſubſtantia: ergo implicat, quod accidens immediatè vniatur cũ Divina ſubſiſtentia. *Confirm.* Confirmatur: nam aſſumi ad ſubſiſtendum Divina ſubſiſtentia, eſt fieri vltimo completum in genere ſubſtantiæ per ſubſiſtentiam Divinã; ſed nequit accidens eſſe vltimò completum in genere ſubſtantiæ: ergo nec aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina. Maior eſt certa; cum enim ſubſiſtẽtia nihil aliud ſit, quam vltimũ complementum in genere ſubſtantiæ, aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Divina, eſt fieri vltimò completum in ratione ſubſtantiæ per Divinam ſubſiſtentiã. Minor probatur. Aliquid eſſe completum in genere ſubſtantiæ, neceſſariò ſupponit illud, quod ſic dicitur completum, eſſe ſubſtantiam, ſicut aliquid eſſe vltimò completũ in genere entis, vel accidentis, eſſentialiter ſupponit id, quod dicitur, ita compleri, eſſe ens, vel accidens; ſed implicat accidens eſſe ſubſtantiam: ergo & eſſe vltimo completum in ratione ſubſtantiæ.

80 *Reſpondeo ad replicã.* Reſpondeo ad replicam diſtinguendo maiorem: ſubſiſtentia ſub ratione ſubſiſtentiæ eſt vltimũ complementũ ſubſtantiæ concedo maiorem; ſub ratione termini, & ſuſtentantis nego maiorem, & conceſſa minori diſtinguo conſequens: ergo implicat, quod accidens immediatè vniatur cum Divina ſubſiſtentia, ſub ratione ſubſiſtentiæ concedo conſequentiam; ſub ratione termini, & ſuſtentantis nego conſequentiam. *Ad confirmationem.* Et ex hoc ad confirmationem diſtinguo maiorem: aſſumi ad ſubſiſtendum Divina ſubſiſtentia, ſub ratione ſubſiſtentiæ, eſt fieri vltimo completum in genere ſubſtantiæ per ſubſiſtentiam Divinam concedo maiorem; aſſumi ad ſubſiſtendum Divina ſubſiſtentia ſub ratione puri termini, vel ſuſtentantis, eſt fieri vltimo completum in genere ſubſtantiæ per ſubſiſtentiam Divinam nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo ſimiliter conſequens: ergo nequit accidens aſſumi ad ſubſiſtendum Divina ſubſiſtentia ſub ratione ſubſiſtentiæ concedo conſequentiã; ſub ratione puri termini, vel ſuſtentãtis nego conſequentiã.

81 *Declaratur ſolutio.* Itaque, vt iam claret ex dictis, accidens immediatè à Verbo aſſumptum non ſubſiſteret ſubſiſtentia Verbi, ſicut natura humana defacto ſubſiſtit, nec ſicut ſubſiſteret quælibet alia ſubſtantialis natura, ſi à Verbo aſſumeretur. Nec prædicta ſubſiſtentia compleret accidens, quatenus ſubſiſtentia eſt, & modus ſubſtantialis completivus ſubſtantię, vt optimè probant replica, & confirmatio. Cæterum ſubſiſtentia Divina ſuſtentaret accidẽs, ſicut ſubſtantia illud ſuſtentat, ſeclusſa inhęrentia, quæ non eſt eſſentia accidentis, & illud compleret, quatenus eſt terminativa, & ſuſtentativa dependentium, in quo nulla ratio apparet implicantię.

82 *Dices 2. pro Ill. Godoy.* Dices ſecundò pro Ill. Godoy: Verbum nequit ſupplere vices cauſæ materialis; ſed hoc ſuppleret, ſi accidens aſſumeret immediatè: ergo nequit accidens immediatè vniri cum Divina ſubſiſtentia. Probatur minor: Verbum in tali caſu eſſet ſubiectum accidentis: ergo Verbum vices cauſæ materialis

ſup-

Respondeo. suppleret, si accidens assumeret immediatè. Respondeo ad replicam negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens; quia in tali casu Verbum sustentaret accidens per modum puri termini; ideoque solum supplereret vices subsistantiæ quoad sustentare, non quoad recipere, ob incapacitatē quam habet Verbum ad esse subiectū receptivum; sicut in dato casu Verbū non redderet accidens subsistens, nec personatū ob incapacitatem, quam ad subsistere, & personari, habet accidēs.

§. V.

Solvitur secundum argumentum Ill. Godoy.

83 *Arguit 2.* ARguit secundò Ill. Godoy contra nostram prædictam conclusionem: ex vnione namquè extremorū necessarium est resultare aliquid vnū; sed ex accidenti, & Deo, vt extremo, & puro termino vnionis, non potest resultare aliquid vnum: ergo talis vnio repugnat. Consequentia tenet. Maior constat primò: nam vnio extremorū est illorum adunatio: ex vnione ergo extremorū necessariò resultat aliquid vnum. Secundò: non enim stat vnio realis extremorum absque reali compositione, compositio enim est distinctorum vnio, compositio autem sine vnitate compositi resultantis non potest intelligi: ergo nec vnio extremorum realis potest intelligi, absque eo, quod ex illis aliquid vnū resultet. Minor probatur: vt enim ex duobus resultet aliquod vnum, necessarium est comparari per modū potentiæ, & actus, qualitèr ex materia, & forma vnitis resultat vna natura, & ex subiecto, & accidenti resultat concretum accidentale, vel per modum termini terminantis, & complentis, & naturę terminabilis, qualitèr ex subsistentia, & natura resultat vna persona, vel quod vtrumque eodem termino gaudeat, qualitèr ex partibus integralibus, communi termino vnitis, resultat totum integrale, vnitate continuitatis, nec alius modus constituēdi aliquod vnū imaginabilis est; sed ex accidenti, & Deo, vt extremo, & puro termino vnionis, non potest aliquo ex prædictis modis resultare aliquod vnum: ergo ex illorum vnione vnum resultare no potest. Maior cū cōsequētia tenet.

Minor probatur: nā in primis non potest Deus ad accidens comparari per modum potentiæ ad actum, vt omnibus est in confesso; aliàs potentialis esset, & intrinsicè mutabilis, quorum vtrumque est absurdum. Nec per modum termini complentis accidentis naturam; aliàs non compararetur, vt purum extremū vnionis; sicut subsistentia, quia complet naturam substantialem, non comparatur, vt extremum purum ad illam. Nec deniquè possunt natura accidentalis, & Deus terminari aliquo communi termino, nam terminus creatus non potest Dei naturam intrinsicè terminare, sicut nec illam complere; terminus autem increatus non potest intrinsicè terminare naturam accidentalem, si purum extremum sit, nam terminus intrinsicè aliquā naturā terminans, intrinsicè complet illā; & consequētèr in comparatione illius purum extremū non est: ergo ex accidenti, & Deo, vt extremo puro vnionis, nō potest aliquo ex prędictis modis resultare aliquod vnū.

84 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum omissa maiori, negando minorem, ad cuius probationem nego vltimam partem maioris, scilicet, *nec alius modus constituendi aliquod vnum imaginabilis est*; nam vltra prædictos modos constituendi aliquod vnū, est alius modus constituendi aliquod vnum, scilicet, habens in se accidentalem naturam, & hoc vnū resultaret ex vnione immediata naturæ accidentalis cum Deo. Nec hoc esset imperfectio in Deo, quia ex vnione prædicta non sequeretur compositio propria, & stricta, vt de vnione humanitatis cum Verbo diximus *tom. anteced. disput.* 10. vbi hoc videndum relinquo. Vndè sicut ibi asservimus, personā Christi esse compositam compositione quadam admirabili, & ineffabili, provt significat vnā personam, in duabus naturis subsistentē; ita in prēsenti asserimus, quod dato casu, quod Verbum assumeret naturam accidentalem, esset compositio quædam admirabilis, & ineffabilis, provt significaret vnam personam, in vna natura, scilicet, Divina, subsistentem, & aliam, nempè, accidentalem, merè extrinsicè terminantem, in quo nulla est implicantia, vt pote, nulla imperfectio.

85 *Replicat Ill. Godoy.* Hanc solutionem insinuat Ill. Godoy *num.* 151. eam tamen miscet cum eo, quod Deus in tali casu gereret vices subiecti, de quo diximus *num.* 51. &

seqq. Impugnationem autem illius, vt noſtræ poteſt obſtare reſponſioni, videamus, & ſolvamus. Replicat itaquè contra noſtram ſolutione *n.* 154. nam licèt Deus poſsit ſupplere in genere cauſę efficientis cauſalitatem, quā habet ſubiectum reſpectu accidentis, vt conſtat in quantitate Euchariſtiæ conſervata efficienter à Deo ſine concurſu ſubiecti; non tamen poteſt illā alio modo ſupplere; ſed quod ſuppleat in genere cauſæ efficientis ſubiecti cauſalitatem, non ſufficit, vt natura accidentalis vniatur immediatè phyſicè Deo, vt extremo, & puro termino: ergo implicat huiuſcemodi vnio. Conſequentia tenet. Minor eſt certa; nam ſupplere efficienter cauſalitatem ſubiecti, non petit vnionem ſubiecti cum accidenti: ergo nec petit vnionem per modū extremi, & termini. Maior autē probatur: nā præter ſupplere efficienter cauſalitatem ſubiecti, non eſt alius modus ſupplendi, niſi ſuſtentando accidens, vel vt ſubiectum ſine intrinſeca inhęſione, vel vt terminus intrinſecus complens accidens, vt exiſtat; ſed ſuſtentare, vt ſubiectū, ſine intrinſeca receptione, eſt implicatorium in terminis; ſuſtentare autem per modum termini intrinſeci complentis, vt exiſtat natura accidentalis, non poteſt Deo competere: ergo nequit Deus ſupplere cauſalitatem ſubiecti reſpectu accidentis, aliò modo, quam in genere cauſæ efficientis.

86 *Minor pro 1. parte conſtat.*

Minor pro prima parte conſtat: nā ſuſtentare formā aliquā, vt ſubiectū, in nullo alio à ſuſtentante purè vt terminus, diſtinguitur, niſi in eo, quod ſuſtentans terminativè non ſuſtentat recipiendo, vel receptionē exigendo; ſuſtentans autem ſubiectivè ſuſtentat formā illam recipiendo in ſe ipſo, ita vt, quamvis munus ſuſtentandi diſtinguatur à munere recipiendi, illud tamen neceſsariò exigat; ſicut munus inhærendi conveniens relationi ex conceptu differentiali, quamvis munus referendi non exprimat; illud tamen exigit, & intrinſicè includit, nec poteſt ſubiectum à termino puro alia ratione diſtingui: ergo implicat in terminis, Deum ſuſtentare accidens; vt ſubiectum, & illud in ſe non recipere.

87 *Pro 2. probatur 1.*

Deinde pro ſecunda parte ſuadetur primò: nam ſuſtentare terminativè, complendo naturam, vt exiſtat, eſt terminare propriū ſubſiſtentiæ; ſed Deus non poteſt immediatè cum accidenti vniri ſub conceptu, & munere ſubſiſtentiæ, vt nos fatemur: ergo non poteſt immediatè vniri cum accidenti, ſuſtentando illud terminativè. Secundò: nam terminativè complere, ſupponit incompletam naturam; ex quo naſcitur, quod ex termino complente, & natura terminata reſultet vnum per ſe; ſed vt nos fatemur, natura accidentalis non ſupponitur incompleta; vnde ex illa, & Deo vnito, non poteſt vnum per ſe reſultare, qua ratione probamus: Deum non poſſe cum accidenti vniri ſub conceptu ſubſiſtentiæ: ergo non poteſt vniri ſuſtentando naturam accidentalem per modum termini illam complentis. *Secundò.*

Denique: nam vel compleret naturam accidentalem, vt per ſe exiſteret poſitivè, vel vt alteri inexiſteret; nullo ex his modis poteſt complere naturā accidentalem: ergo non poteſt prædictæ naturæ vniri, illam terminativè ſuſtentando. Maior cum conſequentia tenet. Minor pro ſecunda parte conſtat: non enim poteſt Deus naturā accidentalem complere, vt ſibi inexiſtat; aliàs reciperet in ſe accidēs, nec vt exiſtat in alio ſubiecto; ad hoc enim nullo complente indiget diſtincto ab ipſo ſubiecto: ergo non poteſt terminativè complere accidens ad exiſtendum. Pro ſecunda oſtenditur primò: accidens enim non eſt capax exiſtendi per ſe perfeitate poſitiva, vt in confeſſo habemus *n.* 65. ergo non poteſt à Deo terminativè compleri ad exiſtendum per ſe perfeitate poſitiva. Secundò: nam ſi compleretur à Deo terminativè ad exiſtendum per ſe perfeitate poſitiva, Deus vniretur cum accidenti ſub conceptu ſubſiſtentiæ, cum ſubſiſtentia Divina contineat in ſe eminentèr omnem modum perfeitatis exiſtendi; ſed hoc nollumus concedere: ergo non poteſt à Deo terminativè compleri ad exiſtendum per ſe perfeitate poſitiva. 88 *Tertiò.*

Reſpondeo ad replicam Ill. Godoy negando maiorem, ad cuius probationem nego maiorem, qua negata à primò vſque ad vltimum ruit replica tota. Ratio autem negationis eſt: nā prēter illos modos ſupplendi, ab Ill. God. aſsignatos, eſt alius modus ſupplendi, ſcilicet, vt terminus extrinſicè terminans, vel ſuſtentans accidens, quomodo à Verbo terminaretur, ſi ab ipſo 89 *Reſpondeo.*

aſ-

assumeretur immediatè, vt satis, & superabundantèr ex dictis apparet.

90 *Arguitur 1. pro Ill. Godoy.*

Ill. Godoy aliud contra nostrā conclusionem non adducit, pro ipso tamē potest hic tertio arguisi Verbum immediatè assumeret accidens, accidens prædicaretur de Verbo: sed nequit accidens prædicari de Verbo: ergo nequit Verbum immediatè assumere accidens. Probatur minor: si accidens posset de Verbo prædicari, vel esset in concreto, vel in abstracto; sed neutro modo potest accidens prædicari de Verbo: ergo nequit accidens prædicari de Verbo. Probatur minor: Verbum non potest dici quantū, nec quātitas; nec album, nec albedo, & sic de reliquis: ergo nec in concreto, nec in abstracto potest accidens prædicari de Verbo. *Respondeo.* Respondeo negando maiorē: quia in tali casu nulla prædicatio fieri posset; nā non in abstracto; hæc enim petit identitatē prædicati cū subiecto. Non in concreto; quia concreta accidentalia non denominant, nisi ratione informationis, ideoque sola sustentatio non sufficit, vt ait Doctor Subtilis *in 3. dist. 22. in fine.* Vndè in tali casu accidens solum in obliquo denominaret Verbum, sicque non diceretur album, sed habens albedinem; non quātum, sed habens quantitatem, & sic de cæteris. Hanc doctrinam fatetur, & approbat Ill. Godoy *disput. 31. num. 50.* prætermissa sententia, quod Deus sibi intellectionem assumeret.

91 *Arguitur 4. pro eodem. Respondeo.*

Arguitur quartò pro eodem: nihil est, quod Verbum tribueret accidenti: ergo nequit Verbum immediatè assumere accidens. Respondeo negando antecedens: nam sicut substantia defacto sustentat accidens sustentatione subiectiva; Verbū in tali casu sustentaret accidens sustentatione purè terminativa, quę nullam involuit imperfectionem, vt est certum, & ex doctrina Ill. Godoy monstravimus *n. 53.*

92 *Arguitur 5. ex doctrina ipsius.*

Arguitur quintò pro eodē ex doctrina ab ipso tradita: sustentare accidens, & esse subiectū inhæsionis illius. sunt inseparabilia; atqui nequit Verbū esse subiectum inhęsionis: ergo nequit Verbum sustentare accidens. *Solutio aliquorum.* Ad hoc argumentum quidam ex nostris respondent negando maiorem: quia isti duo respectus, scilicet, sustentare, & esse subiectum inhæsionis, realitèr distinguntur; nam quamvis defacto non detur sustentatio sine inhærentia; benè tamen potest esse de possibili, sicut forma substantialis defacto non terminatur à proprio supposito, nisi informet materiā; tamen in triduo terminata fuit à Verbo, & tunc nō informabat materiā. Solutionē non reprobo.

Vera solutio.

Cæterum claritatis gratia (& fortè melius) respondeo ad argumentum conformitèr ad dicta distinguendo maiorem: sustentare accidens, sustentatione subiectiva, & esse subiectū inhęsionis illius sunt inseparabilia omitto maiorem; sustentatione purè terminativa nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: nequit Verbum sustentare accidens sustentatione subiectiva concedo consequentiam; sustentatione purè terminativa nego consequentiam. Hęc est solutio, quæ ex dictis constat, & contra quam nihil adducit Ill. God. nec video, quid possit contra ipsā adduci, nisi à Divina subsistentia vis terminativa tollatur.

§. VI.

Accidens vniri non posse cum Divina existentia, probatur.

93 *2. Concluſ.*

SEcunda conclusio: *Repugnat accidēs vniri immediatè cum Divina existentia.* Hanc statuo conclusionē contra Ill. Godoy, oppositum asserentem *num. 174.* & meo videri parum consequenter ad ea, quæ dixerat *tom. 1. in 3. part. disp. 17. ferè per totam*, præsertim *num. 95. & 96.* vt constabit ex probatione, quam ad hominē contra ipsum faciemus. Pro probationibus autem à ratione, duo supponenda sunt per oppositum ad duo, quæ Ill. God. supponit. Primum: quod existentia creata realitèr ab entitate, seu essentia non distinguitur, vt in Methaphisica cum Aristotele, & Scoto docent omnes eius Discipuli. Secundum: humanitatem Christi non existere existentia Verbi, sed propria quadere existentia, vt docent omnes Scotistæ cum suo Doctore *in 3. dist. 6. quæst. 1.* quem generalitèr secuntur Patres Societatis, nec in præsenti est probandum.

94 *Probatur 1*

Quibus suppositis, probatur nostra conclusio primò per oppositum ad probationem Ill. Godoy: quia namq; existentia humanitatis realitèr ab illa non distinguitur, & si eminentèr contineatur in Divina existentia, nequit cum humanitate vniri, nec effectum propriæ existentiæ supplendo, illam existentē reddere; sed existentia acci-

dentis realiter ab eius entitate no distinguitur: ergo & si eminenter contineatur in Divina existentia, nequit hæc effectum illius supplere, nec cum accidenti vniri, vt illud existens constituat; ac proinde repugnat vnio immediata accidentis cum existentia Divina. Consequentia est legitima. Præmissæ autem ex duplici suppositione facta apparent.

95 *Probat. 2.* Probatur secundò conclusio: ideò natura Angelica, & quælibet alia natura substantialis completa, potest immediatè vniri cum subsistentia Verbi, & ab ipsa reddi subsistens, supplendo effectum propriæ subsistentiæ, quia subsistẽtia creata realiter distinguitur ab omni natura creata substantiali; atqui existentia accidentis non distinguitur realiter ab ipsius entitate: ergo nequit accidens immediatè vniri cum existentia Divina, nec ab ipsa reddi existens, supplendo effectum propriæ existentiæ, & consequenter repugnat vnio immediata accidentis cum Divina existentia. Consequẽtia ex præmissis infertur. Inter has autem maior est omniũ Theologorum, illamq; habet Ill. Godoy *num.* 7. & ipsam nos docuimus *num.* 8. Minor constat ex suppositione allata, quæ, vt proximè diccbamus, hic probanda non est.

96 *Probat. 3.* Probatur tertiò conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: in vno subiecto non stat capacitas obedientialis ad recipiendum accidens, quod alteri subiecto convenit connaturaliter, & multo minùs stat in vno subiecto capacitas obedientialis ad recipiendum effectũ formalẽ formæ, quæ est alteri subiecto connaturalis: ergo pariter: non stat in accidente capacitas obedientialis, vt immediatè vniatur cum Divina existentia, & multo minùs, vt effectum formalẽ illius recipiat. Antecedens est Ill. Godoy, vt diximus *n.* 93. Consequentia vero probatur: non minùs existentia Divina est Deo soli cõnaturalis, ac accidens proprium alicuius subiecti est illi connaturale; sed iuxta Ill. Godoy in vno subiecto non stat capacitas obedientialis ad recipiẽdum accidens, quod connaturaliter convenit alteri subiecto, & multo minùs stat in vno subiecto capacitas obedientialis ad recipiendum effectum formalem formæ, quæ est connaturalis alteri subiecto: ergo non stat capacitas obedientialis in accidente, vt immediatè vniatur cum existentia Divina, & multo minùs, vt recipiat effectum formalem illius.

97 *Arguit Ill. Godoy.* Contra hanc nostram conclusionẽ arguit Ill. Godoy *num.* 175; quia namq; existentia humanitatis realiter ab illa distinguitur, eminenterque in Divina existentia continetur, potest hæc cum humanitate vniri, & effectum proprię existentię supplendo, illam existentem reddere; sed existentia accidentis realiter ab eius entitate distinguitur, & eminenter continetur in existentia Divina: ergo potest Divina existẽtia illius effectum supplere, & cum accidente vnita, illud constituere existens; ac proindè non repugnat vnio immediata accidentis cum Divina existentia.

Respondeo. Respondeo: hoc Ill. Godoy argumentum fundari in præmissis omninò in nostra sententia falsis, vt constat ex duplici suppositione facta *num.* 93. Vndè licèt optimè arguat contra Nazarium, & alios Recentiores Thomistas, qui admittentes: posse accidens vniri subsistentiæ Divinæ, negant vniri posse cum Divina existentia, & docentes, humanitatẽ de facto existentia Verbi existere posse; tamẽ contra nos nihil probat, ob falsitatẽ præmissarũ.

§. VII.

Circa tertiam partem referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

98 *Suppono 1.* TErtium, quod in hac disputatione in examen vocamus, est: an natura substantialis partialis possit vniri substantialiter cum Deo, & ab ipso assumi? In quo primò supponendum est ex Scoto *in 3. dist. 2. quæst. 1. §. contra istud, per tot. & §. cum arguitur*, quod vnio, seu assumptio ad personã est triplex. Vna est per modum personationis. Alia per modum suppositationis, vel hypostaseitatis. Et alia denique per modum simplicis sustentationis, & puri termini. Vnio, vel assumptio ad personam per modum personationis est, quando assumitur natura intellectualis. Vnio per modum suppositationis, est, quando assumitur natura irrationalis. Et vnio denique per modum sustentationis simplicis est, quando assumitur aliquid, quod ex se non est natum immediatè suppositari, nec personari, qualis est quælibet pars essentialis, & quælibet forma ac-

Triplex est vnio ad personam.

ci-

cidentalis. Quā diversitatē, ait Doctor, oriri ex diversitate naturæ, quæ est fundamentum illarum vnionum.

99 *Opinio aliquorū Scotistarum.*

Hæc est doctrina plausibilitèr recepta ab omnibus Scotistis, qua suppositā, & recepta, miror Scotistas tam variè in hac loqui difficultate. Valdè namquè discordant; nam Basolius *in 3. dist. 2. quæst. 3.* Faber *in 3. disp. 9. cap. 3.* Rada *in 3. controvers. 4. art. 4.* Centinus. Pontius. Gallus, & alij negant vnionē immediatā partium essentialiū, nempè, animæ, & corporis ad Verbum, & solum mediatam admittunt ratione humanitatis. Vndè ponunt: humanitatem vniri Verbo primò, & immediatè; partes vero essentiales mediatè, & secundario, non per propriam vnionem, sed per vnionem in humanitate fundatam.

100 *Aliorum opinio.*

Alij vero Scotistæ, vt Mairon *in 3. dist. 1. quæst. 3.* Lichetus *in 3. dist. 2. quæst. 1.* Vvlpes *disp. 10. art. 1.* Bellutus *disp. 4. quæst. 2.* Herchius *in Epitom. 3. dist. 2.* & alij plures affirmant: partes essentiales immediatè fuisse Verbo vnitas, qua propter statuunt: Corpus, animam, & humanitatem, quę ex illis resultat, vniri Deo immediatè tribus vnionibus, sed prius naturali ordine vniri corpus, & animam, & postea humanitatē, ex quibus tribus vnionibus, duæ priores indissolubiles fuerunt, de quibus intelligitur dictū Damascēni: *Verbum nunquam dimisit, quod semel assumpsit*; Tertia vero vnio dissoluta fuit in morte Christi, & in Resurrectione rursus reparata.

101 *Opiniones aliorum.*

Alij vero, loquendo de partibus, tàm essentialibus, vt sunt materia, & forma, quàm integralibus, vt sunt omnia membra, caro, ossa, nerui, & similes partes, quę ab anima informantur, supponendo, eas Verbum assumpsisse eadem assumptione, qua totum fuit assumptum, difficultatem statuunt de assumptione partium ab assumptione totius distincta, & hoc sivè de partitibus extra totum existentibus, sivè de partibus, vt toti coniunctis. Loquendo itaquè de partibus extra totū existentibus, docent: eas Verbum assumere posse, quod negant de partibus, provt toti coniunctis. Sic Castillo *de Incarnatione, disput. 7. quæst. 1. part. 4.* Felix *de Incarnation. cap. 7. difficult. 1. dub. 4.* quibus opponitur Delgadillo *de Incarnation. cap. 3. diffic. 3. dub. 7.* vt ipse fatetur *num. 17.*

Cæterum (ni fallor) hæc opinionū diversitas inter Scotistas prædictos provenit ex eo, quod aliqui obliti sunt doctrinæ ab Scoto traditæ de triplici vnione, vel assumptione ad personā; locuntur namquè de duplici prima assumptione, scilicet, per modū personationis, & suppositationis, vt ex eorum claret argumentis; vndè potiùs in nomine, quam in re, differunt, meo videri, ideoque eos concordabimus in resolutione difficultatis.

102 *Discordia inter Scotistas est de nomine.*

Ante quam, secundò supponendum est cum Ill. Godoy *num. 198.* vt extra controversiā certum: partes integrantes omogeneas, & eiusdē rationis separatas à toto, posse assumi à Verbo assumptione per modū suppositationis, seu vt ipse loquitur, posse subsistere per Divinā subsistentiam; v.g. duæ medietates aquę ab invicem separatę possunt vniri cum Deo in ratione subsistentis, & per illius subsistentiam subsistere, quod à nullo negatur, supposito, quod natura irrationalis sit capax vnionis cum Deo in vnitatem suppositi. Et patet: nam partes prædictæ separatæ à toto, & ab invicem divisæ, subinduunt rationem totius, & sunt eiusdem rationis cum illo, quod componebant, & per se subsistentes subsistentia realitèr ab illis distincta, & eminentèr in Divina subsistentia contenta; sed omne, quod sic subsistit, potest vniri cum Deo in ratione subsistentis, & per illius subsistentiam subsistere: ergo partes illę ab invicē separatę possunt vniri cū Deo in ratione subsistētis & per Divinā subsistentiam subsistere.

103 *Suppono 2.*

His igitur præsuppositis, dubium restat circa partes integrales vnitas, & circa partes physicas essentiales vnitas, vel separatas. Et certè loquendo de partibus vnitis, sivè integralibus, sivè essentialibus, verum est, quod defendit Ill. Godoy *n. 200.* scilicet, quod nulla pars actualis in partibus vnita potest assumi ad Divinam subsistentiam, compartibus non assumptis, ob rationes, quibus id ipse tuetur. Vndè relinquitur dubium circa partes physicas essentiales separatas, in quo, opinionibus Scotistarum relatis, & alijs in Ill. Godoy *num. 199.* videndis, multa ipse adducit in præsenti, quæ à nobis impugnanda veniunt. Et ne à claritate deficiamus, per sequentes conclusiones, opiniones Ill. Godoy refellemus. Sit ergo.

104 *Difficultas aperitur.*

Pri-

105 1. Cõclusio.

Prima conclusio: *Verbum immediatè assumpsit assumptione sustentationis partes essentiales humanitatis, v.g. corpus, & animam; assumptione vero per modum personationis illas immediatè non assumpsit, sed immediatè assumpsit naturam, & partes mediatè.* Hac conclusione concordantur Scotistæ relati *num.* 100. & *cit. n.* 99. quia isti locuntur de assumptione immediata per modum personationis; illi verò de assumptione immediata per modũ sustentationis locuntur. Conclusio habet duplicè partem, & vtraque contra Ill. Godoy; prima namquè est cõtra ipsum, non cognoscentem assumptionẽ immediatã per modum simplicis sustentationis. Secunda est contra eundem, quatenus *num.* 96. tenet: animam rationalem à materia separatam esse vnibilem cũ Divina subsistentia in ratione subsistentiæ, & *num.* 252. idem asserit de forma materiali à materia separata. Attamen vtraque pars concluonsiis est Magistri Subtilis.

106 Scotus.

Et primam quidem expresè docuit Scotus *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. vbi *littera A.* contra Varronem arguens, asserentẽ: Verbum assumpsisse corpus mediante anima, vt mediũ *quod*, illum ad hoc deducit inconveniens, quod *tunc in morte fuisset nova assumptio, quia tunc corpus immediatè fuit Verbo vnitum, & non per animam*, ex quo deducitur de mente Doctoris, assumptionem corporis, & animæ, quæ fuit in triduo, nõ fuisse novam, sed à principio Incarnationis immediatè factam per vnionẽ simplicis sustentationis. *Et litt. G.* volẽs probare, gratiam Christi non præcessisse in anima vnionem hypostaticã, inquit, quod *Christi anima numquam habuit existenciam realem, nisi in Verbo: ergo prius ordine naturæ assumebatur à Verbo, quam fit subiectum gratiæ*; quibus verbis rursus inuit prætèr vnionem ad personalitatem, qua partes mediatè solum assumuntur à Verbo, dari alias vniones immediatè in ipsis fundatas, & ad Verbum terminatas.

107

Deindè *dist.* 16. *quæst.* 2. explicans dictum illud Damasceni relatum, ait, partes principales semper fuisse vnitas, licèt dimiserit totũ, & partes minùs principales. *Et dist.* 21. supponere videtur, semper eodem modo fuisse corpus à principio vnitum Verbo, vt in triduo; Et deniquè 3. *dist.* 22. *ad* 3. *principale*, assignans rationem, cur in triduo Verbum non fuerit ab anima, & corpore denominatũ, inquit, quia partes, licèt vnitæ Verbo, non sunt natæ denominare, nisi adsit totum, cuius sunt partes: ergo partes eodem modo sunt vnitæ Verbo, quando adest totum, ac in triduo.

108 *Ratione probatur* 1 *pars conclusionis. Primò.*

Ratione autem probatur primò pars prima conclusionis: Verbum de facto assumpsit corpus, & animam; sed istæ partes sunt immediatè assumptibiles assumptione sustentantis: ergo sic eas assumpsit. Consequentia legitimè infertur. Maior est de fide contra aliquos Hæreticos; eamque de anima expræsè asserit Leo Papa *Epist.* 11. Et de Carne docet Ioannes I. *Verbum caro factum est.* Et vtrumque docent plura Scripturæ, & Patrum testimonia. Minor autẽ, in qua vnicè potest esse tota difficultas, claret per dicta §. 3. *per tot.* & clarebit per probationem sequentẽ.

109 *Probatur* 2

Probatur secundò dicta pars conclusionis: si Verbum immediatè non assumpsisset assumptione sustentationis corpus, & animã, falsum esset illud dictum Damasceni, scilicet, *Verbum, quod semel assumpsit, numquam dimisit*; sed hoc dici nequit: ergo Verbum immediatè assumpsit assumptione sustẽtationis corpus, & animam. Minor, & consequentia tenent. Pro probatione autem maioris suppono, quod illud dictum Damasceni explicat Doctor *in* 3. *dist.* 16. *quæst.* 2. de partibus principalibus, scilicet, corpore, & anima, quę sempèr fuerunt Verbo vnitæ, earumque vnio ad Verbum nunquam fuit disoluta, quomodo dictum Damasceni intelligit, & explicat Ill. Godoy *num.* 247. Hoc itaquè suppositò.

110 *Probatur maior.*

Probatur maior: si Verbum immediatè non assumpsisset assumptione sustentationis corpus, & animam, in triduo mortis Christi istę partes essent dissolutæ: ergo si Verbum immediatè non assumpsisset assumptione sustentationis corpus, & animã, falsum esset dictum Damasceni. Consequentia claret ex explicatione dicti Damasceni. Antecedens autem probatur ad hominem contra Authores, qui nobis in conclusione adversantur, & simul eorum responsioni occurritur: nam iuxta illos in triduo mortis Christi duæ vniones novæ exortæ fuerunt, vna in corpore, & altera in anima ad Verbũ, quibus duabus vnionibus istæ partes immediatè fuerunt Verbo vnitę: ergo

Responsionibus adversariorũ occurritur.

vnio

vnio mediata, qua ante mortē Christi erant vnitæ istæ partes, cessavit: ergo in morte Christi partes istæ fuerunt dissolutę: ergo si Verbum immediatè non assumpsisset assumptione sustentationis corpus, & animam, in triduo mortis Christi istę partes essent dissolutæ. Antecedens est contrariorum. Prima consequentia patet: nam nequeunt partes transire de sola mediata vnione ad vnionem solam immediatam, quin vnio mediata cesset. Secunda consequentia ex prima legitimè infertur: cessante namque vnione partium, partes sunt dissolutæ.

111 2. *pars conclusionis probatur* 1. Secunda pars conclusionis ex instituto docetur ab Scoto *in 3. dist. 2. quæst. 2. citat. artic. 1. §. ideo quantum*, & probatur primò: nam id, quod per se immediatè non potest personari per personalitatem creatā, non potest Divinę immediatè vniri, & per illa reddi immediatè personatum; sed tàm corpus, quàm anima, nequeunt per se immediatè personari per personalitatem creatā: ergo nequeunt Divinæ personalitati immediatè vniri, & per illam immediatè personari: ergo Verbū immediatè non assumpsit assumptione per modū personationis partes essentiales humanitatis. Sustumo nunc: atqui natura humana potest immediatè personari per personalitatē creatā, & mediante natura, partes illius essentiales: ergo potest natura immediatè vniri personalitati Divinæ, & per illā reddi immediatè personata; partes vero mediatè: ergo sic Verbum naturam, & partes assumpsit assumptione per modū personationis. Omnia sunt vera, si vera est minor probationis.

112 *Minor probatur* 1. Probatur itaquè minor primò: anima per se nata non est, esse persona, neque corpus per se natū est, esse persona: ergo tàm corpus, quàm anima nequeunt per se immediatè personari per personalitatē creatam. Probatur antecedens: quod non est incommunicabile vt *quo*, non est per se natū, esse persona; sed neque anima, neq; corpus sunt incommunicabilia, vt *quo*: ergo anima per se nata non est, esse persona, neque corpus per se natū est, esse persona. Probatur minor: quod est ordinabile, & communicabile suo composito, non est incommunicabile vt *quo*; sed tàm corpus, quàm anima sunt cōmunicabilia, & ordinabilia suo composito: ergo neque anima, neq; corpus sunt incommunicabilia vt *quo*. Probatur secundò dicta minor: nā subsistere suppositari, vel personari, est immediatè quidditatis substantialis completæ; sed neque anima, neque corpus sunt quidditates substantiales completæ: ergo neque anima, neque corpus possunt per se immediatè personari per personalitatem creatam. Consequentia est legitima. Minor est evidens. Maior autem est Scoti *quod lib. 9.* & constabit probatione sequenti. *Secundò.*

113 *Probat. 2. dicta pars cōclusionis.* Probatur secundò prædicta pars conclusionis: quod non habet propriā subsistentiam, non potest reddi immediatè subsistens per subsistentiā Divinam; sed neque corpus, neque anima habent propriam subsistentiam: ergo neque corpus, neque anima possunt reddi immediatè subsistens per Divinā subsistentiam: ergo Verbum immediatè nō assumpsit assumptione per modum personationis corpus, & animā. Sustumo nunc: atqui natura humana potest immediatè personari per personalitatem creatā, & mediante natura, partes illius essentiales: ergo potest natura immediatè vniri personalitati Divinæ, & per illam reddi immediatè personata; partes vero mediatè: ergo sic Verbum naturā, & partes assumpsit assumptione per modum personationis. Minor probatur: nulla pars essentialis, sivè in toto existens, sivè à toto separata, habet propriam subsistentiā; sed tàm corpus, quàm anima sunt partes essentiales totius: ergo neque corpus, neque anima habent propriam subsistentiam.

114 *Probatur maior* 1. Probatur maior primò: subsistentia est vltimum complementum substantiale; sed nulla pars essentialis habet vltimtum substantiale complementū: ergo nulla pars essentialis, sivè in toto existens, sivè à toto separata, habet subsistentiam propriam. Probatur minor: omnis pars essentialis est ex se incompleta, ideoque ordinabilis per se ad alterius completionem: ergo nulla pars essentialis habet vltimum substātiale complementū. Probatur secundò dicta maior: subsistentia est *incommunicabilitas vt quo per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialitèr completivo*; sed hoc nulli parti essentiali convenit: ergo nulla pars essencialis, sivè in toto existens, sivè à toto separata, habet propriam subsistentiam. Consequentia est legitima. Ma- *Secundò.*

ior est diffinitio subsistentiæ à nobis tradita *tom. 3. in 1. Sent. disput. 80. num. 8. & 9.* Minor verò patet primò: quia nulla pars essentialis est forma totius, seu forma, quę sit totum, quia hęc est ipsa substantia composita : ergo incommunicabilitas vt *quo* per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialitèr completivo nulli parti essentiali convenit. Patet secundò: nam omnis pars essentialis est per se ordinata ad totum : ergo idem, quod anteà.

115 *Probat. 3. ratio pars cõclusionis.*

Probatur deniquè eadem pars conclusionis specialitèr de anima (de corpore namquè specialem conclusionē contra Ill. Godoy infrà statuemus) vnio substantialis cum Deo, aut est in vnitatem personæ, aut in vnitatem suppositi; sed nullo ex his modis potest anima rationalis vniri : ergo non est assumptibilis. Consequentia tenet. Minor constat: nam persona *est rationalis naturæ individua substantia*, & suppositum *est individua substantia naturæ substantialis*; anima autem rationalis natura non est, & consequenter Verbum, vt in illa subsistens, nec suppositum, nec persona esse potest. Probatur maior : quia alius modus vnionis cum Deo in ratione subsistentis non est hucusque assignatus : ergo vnio substantialis cum Deo, aut est in vnitatem personæ, aut in vnitatem suppositi.

116 *Duplex responsio Ill. Godoy.*

Duplicitèr respondet Ill. Godoy *num. 197.* Primò: vnionem animæ rationalis cum Deo esse in vnitatem personæ, non adæquatæ, & completę, sed personæ inadæquatæ, eo quod anima rationalis non est adæquatè, sed inadæquatè natura. Secundò: posse esse vnionem cum Deo in vnitatem subsistentiæ, quæ quidem vnitas suppositi, vel personæ rationem non habeat ex defectu completionis; sicut etiam datur in probabiliori sententia subsistens absolutum in Deo, quod suppositum non est, nec persona, quia communicabile est.

117 *Impugnatur prima solutio.*

Prima tamen ex his solutionibus impugnata manet per dicta *num. 111. cum seqq.* ex quibus apparet : animam esse incapacem personalitatis proprię, & consequenter vnionis cum Divina personalitate per modum personationis. Vltra quod impugnatur solutio prædicta : anima cum Deo substantialitèr vnita esset persona inadæquata : ergo dantur subsistentiæ partiales. Antecedens est solutio Ill. Godoy. Consequentia est contra ipsum *num. 211.* & probatur : subsistentia, qua anima esset persona inadæquata, esset subsistentia partialis; sed iuxta solutionem anima cum Deo substantialitèr vnita, esset persona inadæquata: ergo dantur subsistentiæ partiales. Probatur maior : subsistentia consequitur entitatem, & cum illa proportionatur; sed anima est entitas inadæquata, seu partialis : ergo subsistentia, qua anima esset persona inadæquata, esset subsistentia partialis.

118 *Respondet Ill. Godoy.*

Nec valet solutio, quam ad hunc Syllogismum adducit Ill. Godoy *num. 211.* scilicèt, distinguendo secundam partem maioris, nempè, subsistentia proportionatur cum entitate proportione habitudinis concedit; proportione omnimodæ convenientiæ, negat maiorem, & concessa minori, negat consequentiam, nam licèt subsistentia proportionari debeat cum entitate totius, ad quam necessario sequitur, proportione habitudinis per modum termini cum natura terminabili, non tamen debet in omnibus convenire cum illa; ac proindè ex tali proportione non sequitur, quod si entitas est composita ex pluribus entitatibus, etiam subsistētia debeat esse composita ex partialibus subsistentijs. Et ratio est: quia subsistentię repugnat huiusmodi compositio; sicut ista consequentia non tenet : *Existentia consequitur entitatem essentiæ, & proportionatur cum illa; sed essentia hominis, v.g. est composita ex materia, & forma, & ex actu, & potentia : ergo existentia hominis etiam est composita ex partialibus existentijs.* Et similitèr ista non tenet : *Personalitas consequitur ad naturam, & proportionatur cum illa; sed natura hominis, v.g. est composita ex materia, & forma: ergo personalitas hominis est composita ex personalitatibus partialibus.* Et ratio omnium est : nam existentiæ, subsistentiæ, & personalitati talis compositio repugnat; & ideò ex proportione servanda cum natura, ad quam consequitur, & ex eius compositione, non sequitur, esse compositas. Ad secundam prætermissa maiori negat minorem : quod enim compositum substantiale, & omnes illius partes vnicā existentia existant, est omnium Theologorum sententia.

Non,

119 *Contra.*

Non,inquam,valet;quia potius hęc reſponſio eſt efficax probatio prædictæ maioris,quod ſic oſtendo:ſubſiſtentia debet proportionari cum entitate, ad quam ſequitur, proportione habitudinis per modū termini cum natura terminabili:ergo ſi natura terminabilis eſt inadæquata,& partialis,ſubſiſtētia ad hanc naturam ſecuta debet eſſe partialis,& inadæquata.Probatur conſequentia:ſi ſubſiſtentia ſecuta ad naturam inadæquatam,& partialem,nō eſſet partialis,& inadæquata,ſubſiſtentia non proportionaretur cum entitate,ad quam ſequitur,proportione habitudinis per modum termini cum natura terminabili;ſed ſic proportionatur : ergo ſi natura terminabilis eſt inadæquata,& partialis,ſubſiſtentia ad hanc naturam ſecuta debet eſſe partialis,& inadæquata.Conſequentia eſt legitima. Minor eſt conceſſa. Maior patet ; alioquin aſſignet proportionem prædictam.

120 *Reijcitur ſecunda ſolutio.*

Reijcitur etiam ſecunda Ill.Godoy ſolutio:nam licèt detur inDeo ſubſiſtens abſolutum, quod ſuppoſitum, & perſona,non ſit;repugnat tamen vnio cum Deo in vnitatem ſubſiſtentiæ, quæ vnitas ſuppoſiti , vel perſonæ rationem non habeat ex deffectu completionis:ergo ruit ſolutio Ill.Godoy. Probatur antecedens : ideò datur in Deo ſubſiſtens abſolutum , quod ſuppoſitum,nec perſona non ſit,quia cōmunicabilitas alteri,vt termino fecunditatis, & ex plenitudine perfectionis, non obſtat rationi formali ſubſiſtētię; ſed incompletio obeſt vnioni cū Deo in vnitatē ſubſiſtentiæ : ergo licèt detur inDeo ſubſiſtens abſolutum,quod ſuppoſitū,nec perſona non ſit;repugnat tamen vniò cum Deo in vnitatē ſubſiſtentiæ,&c. Conſequentia infertur. Maior eſt certa , eamque fatetur Ill.Godoy in ſolutione. Minor verò, in qua poteſt eſſe difficultas,manifeſtè apparet ex dictis *num.*114.

121 *Confirmatur* 1.

Confirmatur,& augetur difficultas. Primò : abſolutè repugnat ſubſiſtens, quod ſit incompletū : ergo repugnat vnio cuiuſcumque incompleti cum Deo in vnitatē ſubſiſtentiæ:ergo ruit ſolutio.Probatur antecedens:abſolutè repugnat ſubſiſtens abſq̄ ratione formali ſubſiſtētię;ſed formalis ratio ſubſiſtentię eſt,eſſe vltimū complementū ſubſtantiale : ergo abſolutè repugnat ſubſiſtens,quod ſit incompletū. Confirmatur ſecundo : quod non obeſt vnioni cū perſonalitate Verbi in vnitatem ſubſiſtentiæ , non obeſt vnioni cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſuppoſiti,vel perſonæ: ergo repugnat vnio cumDeo in vnitatē ſubſiſtentię, quæ vnitas non habeat rationē ſuppoſiti,vel perſonæ:ruit ergo ſolutio. Secunda conſequētia ex prima infertur. Prima vero ex antecedenti; quia non loquimur de vnione cū Deo in vnitatē ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſed relativæ, quæ perſonalitas eſt.Antecedens probatur : vnio cū perſonalitate Verbi in vnitatem ſuppoſiti,vel verſonæ , non addit ſupra vnitatem cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſubſiſtentiæ completionē naturæ : ergo quod non obeſt vnioni cū perſonalitate Verbi in vnitatem ſubſiſtentiæ ; non obeſt vnioni cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſuppoſiti,vel perſonæ. Antecedens ita certū apparet , vt negatū in nemine vidi , & convincitur : vnio cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ, ſolum connotat,ſupra vnionem cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſubſiſtentiæ, naturam eſſe , vel non eſſe intellectualem, vt omnes fatentur : ergo vnio cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſuppoſiti , vel perſonæ , non addit ſupra vnitatem cum perſonalitate Verbi in vnitatem ſubſiſtentiæ , completionem naturæ. *Confirmatur* 2.

§. VIII.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

122 *Arguit Ill. Godoy.*

COntra noſtram ſupra poſitam concluſionem arguit Ill.Godoy *num.*192: nam eſt de fide,animam rationalem manſiſſe in triduo cum Divino Verbo vnitam , & ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam Divinam : ergo eſt DivinoVerbo vnibilis,& ab ipſo ſubſtantialitèr aſſumptibilis.Hoc eſt argumentum,quod vt omninò certum, & extra controverſiam ſupponit Ill. Godoy,& certè ita non eſt; quia licèt ſit de fide , animam rationalem manſiſſe in triduo cum Divino Verbo vnitam;de fide tamē non eſt,manſiſſe in triduo ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam Divinam,modo, quo ab Ill.Codoy intelligitur , quinimò tam longè abeſt , vt ſit de fide , quod in noſtra opinione eſt omninò falſum,vt conſtat ex dictis *num.*111.*cum ſeqq.* Vndè

Respondeo 1. respondeo primò distinguendo antecedens: de fide est, animam rationalem mansisse in triduo cum Divino Verbo vnitam, & subsistentem per subsistentiam Divinam, sub conceptu subsistentiæ nego antecedens; sub conceptu sustentantis concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo anima rationalis est Divino Verbo vnibilis, & ab ipso substantialitèr assumptibilis, assumptione per modum sustentationis concedo consequentiam; assumptione per modum personationis nego consequentiam. Solutio claret ex dictis §. *antecedenti*, per probationes nostræ conclusionis, & per dicta §. 4. solvendo argumentum Ill. Godoy.

123 *Antec. responsionem suppono ex Scoto.* Pro secunda autem responsione suppono ex Scoto *quod lib. 9. §. de secundò. littera A.* Subsistentiam triplicitèr sumi posse. Primò: pro perseitate, seu existentia alicuius absquè inhærentia accidentali, quo pacto accidens in subiecto actualitèr non inhærens, subsistere dicitur. Secundò: pro perseitate, seu existentia alicuius absquè actuali, & aptitudinali inhærentia, quomodo omnis substantia completa, & incompleta subsistit. Tertiò: pro existentia incommunicabili alteri, nec ordinabili ad alterum actum simplicitèr, vt *quo*, & vt *quod*, & quod sic subsistit in natura irrationali, dicitur suppositum, in rationali autem, & intellectuali persona. Hæc tertia subsistentia est perfecta, & completa; duæ verò primæ sunt imperfectæ, & incompletæ.

124 *Respondeo 2.* Hoc itaquè supposito. Respondeo secundò ad prædictum argumentum, distinguendo alitèr antecedens: de fide est, animam rationalem mansisse in triduo cum Divino Verbo vnitam, & subsistentem per subsistentiam Divinam, sumpta subsistentia primò, & secundò modo omitto antecedens; capta subsistentia tertiò modo nego antecedens, & distinguo consequens data distinctione. *Tertiò.* Tertiò respondeo ad idem argumentum, alitèr distinguendo antecedens: de fide est, animam rationalem mansisse in triduo cum Divino Verbo vnitam, & subsistentem per subsistentiam Divinam imperfectè, & incompletè omitto antecedens; perfectè, & completè nego antecedens, & distinguo consequens, vt distinxi.

Nec hac solutione incidimus in intentum Ill. Godoy, tuentis: vnionem animæ rationalis cum Deo esse in vnitatem personæ, non adæquatæ, & completæ, sed personæ inadæquatæ; tùm, quia hoc reiectum à nobis manet *num.* 117; tùm, quia quando dicimus: animam rationalem subsistere imperfectè, & incompletè per Divinam subsistentiam, asserimus tantum, animam rationalem nec actualitèr, nec aptitudinalitèr Deo inhærere, quod longè abest ab eo, quod anima rationalis sit vnita cum Deo in vnitatem personæ, quod est Ill. Godoy assertum. 125

126 *Replicabis pro Ill. God.* Contra nullam ex his solutionibus replicat Ill. Godoy; pro ipso tamen replicari potest contra vtramque solutionem in hunc modum: si Verbum non assumpsisset immediatè assumptione per modum personationis partes essentiales humanitatis, sequeretur, quod Verbum non potuisset supplere vicem subsistentiæ creatæ in partibus separatis; sed hoc est falsum: ergo partes essentiales humanitatis fuerunt à Verbo assumptæ immediatè assumptione per modum personationis; & consequentèr anima rationalis mansit in triduo cum Divino Verbo vnita, & subsistens per subsistentiam Divinam sub conceptu subsistentiæ. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima ex præmissis. Ex his vero maior in nostra sententia difficultatem non habet; asserimus namquè: partes essentiales humanitatis non habere propriam subsistentiam, & consequentèr non posse subsistere per subsistentiam Divinam, quod totum dictum habemus *n.* 113. & 114. Minor autem certa videtur.

127 *Respondeo.* Respondeo ad replicam distinguendo maiorem: si Verbum non assumpsisset immediatè assumptione per modum personationis partes essentiales humanitatis, sequeretur, quod Verbum non potuisset supplere vicem subsistentiæ creatæ in partibus separatis, sub conceptu subsistentiæ concedo maiorem; sub conceptu simplicis sustentationis nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego vtramque consequentiam. Certum namquè est: Verbum Divinum non posse supplere in partibus separatis vicem subsistentiæ creatæ rigorosè sumptæ, seu sub conceptu subsistentiæ, vt convincit

pro-

probatio maioris; Cæterum hoc non tollit, quod Verbum supplere possit vicem subsistentiæ creatæ sub conceptu simplicis sustentationis, vt manet probatum; neque ab hoc partes essentiales humanitatis dicentur assumi ad personalitatem, seu subsistentiam rigurosam; sed solum ad talem independentiam, qualis nata est convenire naturæ rei assumptibilis.

128 *Argues pro Ill. Godoy.* Ill. Godoy aliud non adducit contra nostram conclusionem, nisi quod tradit *num.* 258. pro forma materiali à materia separata, de quo infrà; pro ipso tamen argui potest ex doctrina Scoti, qui *in 3. dist.* 16. *quæst.* 2. *§ sed contra*, præter vnionem ad totum admittit alias duas vniones, quibus partes fuerunt Verbo vnitæ, & quas Verbū semper retinuit; *& dist.* 2. *quæst.* 2. *§. ideo quantum, & ad argumentum* docet: Verbum primò assumpsisse totum, quam partes; alioquin non fuisset primo homo. Ex quibus sic argumentum efformatur.

129 Si Verbum assumpsisset immediatè partes essentiales humanitatis, Verbū prius assumpsisset partes, quam totū; sed hoc est falsum iuxta Scotum: ergo Verbum non assumpsit immediatè partes essentiales humanitatis. Consequentia est legitima. Minor claret ex Scoto proximè citato. Maior autem est manifesta; nam partes sunt toto priores: ergo si Verbum assumpsit immediatè partes essentiales humanitatis, Verbum prius assumpsisset partes, quam totum. Hoc argumentum tangit difficultatem illam, in qua agitur de ordine assumptionis partium humanitatis comparativè ad naturam, & an vnica vnione tota humanitas, & partes fuerunt Verbo vnitæ; an vero distinctis vnionibus? quæ resolvenda est conclusione sequenti.

Difficultas incidens resolvitur.

§. IX.

Occasione huius argumenti statuitur secunda conclusio.

130 *2. Concluſ.* SEcunda conclusio: *Partes essentiales humanitatis ordine executionis fuerunt prius natura vnitæ Verbo vnione sustentationis; vnione tamen personationis prius, quam partes; fuit humanitas Verbo vnita, tàm ordine intentionis, quàm executionis. Vnde Verbum prius assumpsit partes, quam naturam, assumptione per modum sustentationis; assumptione vero per modum personationis prius naturam, quam partes, assumpsit, & consequenter quælibet pars essentialis humanitatis fuit Verbo vnita, vnione distincta ab vnione, qua humanitas fuit vnita Verbo.* Hæc conclusio habet duplicem partem, quarum prima est Scoti *in 3. dist.* 2. *quæst.* 2. *artic.* 2. *§. contra hoc.* Secunda est eiusdem Doctoris *in 3. cit. art.* 1. *§. ideo quantum.* Vtraque tamen est contra Ill. Godoy, qui *num.* 246. tenet: vnica vnione fuisse humanitatem, & illius partes vnitas.

131 *Probatur prima pars cōclusionis.* Probatur prima pars conclusionis: partes ordine executionis sunt natura priores toto: ergo partes prius natura fuerunt assumptæ, quam totū, assumptione eis proportionata; atqui assumptio partibus proportionata est assumptio per modum sustentationis: ergo assumptione per modum sustentationis prius fuerunt vnitæ Verbo partes essentiales humanitatis, quam fuerit vnita ipsa humanitas per modum personationis. Antecedens est manifestū. Consequentia est legitima. Sussumpta claret ex dictis *num.* 98. Consequentia certa videtur, & ostenditur: nam assumptio per modum sustentationis nō dependet ab assumptione per modum personationis: ergo potuit exerceri in illo priori naturæ: ergo assumptione per modum sustentationis prius fuerunt vnitæ Verbo partes essentiales humanitatis, quam fuerit vnita ipsa humanitas per modū personationis.

132 *Probat. 2. pars conclusionis.* Secunda pars conclusionis pro ordine intentivo probatur: assumptio totius est prius intenta, quam assumptio partium; quia agens prius intendit totum, quam partes, quas ordinat ad constitutionem totius: ergo ordine intentionis prius, quam partes, fuit humanitas Verbo vnita vnione personationis. Pro ordine autem executionis probatur: quod est primò personabile in se; est primò personabile in Verbo; sed natura est primò in se personabilis; nam partes solum secundario, participativè, & mediatè, sunt personabiles ex Scoto *quod lib.* 9. ergo ordine executionis prius, quam partes, fuit humanitas Verbo vnita vnione personationis.

133 *Arguitur 1. pro Ill. Godoy.* Contra hanc conclusionem nihil obijcit Ill. Godoy, & si oppositum asserens, pro ipso tamē arguitur primò: hæc causalis est vera: ideo partes fuerunt vnitæ, quia totus homo fuit vnitus: ergo prius humanitas, quam par-

tes, fuit vnita ordine executionis. Reſpondeo. Reſpondeo diſtinguendo antecedēs: ideò partes fuerunt vnitę per modum perſonationis, quia totus homo fuit vnitus concedo antecedens; ideò partes fuerunt vnitæ per modum ſimplicis ſuſtentationis, quia totus homo fuit vnitus nego antecedens, & conſequētiam; quia hoc modo cauſalitas oppoſita eſt vera, ſcilicet, ideò totus homo fuit vnitus, quia eius partes vnitæ fuerunt; nam in hoc genere vnionis vnio partium fuit diſpoſitio ad vnionem totius.

134 Arguit. 2. Arguitur ſecundò: ratio probans, quod partes priùs, quam totum, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis, probat etiam, quod priùs fuerint aſſumptæ aſſumptione per modum perſonationis; ſed iuxta noſtram doctrinam partes priùs, quā totum, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis: ergo priùs, quam totū, fuerunt etiam aſſumptæ aſſumptione per modum perſonationis: ergo ruit ſecunda pars concluſionis. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem probatur: ratio probans, quod partes priùs, quam totum, fuerunt aſſumptę aſſumptione per modum ſuſtentationis, eſt, quia partes ordine executionis ſunt natura priores toto; ſed hæc ratio ſemper ſubſiſtit, ſemperque eſt vera: ergo ratio probans, quod partes priùs, quam totum, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſuſtentationis ſimplicis, probat etiam, quod priùs fuerint aſſumptæ aſſumptione per modum perſonationis.

135 Reſpondeo 1. Reſpondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius probationē diſtinguo primò maiorem: ratio probans, quod partes priùs, quam totum, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis, eſt, quia partes ordine executionis ſunt natura priores toto, quoad eſſe, & ſuſtentari concedo maiorem: quoad eſſe præciſè nego maiorem: diſtinguoque minorem: ſed partes ordine executionis ſunt natura priores toto, quoad eſſe concedo minorem; quoad perſonari nego minorem, & conſequentiā. Secundò. Et iuxta hanc ſolutionem diſtinguo ſecundò maiorē: ratio probans, quod partes priùs, quam totum, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis, eſt, quia partes ordine generationis, & ſimplicis ſuſtentationis ſunt priores toto concedo maiorem; ordine generationis tantū nego maiorem; & diſtinguo minorē: ſed partes ordine executionis ſunt natura priores toto, ordine generationis, & ſimplicis ſuſtentationis concedo minorem; ordine perſonationis nego minorem, & conſequentiam.

136 Tertiò. Reſpondeo tertiò aliter diſtinguendo maiorem: ratio probans, quod partes priùs, quam totū, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis, eſt, quia partes ordine executionis ſunt natura priores toto, ſuppoſita in partibus poſsibilitate ad aſſumptionem per modum ſimplicis ſuſtentationis concedo maiorem; tali poſsibilitate non ſuppoſita nego maiorem; & diſtinguo minorem: partes ordine executionis ſunt natura priores toto, ſuppoſita in partibus impoſsibilitate ad aſſumptionem immediatam per modum perſonationis concedo minorem; tali impoſsibilitate non ſuppoſita nego minorem, & conſequentiam. Solutio claret ex probationibus vtriuſque partis concluſionis, quin aliquid ad dicta addere, ſit neceſſarium.

137 Ratio triplicis ſolutionis. Partes itaquè ſunt toto priores in eſſe, ſeu ordine generationis, cum totum componatur ex partibus, & conſequenter illas in eſſe ſupponere debeat, quam priotitatem in partibus reſpectu totius negavit nemo. Sunt etiam toto priores ordine ſimplicis ſuſtētationis, vt apparet ex dictis *num.* 108. & 109. Ordine verò perſonationis totum eſt partibus prius, eo, quod totum eſt primò in ſe perſonabile; partes verò ſolum ſecundariò, participativè, & mediatè, vt cum Scoto diximus *num.* 132. Vndè ratio probans, quod partes priùs, quam totum, fuerunt aſſumptæ aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis, nullo modo probat, quod fuerint priùs aſſumptę aſſumptione per modum perſonationis, quia ratio probans prioritatem partium in aſſumptione per modum ſimplicis ſuſtentationis, eſt, quia partes ſunt toto priores in hoc ordine aſſumptionis, cuius oppoſitum accidit in ordine aſſumptionis per modum perſonationis.

138 Replicabis. Replicabis: partes ordine executionis ſunt toto priores ordine generationis, ſeu eſſendi, & ſimplicis ſuſten-

ta-

tationis:ergo ordine executionis non sunt toto posteriores ordine personationis. Antecedens est doctrina à nobis tradita, & solutio, quam ad argumentum dedimus. Consequentia probatur: si ordine executionis partes essent toto posteriores ordine personationis, partes respectu totius essent priores,& posteriores;sed hoc repugnat : ergo partes ordine executionis non sunt toto posteriores ordine personationis. Maior,& consequentia tenent. Probatur minor:repugnat,quod idem respectu eiusdē sit prius, & posterius:ergo repugnat,quod partes respectu totius sint priores, & posteriores. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam,ad cuius probationem distinguo maiorem: partes respectu totius essent priores,& posteriores,secundū diversas rationes concedo maiorem;secundum eandem rationem nego maiorem. Solutio est omnibus manifesta;quia idem respectu eiusdem esse prius, & posterius secundum diversam rationem, non est contradictio,vt omnes sentiunt, & ex diffinitione contradictionis apparet.

Respondeo

139 *Argumentum positū num.*129. *solvitur.*

Ex his itaquè ad argumentum positum *num.*129. cuius occasione tractata est hęc difficultas,respondeo distinguendo maiorem : si Verbum assumsisset immediatè partes essentiales humanitatis,Verbum priùs assumpsisset partes,quam totū, eo genere assumptionis,quo partes assumpsit immediatè concedo maiorem ; alio genere assumptionis nego maiorem, & minorem ; ad cuius probationem explico Scotum : Verbum primò assumpsit totum,quam partes, assumptione per modum personationis concedo ; assumptione per modum simplicis sustentationis nego. Et hoc est, quod Doctor intendit;nam vbicumquè asserit : Verbum primò, & immediatè assumpsisse totum;partes verò secundariò,& mediatè,loquitur de assumptione personationis,sicut quando ait: Verbum immediatè assumpsisse partes,loquitur de assumptione simplicis sustentationis, quæ optimè compatiuntur, & rationabilia videntur, vt constat ex dictis, ex quibus apparet: quomodo Verbum assumpsit immediatè partes essentiales humanitatis, & quo ordine comparativè ad totum illas assumpserit, in quo ampliùs non est immorandum.

§. X.

De materia prima sine forma substantiali,& forma materiali separata à materia.

140 *Quodam præsuppositum.*

SVpposita Scoti, & Scotistarum doctrina, quod materia prima existere valet sine forma, de quo in physica latè egimus,satis ex hucusque dictis constat:tàm materiam primam sine forma substantiali, quàm formā materialem separatam à materia,posse assumi ad Divinam subsistentiam sub conceptu simplicis sustentationis; an verò assumi possint ad illam sub conceptu subsistentiæ, seu ad subsistētiam propriè dictam,& rigurosam,de qua loquitur Ill. Godoy §. 15. & 17. est difficultas in præsenti exagitanda. Pro qua sit.

141 *3.Conclusio Scotus. D.Thom.*

Tertia conclusio: *Implicat materiam primam assumi ad Divinam subsistentiā sine forma substantiali.* Ita Scotus, & D.Thomàs,cum quo Ill.Godoy *num.* 229. relicta tamen illius ratione, deducta ex eo,quod implicat,materiam primam existere sine forma, vtpote, in nostra doctrina falsa, vt proximè dicebamus, & in præsenti non probanda,sed supponenda,ne in quæstione merè physica (vt inquit Ill.Godoy *num.cit.*) immoremur;sic à nobis probatur:quod non habet propriam subsistentiam, non potest Divinæ immediatè vniri, nec per illam subsistens reddi ; sed materia prima sine forma substantiali non habet propriam subsistentiam : ergo non potest Divinæ immediatè vniri, nec per illam reddi subsistens.Consequentia tenet. Maior constat: nam ideò subsistentia Divina potest naturæ completæ vniri immediatè, illamque subsistentem reddere, quia continet eminentèr subsistentiā terminantem naturam completam, ob quam continentiam potest illius effectum supplere,& vice illius naturā completam terminare: ergo quod nō habet propriam subsistentiā, non potest Divinæ immediatè vniri, nec per illā reddi subsistens.Minor autem probatur:nulla pars essentialis habet propriam subsistentiam ; sed materia prima sine forma substantiali est pars essentialis totius : ergo materia prima sine forma substantiali non habet propriam subsistentiam.

Probatur conclusio.

142 Probatur maior.Primò:subsistentia

est

Probatur maior.1. est vltimum complementum substantiale; sed nulla pars essentialis habet vltimum substantiale complementũ: ergo nulla pars essentialis habet propriam subsistentiam. Probatur minor: omnis pars essentialis est ex se incompleta, ideoque ordinabilis per se ad alterius completionem: ergo nulla pars essentialis habet vltimum substantiale complementum. *Secundò* Probatur secundo: subsistentia est incommunicabilitas vt *quo* per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialitèr completivo; sed hoc nulli parti essentiali convenit: ergo nulla pars essentialis habet propriam subsistentiam. Consequentia est legitima. Maior est diffinitio subsistentię à nobis tradita *tom.3 in 1. Sent. disput.80. num.8. & 9.* Minor verò patet. Primò: quia nulla pars essentialis est forma totius, seu forma, quæ sit totum, quia hæc est ipsa substantia composita: ergo incommunicabilitas vt *quo* per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialitèr completivo, nulli parti essentiali convenit. Patet secundò: nam omnis pars essentialis est per se ordinata ad totum: ergo idem, quod antea.

143 *4. Conclusio* Quarta conclusio: *Forma corruptibilis, & materialis separata à materia nequit vniri cum Divina existentia, nec ad Divinam subsistentiam assumi.* Conclusio quoad vtramque partem est contra Ill. Godoy *num.252.* Vtraque tamẽ est Doctoris Subtilis; nam primam habet omnibus locis, quibus docet: existentiã creatam non distingui realitèr ab essentia, quod loquendo de existentia humanitatis Christi tenet expræsè *in 3. dist.6. quæst.1.* Secundam verò tenet *in 3. dist.2. quæst.2. artic.1. §. ideo quantum*, cum quo, & ego. Sed ante probationem præmittendũ non est: Ill. Godoy in hac conclusione parum consequentèr procedere, vt diximus *num.93.* ideoque probatio, quam contra ipsum ad hominem formavimus *num. 96.* hic contra illum applicari valet. Quo animadverso.

Scotus.

144 *Probatur 1. pars conclusionis.* Conclusio quo ad primam partem probatur primò: nam quia existentia humanitatis realitèr ab illa non distinguitur, & si eminentèr contineatur in Divina existentia, nequit hæc cum humanitate vniri, neque effectũ propriæ existentiæ supplendo, illam existentem reddere; atqui existentia formæ corruptibilis, & materialis separatæ à materia, non distinguitur realitèr ab eius entitate: ergo & si eminentèr contineatur in Divina existentia, nequit hæc effectum illius supplere, nec cum forma materiali, & corruptibili separata à materia, vniri, vt illam existentem reddat, ac proindè repugnat vnio immediata formæ materialis, & corruptibilis à materia separatæ, cum existentia Divina. Vtraque consequẽtia est legitima. Præmissæ autem sunt manifestæ in nostra doctrina, quæ in præsenti non est probanda, sed supponenda, vt supposita manet *num.94.*

145 *Probat. 2.* Probatur secundò eadem pars conclusionis: ideò quælibet natura substantialis completa potest immediatè vniri cum Divina subsistentia, & ab ipsa reddi subsistens, supplendo effectũ propriæ subsistentiæ, quia subsistentia creata realitèr distinguitur ab omni natura creata substantiali; atqui existentia formæ materialis, & corruptibilis à materia separatę, non distinguitur realitèr ab ipsius entitate: ergo nequit forma materialis, & corruptibilis à materia separata, immediatè vniri cum existentia Divina, neque ab ipsa reddi existens, supplendo effectũ propriæ existentiæ, & consequentèr repugnat vnio immediata formę materialis, & corruptibilis separatæ à materia, cum Divina existentia. Vtraque consequentia ex præmissis infertur. Inter nas autem maior est omnium Theologorum, illamque habet Ill. Godoy *num.7.* & ipsam nos docuimus *num.8.* Minor constat ex doctrina *num. antec.* supposita, & hic non probanda.

146 *2. pars conclusionis probatur 1.* Deinde secunda pars conclusionis probata manet ratione, qua *num.141. & 142.* probavimus: materiam primã sine forma substantiali non posse assumi ad Divinam subsistentiam; vltra quod hac probatur primò ratione: si forma materialis, & corruptibilis separata à materia, posset assumi ad Divinam subsistentiam, forma materialis, & corruptibilis separata à materia, subsistere posset propria subsistentia; sed forma materialis, & corruptibilis à materia separata, nequit subsistere propria subsistentia: ergo forma materialis, & corruptibilis à materia separata, non potest assumi ad Divinam subsistentiam. Consequentia est legitima. Maior est certa: nam quod nequit subsistere propria subsistentia, nequit assumi ad subsistentiam Divinam, vt

est

est certum,& fatetur Ill. Godoy *num.* 135. Minor verò probatur : si forma materialis , & corruptibilis à materia separata , posset subsistere subsistentia propria,subsisteret subsistentia partiali ; sed non datur partialis subsistentia iuxta communem,& veriorem Thomistarum doctrinam,quam amplectitur Ill. Godoy *num.* 205 : ergo forma materialis , & corruptibilis à materia separata , nequit subsistere propria subsistentia.

147 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill.Godoy *num.*276. negando minorem,ad cuius probationē negat maiorem; sicut enim subsistentia , quà anima rationalis à corpore separata subsistit,quamvis sit subsistētia entitatis partialis ; non tamen est subsistentia partialis, quia ad hoc requirebatur,quod posset cum alia subsistentia componere aliquā subsistentiam totalem;ita subsistentia,qua subsisteret forma corporea à materia separata,quamvis esset subsistentia entitatis partialis, subsistentia partialis nō esset,quia non posset cū alia subsistētia partiali cōponere subsistentiā totalē.

148 *Impugnatur 1. hæc solutio.* Impugnatur primò solutio , probando maiorem, quam negat Ill.Godoy: forma materialis, & corruptibilis à materia separata , est entitas partialis: ergo si forma materialis, & corruptibilis à materia separata , posset subsistere subsistentia propria,subsisteret subsistentia partiali : ergo vera est maior,& nulla solutioIll.Godoy.Antecedens conceditur ab ipso in solutione. Prima consequentia probatur: subsistentia consequitur entitatem, & cum illa proportionatur ; sed forma materialis , & corruptibilis à materia separata, est entitas partialis iuxta cōcessa: ergo si forma materialis, & corruptibilis à materia separata , posset subsistere subsistentia propria,subsisteret subsistentia partiali.Quod ad hanc replicam posset Ill. Godoy respondere , declaratum est *num.*118. & repulsum *num.*119.Neque vim habet exemplum de anima rationali;est enim falsum,vt constat ex dictis *n.*111.*cū seqq.*

149 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò prædicta solutio: nam dato,quod essent partiales subsistentiæ , subsistentia non dicitur partialis eo , quod cum alia subsistentia componere possit aliquam subsistentiam totalem: ergo licèt subsistentia formæ materialis , & corruptibilis à materia separatæ, nequeat cum alia subsistentia componere aliquam subsistentiam totalem , erit partialis subsistentia: ergo ruit doctrina ab Ill.Godoy in solutione tradita. Probatur antecedens: dato,quod essent existentiæ partiales , existentia non dicitur partialis eo , quod cum alia existentia componere possit aliquam totalem existentiam: ergo paritèr: dato,quod essent partiales subsistentiæ, subsistentia non dicitur partialis eo,quod cum alia subsistentia componere possit aliquam totalem subsistentiam.

Antecedēs probat. 1. Probatur antecedens primò: nam quælibet pars integralis , scilicet, pes, manus , &c. habet propriam existentiam ; sed existentia cuiuslibet partis est partialis , quin cum alia existentia componere possit aliquam totalem existentiam : ergo dato , quod essent existentiæ partiales, existentia non dicitur partialis eo,quod cum alia existentia componere possit aliquam totalem existentiam.Maior cum consequentia tenet. Minor verò pro prima parte est certa;nam existentia cuiuslibet partis est quid physicè incompletum,sicut ipsa pars. Pro secunda verò probatur ad hominem contra Ill.Godoy : si enim existentia partialis cum alia existentia componeret aliquā totalem existentiam , partes non existerent existentia totius , sed potiùs totū existeret existentia partium , quod est falsum apud Ill.Godoy *num.*205.sicut etiam falsum est apud illum,quod totum subsistat subsistentia partium , & partes non subsistant subsistentia totius: ergo existentia partialis cum alia existentia non componit aliquam existentiam totalem.

150 *Probat. 2.* Probatur secundò dictum antecedens : Theologi concedentes Divinis attributis proprias existentias,ab existentia Essentiæ Divinæ distinctas,concedunt existentias partiales; atqui nullatenùs concedunt , tales existentias componere aliquam existentiam totalem: ergo dato,quod essent existentiæ partiales , existentia non dicitur partialis eo , quod cum alia existentia componere possit aliquam existentiā totalem.Confirmatur:nam Phylosophi concedentes partibus totius substantialis existentias partiales , nullo modo concedunt , tales existentias componere aliquam totalem existentiam:ergo idem,quod antea. *Confirm.*

Et ratio est:nam existentia partialis

151

di-

dicitur talis eo præcisè, quod sit existentia partis, vel quasi partis; neque vltra requiritur, quod cum alia existentia componat aliquam existentiam totalem; imò hoc existentię repugnat: nam vt partiales existentiæ componerent aliquam totalem existentiã, vna existentia necessario se haberet vt potentia, & alia per modum actus; sed repugnat, quod vna existentia se habeat vt potentia, & alia per modum actus: ergo repugnat, quod vna existẽtia cum alia componat aliquam existentiam totalem. Probatur minor: nulla existentia potest esse actus alterius existentiæ; nã existentia non est actus, existentiæ; alioquin existentia esset in potẽtia obiectiva, quod repugnat, sed est actus entitatis, quam existentem reddit: cum ergo existentia non reddatur existens per aliam, quin potius hoc repugnet, repugnat, quod vna existentia se habeat, vt potentia, & alia per modum actus. Quod quidem de subsistentia proportione servata dicendum est.

152 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò allata solutio: si forma materialis, & corruptibilis à materia separata, subsisteret propria subsistentia, subsisteret necessario subsistentia partiali: ergo nulla est responsio Ill. Godoy. Probatur antecedens primò: entitati, quę est pars incompleta, necessario debet correspondere subsistentia minoris entitatis (dato, quod per se subsistat) quam subsistentia, quæ correspondet entitati, quæ est totum substantiale; sed forma materialis, & corruptibilis à materia separata, est entitas, quæ est pars incompleta: ergo dato, quod subsistat propria subsistentia, necessario debet illi correspondere subsistentia minoris entitatis, quam subsistentia, quæ correspondet entitati, quæ est totum substantiale. Atqui subsistentia, quæ correspondet entitati, quæ est totũ substantiale, est subsistentia totalis: ergo formę materiali, & corruptibili à materia separatæ, necessariò debet correspondere subsistentia partialis; alioquin non esset subsistentia minoris entitatis, quam quæ correspondet entitati, quæ est totum substantiale: ergo verum est antecedens, nempè, si forma materialis, & corruptibilis à materia separata, subsisteret propria subsistentia, necessariò subsisteret subsistentia partiali.

Probatur secundò dictum antecedens, & impugnatur quartò solutio Ill. Godoy: forma materialis, & corruptibilis à materia separata, existeret existentia partiali; sed quod existit partiali existentia, si propria subsistentia subsistit, subsistit necessariò subsistẽtia partiali: ergo si forma materialis, & corruptibilis à materia separata, subsisteret propria subsistentia, subsisteret necessariò partiali subsistentia, & consequentèr ruit solutio Ill. Godoy. Minor, & consequentiæ tenent. Maior probatur: forma materialis, & corruptibilis à materia separata, existeret per existentiam dimanantem ab illa in statu separationis; atqui à forma materiali, & corruptibili in statu separationis, solum potest existentia partialis dimanare: ergo forma materialis, & corruptibilis à materia separata, existeret existentia partiali. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *num.* 258. in probatione suæ conclusionis. Minor verò probatur: forma materialis, & corruptibilis in statu separationis, est entitas partialis; sed ab entitate partiali solum potest dimanare existentia partialis: ergo à forma materiali, & corruptibili in statu separationis, solum potest dimanare existentia partialis. Probatur minor: ab entitate partiali nequit dimanare existentia totalis: ergo solum potest ab illa dimanare existentia partialis. Probatur antecedens: si ab entitate partiali dimanaret existentia totalis, effectus, seu principiatum excederet causam, vel principium; sed hoc repugnat apud omnes: ergo ab entitate partiali nequit dimanare existentia totalis. Maior, in qua vnicè potest esse difficultas, probatur: nam id, quod dimanat ab aliquo, est effectus, seu principiatum illius; sed existentia totalis excedit entitatem partialem, vt de se claret: ergo si ab entitate partiali dimanaret existentia totalis, effectus, seu principiatum excederet causam, vel principium.

153 *Impugn. 4.*

154 *Probat. 2. 2. pars conclusionis.* Probatur secundò eadem pars conclusionis: absolutè repugnat subsistẽs, quod sit incompletum: ergo repugnat vnio cuiuscumque incompleti cum Deo in vnitatem subsistentiæ. Atqui forma materialis, & corruptibilis à materia separata, est quid incompletum: ergo repugnat vnio formæ materialis, & corruptibilis à materia separatæ, cum Deo in vnitatem subsis-

ten-

tentiæ : ergo repugnat, quod forma materialis, & corruptibilis à materia separata, assumatur ad Divinam subsistentiam. Omnia sunt vera, si verum est antecedens. Probatur itaquè antecedens : absolutè repugnat subsistens absque ratione formali subsistentiæ; sed ratio formalis subsistentiæ est, esse vltimum complementum substantiale: ergo absolutè repugnat subsistens, quod sit incompletum.

§. XI.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy.

155 *Arguit contra 1. part. 4. conclusionis.*

CONtra primam partem nostræ quartæ conclusionis arguit Ill. Godoy *num.* 253 : nam quod est capax existentiæ creatæ, potest vniri cũ existentia Divina; sed forma corruptibilis potest de potentia absoluta existere separata à materia: ergo potest sic separata Divinæ existentiæ vniri, reddique existens per illam. Consequentia tenet. Maiorem ostendit. Primò: quod enim subsistit subsistentia creata, est capax subsistendi per subsistentiã Divinam: ergo pariter: quod per creatã existentiam existit, potest cum Divina vniri. Secundò: ideò namquè potest, quod subsistit subsistentia creata, subsistere per Divinã, quia hæc continet eminentèr subsistentiam creatam, & quia distinguitur realitèr à natura; sed etiam existentia creata realitèr distinguitur ab essentia, & eminentèr continetur in essentia Divina: ergo quod existit existentia creata, potest per Divinam existere.

Respondeo ad argum.

Respondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius primam probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est : nam subsistẽtia creata realitèr distinguitur à natura, ideòque potest ab ea separari, & ad Divinam assumi, vt de humanitate Christi docet fides. Ast existentia realitèr identificatur cum essentia, ideòque nequit ab illa separari, & cõsequentèr nec ad Divinam assumi; nã vt posset assumi, necessariò requiritur realis distinctio existentiæ à re, cuius est existentia, vt fatetur Ill. Godoy in secunda probatione, quæ soluta manet negando primam partem minoris, cuius falsitas supponitur in Scotistarum doctrina.

156 *Arguit ipse contra 2. p. cõclusionis.*

Contra secundam partem conclusionis prædictæ arguit Ill. Godoy *num.* 258 : quod enim capax est subsistendi per propriam subsistentiam, potest etiam per Divinam subsistere; sed forma substantialis corporea separata à materia subsistit subsistentia propria: ergo sic separata potest subsistere per Divinam. Consequentia tenet. Maior constat ex dictis. Minor probatur: nã subsistere idem est, quod per se existere perfeitate positiva; sed forma substantialis corporea à materia separata existit per se perfeitate positiva: ergo sic separata subsistit. Probatur minor: per se existere perfeitate positiva est per se existere cum repugnantia ad essendum in alio, vel vt in subiecto inhæsionis, aut informationis, vel sustentationis, vel vt in toto per dependentiam ab illo; sed formæ substantiali, vt existenti per existentiam dimanantem ab illa in statu separationis, repugnat existere in alio aliquo ex prædictis modis : ergo existit per se positivè. Minor, in qua est difficultas, pro prima parte non indiget probatione ; nã subiectum inhesionis repugnat formę substantiali, & conceptui communi substantiæ, vt ab accidente distinctæ.

157 *Minor pro 2. part. probatur.*

Pro secunda parte probatur : non enim stat, formam informare materiam, quin existentia, qua existit, informet etiam materiam, vel saltim existentiam materiæ; sed existentiæ, qua existit forma à materia separata, repugnat informare materiam, vel existentiam materiæ : primum, quia non est existentia totius ; existentia autem formam, & materiam informans, totum existens constituit; & consequentèr est existentia totius: secundũ, quia non est existentia partialis, aliàs cum alia existentia posset totalem existentiam componere, quod in schola D. Thomæ repugnat : ergo formæ substantiali corporeę, vt existenti per existentiam dimanantem ab illa, separatione à materia supposita, repugnat in alio existere, vt in subiecto informationis. Pro tertia parte etiã probatur: non enim est dabile subiectum sustentationis, nisi media inhæsione, aut saltim informatione : ergo si formæ, vt sic existenti, repugnat subiectum inhæsionis, & informationis, repugnat illi subiectum sustentationis. Et ex his pro quarta parte suadetur : nam forma non potest in toto existere, nisi materiam informet, & cum illa totũ componat : ergo si repugnat formæ materiali corporeæ, vt prædicto mo-

Pro 3.

Pro 4.

do

do existenti, esse in alio, vt in subiecto inhæsionis, & informationis, repugnat etiam illi existere in alio, vt in toto.

158 *Respondeo 1. ad argument.* Respondeo primò ad argumentū, negando minorem: ad cuius probationem distinguo maiorem: subsistere idem est, quod per se existere, perfeitate positiva, ideſt, existere inordinabiliter concedo maiorem; alio modo nego maiorem, & distinguo minorē; sed forma substantialis corporea à materia separata existit per se perfeitate positiva, ideſt, existit inordinabilis, & incommunicabilis nego minorem; alio modo omitto minorem, & nego consequentiam; quia subsistere idem est, quod inordinabiliter, & incommunicabiliter existere, quod nequit convenire formæ substantiali corporeæ à materia separatæ; est namquè ordinabilis, & communicabilis suo composito, & iſtius suppositō, alioquin non esset quid physicè incompletū, quod esse falsum, apparet.

159 *Respondeo 2.* Respondeo secundò aliter distinguendo maiorem probationis: subsistere idem est, quod per se existere perfeitate positiva, ideſt, existere incommunicabiliter vt *quo*, & vt *quod* per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialiter completivo concedo maiorem; alio modo nego maiorem; & distinguo minorem: sed forma substantialis corporea separata à materia existit per se perfeitate positiva, ideſt, existit incommunicabiliter vt *quo*, & vt *quod* per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialiter completivo nego minorem; alio modo omitto minorem, & nego consequentiam; quia subsistens est incommunicabile vt *quo*, & vt *quod* per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialiter completivo, quod nullatenus convenire potest formæ partis, quod latè declaravimus *tom. 3. in 1. Sent. disput. 80. §. 1.*

160 Vtraquè hæc solutio conformis est doctrinæ Subtilis Doctoris, & modo, quo nos cum ipso de subsistentia loquimur, contra quam nihil adducit Ill. Godoy, imò nec illius meminit. Et licèt quælibet sit sufficiens pro argumenti solutione, vlteriùs argumentum examinare progredior, quia verū fatēdo, plura falsa in illo invenio. Falsum itaquè primò est, quod subsistere sit idem, quod per se existere perfeitate positiva; nam iuxta communem Thomistarum sententiam accidentia Eucharistica existunt per se perfeitate positiva, vt diximus *num. 63.* & tamē accidentibus subsistentia repugnat, vt cum omnibus admittit, & fatetur Ill. Godoy *num. 135.* Et hæc est tertia argumenti responsio.

161 *Respondeo 4.* Deindè falsum est secundò, quod per se existere perfeitate positiva, sit per se existere cum repugnantia ad essendum in alio, vel vt in subiecto inhæsionis, aut informationis, vel sustentationis, vel vt in toto per dependentiam ab illo. Primò: quia iuxta dictam Thomistarum sententiam accidentia Eucharistica existunt per se perfeitate positiva, & tamen non dicunt repugnantiam ad essendum in alio, vt in subiecto inhæsionis, quin potiùs exigunt inhærere. Secundò: nam omnis substantia completa creata existit per se perfeitate positiva; & tamen non dicit repugnantiam ad essendum in alio, tamquam in supposito, illam sustentante, & terminante; alioquin nulla natura substantialis creata esset assumptibilis à Verbo, quod est contra fidem docentem: naturam humanam esse de facto à Verbo assumptā. Et hęc est quarta argumenti solutio.

162 *Respondeo 5.* Denique tertiò falsum est: quod formæ substantiali, vt existenti per existentiam dimanantē ab illa in statu separationis, repugnet existere in alio. Primò: quia ipsi non repugnat existere in alio, vt in subiecto informationis; alioquin formæ separatæ repugnaret vnio cum propria materia, & consequentèr anima D. Petri, v. g. non esset vnibilis cum corpore, quod est contra fidem, vt patet in Symbolo D. Athanasij dicentis: *Omnes resurgere habent cum corporibus suis.* Secundò: quia formæ prædictæ non repugnat existere in alio, vt in subiecto sustentationis; alioquin repugnaret vnio illius cū sua materia, quæ est subiectum sustentativum illius, quod est falsum, ob rationem proximè datam. Tertiò: quia formæ prædictæ non repugnat esse in alio, vt in toto; alioquin ipsi repugnaret componere totum, quod est contra rationem omnis formæ, quæ habet rationem partis. Et hęc potest esse vltima argumenti solutio, sicque falsitates argumenti declaratæ manent.

163 *Replicabis cū doctrina Ill. Godoy.* Sed vt hæc clariùs appareant, contra vtramque solutionem ex doctrina tradita replicabis cum doctrina ab Ill. Go-

Godoy in argumento adducta : subsistere est existere inordinabilitèr, & incommunicabilitèr; sed forma substantialis corporea à materia separata existit inordinabilitèr,& incommunicabilitèr:ergo sic separata subsistit:ergo tenet argumentum illius, & vtraq; nostra solutio evanescit.Probatur minor:existere inordinabilitèr,&incommunicabilitèr est existere cum repugnantia ad essendum in alio , vel vt insubiecto inhæsionis , aut informationis , vel sustentationis , vel vt in toto per dependentiam ab illo ; sed formæ substantiali, vt existenti per existentiã dimanantem ab illa in statu separationis,repugnat existere in alio aliquo ex prædictis modis: ergo forma substantialis corporea à materia separata existit inordinabilitèr,& incommunicabilitèr.Minor,in qua est difficultas, pro prima parte non indiget probatione : nam subiectum inhæsionis repugnat formæ substantiali,& conceptui communi substantiæ , vt ab accidente distinctæ.

164 *Minor pro 2.part.probatur.*

Pro secunda parte probatur: non enim stat , formã informare materiã, quin existentia , qua existit , informet etiam materiam, vel saltim existentiã materiæ ; sed existentiæ , qua existit forma a materia separata , repugnat informare materiam, vel existentiam materiæ:primum,quia non est existẽtia totius; existentia autem,formã, & materiam informans , totum existens constituit;& consequentèr est existentia totius:secundum,quia non est existentia partialis, alias cum alia existentia ponet totalem existentiam componere,quod in schola D.Thomę repugnat : ergo formæ substantiali , vt existenti per existentiam,dimanantem ab illa in statu separationis , repugnat in alio existere,vt in subiecto informationis.Pro tertia parte,etiã probatur: non enim est dabile subiectum sustentationis,nisi media inhæsione,aut saltim informatione : ergo si formæ , vt sic existenti , repugnat subiectũ inhæsionis , & informationis, repugnat illi subiectũ sustẽtationis.Pro quarta etiã suadetur:nã forma non potest in toto existere,nisi materiã informet,& cum illa totũ componat : ergo si repugnat formę materiali corporeę,vt prędicto modo existenti, esse in alio, vt in subiecto inhęsionis, & informationis, repugnat etiã illi esse in alio, vt in toto.

Pro 3.

Pro 4.

Respondeo concessa maiori,negando minorem , ad cuius probationem nego etiam minorẽ , & ad probationem pro secunda parte dupliciter respondeo.Primò negando maiorẽ:nam de facto forma informat materiam, quin existentia formę informet materiã,vel existentiã materiæ. Ratio primi est , quia nequit existentia formæ informare materiã,quin materia esset existens per existentiam formæ ; hic enim est effectus formalis existentiæ; sed materia non existit per existentiã formæ ; supponitur namquè existens pro priori ad formam,vtpotè,habens propriam existentiam , ab existentia formæ distinctam, vt in schola Scotica est manifestum:ergo existentia formæ non informat materiam. Ratio secundi est : nam omninò repugnat, quod existentia formæ informet existentiam materiæ, quin existentia materiæ sit existens per existentiam formę;sed absolutè repugnat,quod existentia materiæ sit existens per existentiam formæ : ergo existentia formæ non informat existentiam materiæ. Consequentia est notoria. Maior patet : nam effectus formalis existentiæ est , existens reddere subiectum, quod informat.Minor est apud omnes manifesta;quia nulla existentia existit per aliam existentiam; alioquin existentia non esset ratio formalis existendi , sicut nulla lux illuminat per aliam, quia omnis lux est ratio formalis illuminandi , & sic de quacumque ratione formali.

165 *Respondeo ad replicã, & ad prob. pro 2. part. Primò.*

Respondeo secundò omissa maiori, negando minorẽ; nã formæ separatæ non repugnat vnio cũ materia ob rationem datam *n.*162. vltra quã, ratio est:nam omnis forma petit informare materiã;sed nulla forma potest informare materiam absque vnione ipsius cũ materia : ergo nulli formæ repugnat vnio cũ materia; alioquin ipsi repugnaret informare,quod est apertè falsum. Et ex hoc manifestè apparet falsitas minoris, quæ ex doctrina maioris,quam pro hac solutione omisimus,hac ostenditur paritate: non stat formã informare materiã,quin existẽtia formæ informet materiã , vel saltim existentiã materiæ:ergo non stat, formę separatę nõ repugnare vnionẽ cũ materia,quin stet,existentię formę non repugnare vnionem cũ materia, vel saltim cum existentia materiæ.

166 *Respondeo 2.*

167 Neque obstant, quæ in oppositum adducit Ill. Godoy; ad primum namque respondetur, falsam esse minorē, scilicet, *existentia, formam, & materiam informans, totum existens constituit*; nam totum existit existentia distincta ab existentia partium. Ad secundum negatur, quod existentia formæ à materia separatæ non sit existentia partialis; nec obest, quod cum alia existentia non possit componere aliquam existentiam totalem, quia existentia non dicitur partialis eo, quod cum alia existentia componat existentiam aliquam totalem, vt probavimus *num.* 149. & 150. cuius rationem declaravimus *num.* 151.

168 *Probationes pro 3. & 4. part. diluuntur.* Ex his itaque apparet falsitas probationis pro tertia, & quarta parte, & ex doctrina Ill. Godoy ostenditur: nam cui repugnat esse in alio, tamquā in subiecto informationis, non repugnat esse in alio, tamquam in subiecto sustentationis, nec esse in alio, tamquā in toto, vt habet Ill. Godoy *num.* 259. oppositum per oppositum probans; sed formæ materiali, & corruptibili à materia separatæ, non repugnat esse in alio, tamquam in subiecto informationis, vt probatum reliquimus *num.* 166: ergo formę materiali, & corruptibili à materia separatæ, non repugnat esse in alio, tamquam in subiecto sustentationis, nec esse in alio tamquam in toto, ex quo vlteriùs sequitur, multo minus illi repugnare esse in alio, vt in supposito sustentante, & terminante, quod erat necessarium, vt forma à materia separata propriam haberet subsistentiam.

169 *Difficultas an Verbum immediatè assumpserit sanguinē, & alios humores?* Pro complemento autem disputationis quæri solet: an Verbum immediatè assumpserit sanguinem, & alios humores? Et licet difficultas hæc ab Ill. Godoy non attingatur, omittenda non est; tùm, quia hoc non est ab intento deficere. Tùm etiam, vt integra maneat disputatio exagitata. Pro ipsa tamen certum est: Verbum assumpsisse omnes partes integrales, quæ formaliter, & intrinsicè sunt de constitutione integri corporis humani, vt sunt omnia membra, carnem, ossa, neruos, & similes partes anima informatas; alioquin Christus non esset integer, & perfectus homo, quod est falsum apud omnes.

170 *Difficultas apperitur,* Vndè difficultas est de sanguine, & alijs tribus humoribus, scilicet, chola, phlegma, & melancolia, quæ omnia, constat, Christum in suo corpore habuisse; vndè quæritur: an ad subsistentiam hæc assumpserit immediatè, sicut carnem, & animam assumpserit? & oritur dubium, quia hæc partes fluidæ non informantur ab anima. Tres sunt opiniones. Prima negat: sanguinem fuisse immediatè à Verbo assumptum. Secunda affirmat: tàm de sanguine in vita, & in triduo mortis, quam de sanguine in terris relicto, casu, quo aliquæ guttę manserint in Spinis, Sudario, & Cruce. Tertia distinguit, sed non vniformitèr. Vndè relictis varijs modis dicendi. Sit. *& opiniones referuntur.*

Conclusio: *Sanguis, in corpore existens, fuit immediatè Verbo vnitus.* Hæc conclusio est communior, & conformior doctrinæ Patrum, & Conciliorum, imò & principijs Scoti, qui de hac rē ex instituto non egit; constatque ex decreto Clementis VI. *in Extravag. Vnigènitus de pœnit. & remiss.* vbi affirmat: *Vnam guttam Sanguinis sufficisse ad Redemptionem totius Generis Humani propter vnionem ad Verbum*, quod etiam probant. Alia testimonia quę adducit Suarius *disp.* 15 *sect.* 6. Et Lugo *disp.* 14. *sect.* 2. quæ in ipsis videndā relinquo. 171 *Conclusio.*

Probatur primò conclusio: iuxtà Concilium Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 3. sub speciebus vini reperitur sanguis per se primò ex vi Verborum; concomitantèr verò Divinitas: ergo sanguis est immediatè Verbo vnitus. Consequentia claret: alioquin sub speciebus vini non esset concomitantèr Divinitas, quod est contra Concilium. 172 *Probatur 1 conclusio ex Tridentino.*

Dices: Divinitatem reperiri concomitantèr, non propter immediatam vnionem sanguinis cum Verbo; sed propter immediatam corporis, & animæ cum Verbo, quæ in sanguine adsunt concomitantèr. Contra primò: iuxta Concilium eodem modo ex vi consecrationis est Verbum concomitantèr sub speciebus vini, ac sub speciebus panis; sed sub speciebus panis est Verbum concomitantèr propter immediatam vnionem corporis cum Verbo: ergo etiam est sub speciebus vini propter immediatam vnionem sanguinis cum Verbo; alioquin non eodem modo ex vi consecrationis esset Verbum concomitantèr sub speciebus vini, ac sub speciebus panis. 173 *Dices.* *Contra 1.*

Contra secundò, & supponamus, quod in triduo totus sanguis fuit à 174 *Contra 2.*

cor-

corpore separatus, & quod consecrata fuisset Eucharistia sub speciebus vini. Hoc supposito sic arguo: in hoc casu consecrationis esset sanguis ex vi Verborum, & concomitanter Divinitas; sed non propter immediatam vnionem corporis cum Verbo: ergo propter immediatam vnionem Sanguinis cum illo: ergo ruit solutio. Maior est Scoti *in 4. dist. 8. quæst. 1. Et dist. 10. quæst. 4.* Vtraque consequentia tenet. Minor verò probatur: nam facta prædicta suppositione, non esset corpori vnitus sanguis: ergo nec corpus cum Verbo mediante sanguine: ergo sanguis in suppositione dicta esset ex vi Verborum, & non propter immediatam vnionem corporis cū Verbo.

175 *Probat. 2. conclusio.* Probatur secundò conclusio: sanguis spectat ad constitutionem humanæ naturæ, & integritatem humani corporis; sed Verbum immediatè assumpsit omnes partes ad hoc spectantes ex dictis *num.* 169: ergo sanguis in corpore existens, fuit immediatè Verbo vnitus. Probatur maior: sanguis non solum inservit corpori, vt nutrimentum, sed etiam vt principium multarum operationum, eitque instrumentum vitale necessariū ad functiones vitę, quę ad veritatem naturę humanæ sunt necessariæ: ergo sanguis spectat ad constitutionē humanæ naturæ, & integritatē corporis humani.

176 *Respōdent.* Respondet Pontius, & alij cum illo: Verbum immediatè assumpsisse partes spectantes ad primariam hominis constitutionem, quales sunt animatæ; non verò ad secundariam spectantes, vt sunt inanimatę, v.g. Sanguis, & omnes partes fluidę. Sed adversus Pontiū. *Contra 1.* Contra primò: ergo Verbum immediatè assumpsit corpus, & animam, quod negat Pontius. *Contra 2.* Contra secundò adversus omnes: Verbum immediatè assumpsit omnes partes, pertinentes ad veritatem humanitatis, ex *n.* 169; sed huiusmodi est sanguis, licèt inanimatus: ergo Verbum immediatè assumpsit sanguinem, licèt animatus non sit, & consequenter ruit solutio.

177 *Verbum assumpsit immediatè 3. alios humores.* Ex his deducitur: Verbum immediatè assumpsisse tres alios humores corporis humani, scilicet, choleram, phlegma, & melancholiam; tùm: quia sunt de integritate hominis, & pertinent ad veritatem humani corporis, vt habet Scotus *in 4. dist. 44. quæst. 1. §. de secundò principali.* Tum: quia Theologi de his humoribus eodem modo locuntur, sicut de sanguine.

178 *Arguitur 1.* Arguitur primò: si Verbum immediatè assumpsisset sanguinem, verum esset dicere per communicationem idiomatum: Verbum est sanguis, Verbum effunditur, & similia; sed hęc nō sunt concedenda: ergo Verbum non assumpsit sanguinem immediatè. *Respondeo 1.* Respondeo primò ex Scoto *in 3. dist. 22. §. ad tertium principale*: has denominationes pendere solū ex communi acceptione, & vsu loquendi; vndè licèt illæ denominationes sint verę, non admittuntur, quia Doctoribus non placuit. *Secundò.* Respondeo secundò negando minorem: quia, vt ait Amicus *sect. 7. in fine*, illæ prædicationes sunt veræ iuxta illud Psalmi: *Effusus sū velut aqua, &c.*

179 *Arguitur 2.* Arguitur secundò: Verbum assumpsit naturam humanam; sed hæc essentialiter consistit in anima, & corpore: ergo solum assumpsit corpus, & animam: ergo non assumpsit immediatè sanguinem, & alios humores. *Respondeo 1.* Respondeo primò: hoc argumentū manifestè probare: Verbū nō assumpsisse partes integrales, quæ formaliter, & intrinsicè sunt de constitutione integri corporis humani, cuius oppositum asserunt omnes, & in præsenti supponunt, vt nos suppossuimus *n.* 169. *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: Verbum assumpsit naturam humanā secundum partes essentiales, & integrales concedo maiorem; secundum partes essentiales tantum nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam. Solutio claret ex *n.* 175.

180 *Dices.* Dices: sanguis non est pars hominis, quia cum non animetur anima rationali, nō potest continuari cum carne, & hac ratione dixit Arist. *2. de partibus animalium, cap. 10*: sanguinem non esse partem animalium: ergo ruit solutio tradita. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: sanguis nō est pars hominis, vt viventis concedo antecedens; vt animalis completè sumpti, vel secundum totam eius integritatem nego antecedens, & consequentiam. Nec obstat, quod Aristoteles dicat: sanguinem non esse partem animalium; quia loquitur de parte animalis, prout vivens est, quod nobis non officit.

181 *Arguitur 3.* Arguitur tertiò: subsistentia Verbi supplet subsistentiam humanam: ergo eas solum terminat partes, quę subsistentia humana subsistunt; atqui partes

inanimatæ humana subsistentia non sub sistunt: ergo non sunt à Verbo assumptæ. Respondeo negando minorem; quia eadem est ratio de partibus animatis, & inanimatis, pertinentibus ad integritatem hominis, qualis est sanguis ex dictis.

Respondeo.

182 Arguitur quartò: quodlibet humanæ vitæ necessarium non est de integritate hominis; alioquin aër esset de integritate eius: ergo nec sanguis: ergo Verbum non assumpsit sanguinē immediatè. Respondeo negando paritatē, quia licèt aër sit necessarius ad humanā vitam, non est naturalitèr ordinatus ad componendum corpus humanum, vt pars eius intrinseca; at sanguis est vera pars intrinseca corporis organici, vt constat ex dictis, & amplius apparet ex eo, quod corpora gloriosa in Cœlo aërem non habebunt; benè verò sanguinem: ergo quia aër non est vera, & intrinseca pars corporis organici; benè verò sanguis.

Arguitur 4

Respondeo.

183 Arguitur quintò: partes non animatæ facilimè variantur: ergo non sunt à Verbo assumptæ. Probatur consequentia: indecens esset tanta variatio in vnione hypostatica: ergo partes nō animatæ non sunt à Verbo assumptę. Respondeo negando consequentiam, & antecedens probationis; quia si non est indecens in vnione hypostatica variatio quoad partes animatas, scilicèt, carnes, quæ in progresu vitæ humanæ variantur; ita nec quoad inanimatas. Alia argumenta omitto, quia hęc sufficiunt ad intelligentiam difficultatis propositæ.

Arguitur 5

Respondeo.

184 Secundò quæri solet: an aliquæ reliquiæ veri sanguinis Christi in terra remanserint post eius Resurrectionē? Respondeo affirmativè cum communi opinione. Hoc probant historiæ quam plures, quæ de sanguine Christi in terra existente testantur, & de locis, in quibus adorantur, vt latè referunt Suarez, Vazquez, Amicus, & alij. Nobis pro nunc sufficiat, ne extra Castellam vagemur, insignis reliquia sanguinis, quæ in Conventu S.P.N. Francisci Atiençę in tribus spinis adoratur, & ita rubicundæ admirantur feria sexta Parasceves cuiuslibet anni, vt recēs è corpore Christi emanasse videatur.

2. Difficultas proponitur, & resolvitur.

185 Quæritur tertiò: an Verbū retineat vnionē ad particulas sanguinis in terris relicti? Respondeo negativè, & probatur primò: sanguis ille iam non est pars corporis: ergo Verbum non retinet vnionem ad particulas sanguinis in terris relicti. Probatur antecedens: vel ille sanguis reuniendus est corpori Christi in fine mundi, vt eius pars, vel non? Si secundum: habetur intentum. Si primum: ergo Christus nō Resurrexit ea perfectione, & integritate, qua futurus est post diem Iudicij, quod non est admittendum: ergo sanguis ille iam nō est pars corporis. Probatur secundò: si sanguis ille esset pars corporis, & sanguis Christi deberet reperiri in Eucharistia ex vi Verborum; sed hoc nemo dixit, vtpotè, contra Concilium Tridentinum: ergo Verbum non retinet vnionem ad particulas sanguinis in terris relicti.

3. Difficultas resolvitur.

186 Dices: ergo falsum est dictum Damasceni, scilicet: *Quod Verbum assumpsit, numquam dimisit.* Probatur consequentia: Verbū per nos assumpsit illas particulas sanguinis, vt claret ex verbis huius quęsiti *num. antec*; sed has per nos dimissit: ergo dictum Damasceni falsum est. Respondeo: Damascenum loqui de partibus essentialibus, vt sunt corpus, & anima; non verò de integralibus, præsertim, de illis, quæ facilimè variantur, vt est sanguis ex dictis *num.* 183. Hoc claret in vnione humanitatis, quam Verbum assumpsit, & in triduo dimissit. Claret etiam in ipsa humanitate, quam assumpsit, & tamen illam post mortem dimissit; cum humanitas post mortem non manserit; alioquin Christus in triduo esset homo, quod est hæreticum.

Dices.

Respondeo.

187 Quæres quartò: an Verbum immediatè assumpserit dentes, vngues, & capillos? Respondeo affirmativè cum Scoto *in 3. dist. 6. quæst. 1.* vbi de his partibus loquitur, sicut de carne, quæ immediatè fuit Verbo vnita. Probatur de capillis, & vnguibus (nam de dentibus eadem est ratio ac de alijs ossibus) vngues, & capilli verè vivūt, vt apud multos est probabile: ergo informantur ab anima; sed Verbum immediatè assumpsit partes animatas: ergo Verbum immediatè assumpsit capillos, & vngues. Deniquè: quia pertinent ad ornamentum, & complementum corporis humani; nec sunt pura excrementa, vt aliqui tenēt: ergo Verbum immediatè assumpsit capillos, & vngues. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 2. §. 2.*

4. Difficultas resolvitur.

Mag. Sent.

DIS-

DISPVTATIO DECIMA NONA.

An naturâ creata, terminata per propriam personalitatem, possit assumi ad subsistentiam Divinam?

§. I.

Præmittuntur, quæ apud omnes sunt certa.

Num. 1 *Præmittitur primò.*

PRimò certum est, humanitatem de facto hoc modo assumptam non fuisse. Quod patet; aliàs in Christo essent duæ personæ de facto, humana, scilicet, & Divina: consequens est contra fidem, qua vna tantũ persona constituitur in Christo: ergo de facto humanitas assumpta nõ fuit, propria personalitate retenta. Secundò extra controversiam, & omninò certum est, potuisse humanitatẽ coniunctam propriæ personalitati creari, & illa destructa, à Divino Verbo assumi. Quod patet: non enim maior repugnantia est in eo, quod humanitas propria personalitate illi conveniente privetur, quam in eo, quod sine illa producatur resultantia propriæ personalitatis, per alienam impedita; sed de facto humanitas fuit sine propria personalitate producta: ergo potuit de potentia absoluta propria personalitate semel habita privari, terminarique per Divinam.

Secundò.

2 *Tertiò.*

Tertiò extra controversiam est, nõ sic de facto evenisse, nempè, quod humanitas de facto in propria persona existens, assumptioni fuerit pręsuppositа. Hoc constat ex Leone I. *in Epist. 11. ad Iulianum*, vbi damnat Eutychetem, eo quod putaverit, ante Incarnationem duas fuisse naturas, & addit: *Natura quippè nostra non sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Quæ verba, vt rectè animadvertit Vazquez, non sic accipienda sunt, vt eadẽ actio fuerit, qua anima fuit creata, & à Verbo Dei assumpta, sed vt denotent temporis simultatem inter creationem, & assumptionem, cum qua non stat, prius tempore humanitatem in propria hypostasi extitisse.

3 *Ratione suadetur.*

Ratione suadetur: si namquè humanitas præextitisset in propria existens persona, vel persona humana per severaret post vnionẽ, vel per assumptionẽ personalitas destrueretur; neutrum dici potest: ergo humanitas non fuit suppolita existens. Minor pro prima parte constat; quia ex oppositо fieret in Christo, esse duas personas, humanam, scilicet, & Divinam, quod est contra fidem. Pro secunda probatur: si namquè personalitas destrueretur, frustra sic fuisset assumpta, hoc est, assumptione habente pro termino *à quo* personam. Patet sequela: nam assumptio habens pro termino *à quo* personam, supponit personalitatem productam, illamque à natura assumpta excludit; sed frustra fuisset personalitas producta, si erat per assumptionẽ destruẽda: ergo frustra fuisset assumpta.

4

Nec obest, quod Innocentius III. in quadam decretali asserat: personam Dei consumpsisse personam hominis; quia vt rectè explicat D. Thomàs, non loquitur omninò propriè de cosumptione, sumpta pro destructione alicuius, quod priùs extitit, sed impropriè accepta, provt importat impeditionẽ eius, quod aliàs consequeretur; & sic verum est, personam Dei personam hominis consumpsisse; impedivit nãquè personalitatem creatam, quæ ad naturam humanam consequeretur, vel saltim illi competeret, nisi fuisset à persona Verbi prævenia.

5 *Quartò.*

Quartò, vt omninò certum supponimus: personalitatem ipsam assumi non posse ad subsistendum per Divinã subsistentiam. Et quidem si personalitas creata cõsistat in negatione actualis, & aptitudinalis communicationis alteri, vt actui per se substantialitèr completivo, vt nos asserimus, & assertum habemus *tom. 3. in 1. Sent. disp. 80.* ex terminis ipsis constat, implicare contradictionem; nam negatio ista per ipsam communicationem destrui tur, vt per extremum contradictoriũ.

Si autem in positivo consistat, non ita certum est; difficultatem namquè patitur apud plures, vt fateturIll. Godoy *num.6.* sed hoc non obstante, in præsenti vt certum est supponendum.

6 *Vltimò vt certum præmittitur.*

Denique apud omnes certum est: naturam, vt personatam, & vt affectã personalitate propria, non posse per alienam terminari, nec per Divinam subsistentiam subsistere. Quod patet: naturam namquè, vt affectam propria personalitate, per alienam terminari, idem est, quod personam ipsam aliena subsistentia subsistere; sed hoc implicat: ergo etiã repugnat, naturã, reduplicata propria personalitate, per alienam subsistentiam subsistere. His igitur præsuppositis, in eo difficultas præsens consistit, an, scilicet, natura creata subsistens in propria persona, & propria personalitate retenta, possit, non vt per propriam subsistentiam subsistens, sed secundum se, & secundũ suam entitatẽ vniri personæ Divinæ, & per illius subsistentiam subsistere. Seu quod idem est: an natura creata cum propria personalitate possit assumi, ita, quod simul sit personata duplici personalitate, scilicet, Divina, & propria, licet propria personalitas non assumatur.

Difficultas apperitur.

§. II.

Ratio dubitandi proponitur, & referuntur sententiæ.

7 *Proponitur ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi est: quod enim contradictionem non implicat, concedendum est Omnipotentiæ Divinæ; sed in eo, quod natura creata, propria personalitate retenta, per Divinam terminetur, nulla implicatio invenitur: ergo est possibile de potentia absoluta. Confirmatur: quamvis enim implicet, quod natura Divina reduplicativè, vt subsistens subsistentia Patris, terminetur personalitate Filij; quod autem ipsa terminata per subsistentiam Patris, terminetur per subsistentiam Filij, non implicat, sed ita de facto contingit: ergo paritèr: quamvis sit implicatorium, quod natura creata sub reduplicatione personalitatis propriæ, terminetur per Divinam; quod autem propria personalitate retenta, natura ipsa per Divinam terminetur, non implicat.

8 *Sentia vera.*

Qua ratione dubitandi convicti quidam Recentiores Theologi, quos citat Ill. Godoy *num.* 13. affirmativæ adhærent sententiæ; vera tamen oppositum docet, affirmans: non posse etiam de potentia Dei absoluta, naturam creatam, retinendo propriam personalitatem, vniri cum persona Divina, nec per illius subsistentiam subsistere. Ita Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 2. Et quod lib. 19. artic. 3.* Sic etiam Ill. Godoy *num.* 14. Sed licèt Ill. Godoy nobiscum in sententia conveniat; in duobus tamen dissentimus. Primò, in reddenda ratione implicationis. Secundò, in hoc, quod nos consequentèr ad dicta procedimus; Ill. verò Godoy non ita consequentèr procedere videtur. Vndè in his duobus est præsens litigium, pro cuius declaratione. Sit

Scotus.

Ill. Godoy.

§. III.

Ratio prima Ill. Godoy declaratur, & inconsequentia ostenditur.

9 1. *Ratio Ill. Godoy.*

ILl. Godoy *num.* 31. sic probat primò conclusionem, sibi, & mihi communem: natura creata cum propria personalitate adæquatur intensivè, & extensivè; sed id, quod cum aliquo termino sic adæquatur, implicat terminari per alium: ergo implicat, naturam creatam, propria personalitate retenta, per alteram terminari. Minor cum consequentia tenet. Maiorem autẽ probat ex differenti modo, quo natura comparatur cum propria personalitate, & aliena; nam ad propriam sic comparatur, quod propriam personam constituit; secus autem alienam: non enim illam constituit, sed ad eius esse trahitur, vt docet D. Thom. *quæst. 2. artic. 1. & quæst. 3. artic. 1*: ergo cum propria personalitate adæquatur intensivè, & extensivè; & consequentèr non potest subsistens in propria persona, simul in alia subsistere; qua ratione vruntur Medina, Alvarez, & Nazarius. Hanc rationem sumpsit Ill. Godoy, ex Caietano *quæst. 3. artic. 6.* vers. *Ad probationem minoris. cum dicitur*, eamque defendit, & si difficilem agnoscat, vt fatetur *n. 46. in fin.*

10 *Refellitur 1. hac ratio.*

Hæc tamen ratio refellitur primò ex doctrina Ill. Godoy, ex qua illius inconsequentia ostenditur: natura creata cum aliena personalitate non adæquatur intensivè, & extensivè: ergo nec cũ propria personalitate. Atqui, quod intensivè, & extensivè non adæquatur cum aliquo termino, non implicat terminari per alium: ergo non implicat: naturam creatam, propria

per-

personalitate retenta, per aliam terminari: ergo nulla est ratio prædicta. Sussumpta cum vtraque consequentia est manifesta. Antecedens autem est Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disp. 16.* asserentis: eandem numero naturam creatam posse simul terminari triplici Divina personalitate, cum quo consequens non videtur, asserere: naturam creatam, propria personalitate retenta, non posse per alienam terminari.

11 *Probatur cõsequẽtia.*

Consequentia verò, in qua vnicè est difficultas, probatur; ideò iuxta Ill. Godoy natura creata adæquaretur intensivè, & extensivè cum propria personalitate, & non cum aliena, quia natura creata sic comparatur cũ propria personalitate, & cum aliena, quod ad propriam comparata, propriam personam constituat; secus autẽ alienam ad ipsam comparata; sed ex eo, quod natura creata constituat propriam personam, non sequitur, quod intensivè, & extensivè adæquetur cũ propria personalitate: ergo si natura creata non adæquatur intensivè, & extensivè cum personalitate aliena, nec cum propria personalitate sic adæquatur. Probatur minor: natura non constituit propriam personã formalitèr, sed radicalitèr, vel originativè, quatenus radicat personalitatem, quæ constituit formalitèr personam; sed ex hac constitutione nõ sequitur, adęquari cum propria personalitate intensivè, & extensivè: ergo ex eo, quod natura creata constituat propriã personam, non sequitur, quod intensivè, & extensivè adæquetur cum propria personalitate. Consequentia ex præmissis liquet. Ex his autem maior nequit ab Ill. Godoy negari, cum certũ sit apud Theologos, quod personalitas creata realitèr distinguitur à natura, vt docet fides in Misterio Incarnationis; sed personalitas est forma constituens formalitèr personam: ergo vera est maior supra posita.

12 *Probatur minor.*

Minor verò supra positi syllogismi probatur: ex eo, quod natura creata constituat propriam personam radicalitèr, sequitur solum, vim radicativam naturalem adæquari cũ propria personalitate; sed cum hoc stare potest, quod ratione potentiæ obedientialis terminetur per aliam: ergo ex eo, quod natura constituat personam, non sequitur, adæquari cum propria personalitate intensivè, & extensivè. Probatur minor duplici exẽplo, quorum quodlibet est etiam probatio maioris: cum hoc, quod vis radicativa naturalis vnius corporis adęquetur cum vno loco, stare potest, quod ratione potentiæ obedientialis vnum corpus sit in pluribus locis, vt constat de Corpore Christi in Cœlo, & in Eucharistia, & quod duo corpora sint in eodem loco, vt contra Durandum tenet communis Doctorum consensus, & contabit illis miraculis. Primò: quando Christus Dominus ex vtero Virginis Mariæ natus fuit. Secundò: in Resurrectione, quando Clauso Sepulchro Resurrexit. Tertiò: quando Clausis Ianuis intravit ad Discipulos. Quartò denique: quando Christus in Ascensione penetravit Cœlos: ergo cum hoc, quod vis radicativa naturalis naturæ creatæ adæquetur cũ propria personalitate, stare potest, quod ratione potentiæ obedientialis terminetur per aliam.

Respondet Ill. Godoy *num. 33.* negando consequentiam, ad cuius probationem negat minorem, & ad probationem huius negat etiam minorẽ; nam eo ipso, quod natura creata propriam personam constituat, radicando à se, & in se propriam personalitatem, non potest natura assumi, non assumpta personalitate; & consequẽtèr quin persona propria assumatur, quod implicat. Quod autem sequatur patet: natura namquè radicat personalitatem, vt modum in illa receptũ: ergo non stat, assumi naturam, non assumpta personalitate; & consequentèr persona constituta per illam, eo autem ipso, quod natura nequeat assumi, non assumpta personalitate propria, natura adæquatur cum illa intẽsivè, & extensivè; & consequentèr, eo ipso, quod natura prædicto modo constituat propriam personam, sequitur intensiva, & extensiva adæquatio naturæ cum propria personalitate.

13 *Respondet Ill. Godoy.*

Hęc tamen responsio reijcitur. Primò: stat, propriam personalitatẽ esse modum intrinsicè afficientem naturam, & naturam assumi ab alieno supposito, non assumpta propria personalitate, nec persona constituta per ipsam: ergo ex eo, quod natura creata constituat propriam personam, radicando personalitatem in se, vt modũ illam afficientem intrinsicè, non sequitur adæquatio intensiva, & exten-

14 *Reijcitur hæc respõsio Ill. Godoy.*

siva cum propria personalitate. Consequentia tenet. Antecedens ostenditur primò: etenim natura Divina cõstituit personam Patris, radicando Paternitatem, vt modum, vel quasi modum, illam terminantem intrinsicè, & tamen natura Divina terminari potest per subsistentiam Filij, non terminata per illam Paternitate; ergo paritèr: quamvis personalitas creata sit modus intrinsicè propriam naturam modificans, poterit natura assumi ab alieno supposito, & ab illo terminari, non assumpta, nec terminata ab illo, propria personalitate. Hæc est replica, quam vocat Ill. Godoy argumentum difficile; ad ipsam tamen.

15 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet *num.* 39. negando antecedens, & ad probationem concessis maiori, & minori, negat consequentiam. Ratio autem discriminis est: nã quod natura Divina communicetur Filio, & per Filiationem terminetur, non communicata Paternitate, nec per Filiationem terminata, provenit ex eo, quod Paternitas, & Filiatio opponuntur relativè inter se, non autem cum essentia Divina; & ideò Divina essentia potest cum vtraque identificari, quin inter illas identitas inferatur; personalitas autem creata est modus intrinsicè afficiens naturã, & alias nulli alteri opponitur relativè, atque adeò non potest natura creata alicui convenire personæ, aut per illam terminari, quin eidẽ personalitas propria conveniat, & ab illa terminetur.

16 Et quidem non posse ex vno ad aliud efficax sumi argumentum, probat (inquit Ill. Godoy) claretnam Paternitas non solum intrinsicè terminat Divinam naturam, sed etiam idẽtificatur cum illa, quin ex hoc inferatur, quod si Divina essentia communicatur Filio, debeat eidem communicari Paternitas; & tamen ferè omnes Theologi docent: quod si personalitas creata identificaretur cum propria natura, non posset natura assumi, quin assumeretur personalitas, & persona creata: ergo ex eo, quod communicetur natura Divina, non communicata Paternitate, etsi illam intrinsicè terminet, malè infertur, posse assumi naturam creatam, non assumpta personalitate propria, illam intrinsicè terminante, & modificante intrinsicè.

17 Imò ex hoc efficax argumentum pro illius doctrina desumit: nam si personalitas Patris non esset relativè opposita Filio, non posset natura Patris Filio communicari, & per Filiationem terminari, non communicata Filio Paternitate, & per Filiationem terminata; sed personalitas propria naturæ creatæ nulli alteri opponitur relativè: ergo non stat, communicari, vel assumi naturam creatam, non comunicata, & assumpta illius propria personalitate. Hanc solutionem sumpsit Ill. Godoy, etsi taceat, ex Durando, & Paludano.

18 *Contra 1.*

Sed contra primò: quia non probat Ill. Godoy: cur duæ personalitates absolutæ, aut vna absoluta, & altera relativa, nequeant terminare eandem naturam, nulla personalitate terminata, & hoc possint facere duæ relativæ.

Contra 2.

Contra secundò: nam etsi concedatur, personalitatem absolutam excludere connaturalitèr aliam personalitatem; non tamen hoc debet admitti de potentia absoluta, supposito, quod hoc possint facere plures relativæ: ergo ruit responsio.

19 *Contra 3.*

Contra tertiò: quod natura Divina terminata Paternitate terminetur etiã Filiatione, non terminata Paternitate, non provenit ex eo, quod Paternitas, & Filiatio opponantur relativè inter se: ergo ruit responsio. Probatur antecedens: si personalitates Divinæ essent absolutæ, vt tenuit Ioannes de Ripa, & non improbabile sentit Scotus, adhuc natura Divina terminaretur his personalitatibus, nulla personalitate terminata: ergo quod natura Divina terminata Paternitate terminetur etiam Filiatione, non terminata Paternitate, non provenit ex eo, quod Paternitas, & Filiatio opponantur relativè inter se. Probatur antecedens: si personalitates Divinæ essent absolutę, adhuc esset Misterium Trinitatis, vt nunc est: ergo si personalitates Divinę essent absolutæ, adhuc natura Divina terminaretur his personalitatibus, nulla personalitate terminata. Probatur antecedens: nullus vcusquè sententiã Ioannis de Ripa impugnavit argumento destructivo Trinitatis: ergo si personalitates Divinæ essent absolutæ, adhuc esset Misterium Trinitatis, vt nunc est.

20 *Reijcitur 2. responsio Ill. Godoy.*

Reijcitur secundò responsio suprà data Ill. Godoy: quia licèt personalitas Verbi non sit modus, intrinsicè humanitatem informans, tamen vnio

qua

qua humanitas vnitur Verbo, est modus intrinsicè illam afficiens, vt tenet Ill. Godoy *disp.* 11. §. 1; sed potest humanitas de potentia absoluta, retenta vnione ad Verbum, assumi, & vniri cum personalitate Patris, quin talis vnio assumatur: ergo similitèr: licèt personalitas propria sit modus, intrinsicè afficiens naturam, poterit, illa retenta, natura assumi à supposito alieno, non assumpta personalitate.

21 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy duplicitèr *num.* 44. sed non quiescit, ideòque *num.* 45. respondet negando consequentiã. Discrimen est: nam vnio humanitatis ad Verbum, licèt subiectivè non opponatur vnione eiusdem humanitatis cum Patre, nec cum ipso Patre; opponitur tamen illis terminativè relativè, scilicet, ratione termini, ad quem terminatur; nam cum vnio humanitatis ad Verbum conveniat humanitati per respectum ad personalitatem Verbi, & hęc relativè opponatur personalitate Patris, ipsa etiam vnio terminativè opponitur Paternitati. Cæterum personalitas creata est modus intrinsicè afficiens naturam, nec formalitèr, nec terminativè oppositus relativè supposito extraneo. Hæc tamen responsio eadem est cum illa, quam dedit *num.* 39. & nos posuimus *num.* 15. vndè impugnata manet *num.* 18. & 19.

Hæc respõsio impugnata manet

22 *Reijcitur 3. responsio Ill. Godoy.*

Reijcitur tertiò responsio Ill. Godoy posita *num.* 13: nam præsentia localis, qua corpus Christi est præsens in Cœlo, est modus intrinsicè corpus afficiens; sed, hoc non obstante, corpus Christi fit præsens in Sacramento, quin prædicta præsentia localis modificetur præsentia Sacramentali: ergo stat, propriam personalitatem esse modum, afficientem intrinsicè naturam, & naturam assumi ab alieno supposito, non assumpta propria personalitate: ruit ergo supra dicta solutio.

23 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 46. concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio discriminis sumitur ex D. Thom. *in* 3. *dist.* 5. *quæst.* 1. *artic.* 3. *in corpore*, vbi docet: de ratione personæ esse, quod sit subsistens distinctum omnia comprehendens, quæ in re sunt; natura autem solum comprehẽdit prædicata essentialia. Ex quo infert, quod si aliquid est extra illud, quod comprehendit persona, hoc nõ est vnitum rei, nisi fortè secundum similitudinem, vel in genere, vel in specie, vel in accidente. Cum autem persona omnia terminet mediatè, vel immediatè, quæ in se comprehendit, sequitur, esse de ratione personæ terminare omnia, quæ re vera conveniunt naturæ; ac proindè non potest non terminare personalitatem propriam naturæ creatæ, si illam terminet, propria personalitate retenta, cum hæc non secundum similitudinem, sed re vera conveniat naturæ. Cæterum de ratione præsentiæ Sacramentalis huiusmodi conditio nõ est, quod, nempè, omnia rei convenientia comprehendat, & omnia præsentia Sacramentalitèr reddat; vndè potest non modificare, nec præsentem reddere præsentiam localem, quamvis re vera corpori Christi conveniat, illamque modalitèr intrinsicè afficiat.

24 *Contra* 1.

Contra primò: non minus præsentia Sacramentalis comprehendit omnia, quæ corpori conveniunt, vt modificabilia ab ipsâ, quam aliena personalitas comprehendit omnia, quæ naturæ conveniunt, vt modificabilia, vel terminabilia ab ipsa: ergo solutio ruit.

Contra 2.

Contra secundò: ideò personalitas aliena comprehendit omnia, quæ naturæ re vera conveniunt, quia subsequitur ad omnia illa; sed non minus præsentia Sacramentalis subsequitur ad localem, quam aliena personalitas subsequitur ad propriam: ergo si, hoc non obstante, præsentia Sacramentalis non modificat localem; nec aliena personalitas terminabit propriam.

Contra 3.

Contra tertiò: ideò præsentia Sacramentalis, etsi subsequatur ad localẽ, non modificat localem, quia hæc est immodificabilis ab illa; sed etiam personalitas propria est ab alia immodificabilis: ergo etsi subsequatur ad propriam, hanc non modificabit, vel terminabit: ergo quod comprehendat, vel non comprehendat, non est ad rem: ergo nec responsio Ill. Godoy.

25 *Refellitur 2. ratio Ill. Godoy.*

Refellitur secundò ratio Ill. Godoy, & ampliùs ostenditur inconsequentia illius: natura creata ita cum aliena, ac cum propria personalitate, adæquatur intensivè, & extensivè: ergo vel natura creata, aliena personalitate retenta, nequit per aliam terminari, vel propria retenta, potest per aliam terminari: ergo inconsequens est asserere: naturam creatam, propria personalitate retenta, non posse per aliam

terminari, & terminari poſſe per aliã, aliena retenta: ruit ergo ratio Ill. Godoy, & illius inconſequentia manet. Probatur antecedens: natura creata adæquatur intenſivè, & extenſivè cum propria perſonalitate; ſed etiam adæquatur intenſivè, & extenſivè cum perſonalitate aliena: ergo natura creata cum aliena, ac cum propria perſonalitate, adæquatur intenſivè, & extenſivè. Probatur minor: natura creata adæquatur intenſivè, & extenſivè cum Divina perſonalitate; ſed perſonalitas Divina eſt naturæ creatæ aliena: ergo natura creata adæquatur intenſivè, & extenſivè cum perſonalitate aliena. Maior probatur: perſonalitas Divina terminans naturam creatam, illam intenſivè, & extenſivè adæquat: ergo natura creata adæquatur intenſivè, & extenſivè cum perſonalitate Divina. Antecedens autem, quod negat Ill. Godoy, probatur primo: perſonalitas Divina terminans naturam creatam, gerit vices perſonalitatis creatæ: ergo Divina perſonalitas terminans naturam creatam, illam adæquat intenſivè, & extenſivè. Probatur conſequentia: perſonalitas Divina gerens vices perſonalitatis creatæ, facit ſine imperfectione omne id, quod faceret perſonalitas propria; ſed propria perſonalitas adæquat intenſivè, & extenſivè naturam creatam: ergo perſonalitas Divina terminans naturam creatam, illam intenſivè, & extenſivè adæquat. Conſequentia eſt legitima. Minor certa. Maior verò, in qua vnicè poſſet eſſe difficultas, difficultatem non habet, & paritate Ill. Godoy probatur: Eſſentia Divina gerens vices ſpeciei impreſſæ facit ſine imperfectione omne id, quod faceret ſpecies impreſſa, ſi eſſet, vt dicunt Thomiſtæ: ergo perſonalitas Divina gerẽs vices perſonalitatis creatæ facit ſine imperfectione omne id, quod faceret perſonalitas propria.

Antecedẽs probat. 1.

26

Probatur ſecundò idem antecedens: perſonalitas in terminando infinita non habet minorem vim terminativam, quam perſonalitas in terminando finita; ſed perſonalitas in terminando finita adæquat intenſivè, & extenſivè naturam creatam, quam terminat: ergo Divina perſonalitas terminans naturam creatam, illam adęquat intenſivè, & extenſivè. Maior ex terminis apparet. Minor conſtat in quacumque perſonalitate creata, quæ finita eſt in terminando, & tamen intenſivè, & extenſivè adæquat naturã creatam, quam terminat, vt fatetur Ill. Godoy. Conſequentia videtur legitima.

Probat. 2.

Probatur tertiò antecedens prædictum: natura creata perſonata à Divina perſonalitate, habet (vt terminis Ill. Godoy loquar) perfectam exiſtentiæ, & perfectam incommunicabilitatis: ergo intenſivè, & extenſivè adæquatur per illam. Probatur conſequentia: ſi non ita adæquaretur, aliquid præſtaret naturæ perſonatæ alia perſonalitas ſuperveniens. Quid ergo præſtat? Reſpondeat Ill. Godoy, & incontradictionem neceſſario incidet: ergo intenſivè, & extenſivè adæquatur per illam.

Probat. 3.

27

Refellitur tertiò ratio Ill. Godoy, & illius inconſequentia declaratur: dato, & numquam conceſſo, quod vna aliena perſonalitas non adæquet naturam creatam intenſivè, & extenſivè, illam tamen adęquat adęquatione ſufficiente, vt repugnet, quod natura creata, retenta aliena perſonalitate, perſonetur per aliam: ergo reſpectu aſſumptibilitatis naturæ perſonatæ, idem dicendum eſt de natura cum propria, ac aliena perſonalitate: ergo inconſequens eſt aſſerere: naturã creatam, propria perſonalitate retenta, non poſſe per aliam terminari, & terminari poſſe per aliam, aliena retenta: ergo ruit ratio Ill. Godoy, & illius inconſequentia permanet. Probatur antecedens: dato, & numquam conceſſo, quod vna aliena perſonalitas non adæquet naturam creatam intenſivè, & extenſivè; illam tamen intenſivè adæquat; ſed hæc intenſiva adæquatio ſufficit, vt repugnet, quod natura creata, retenta aliena perſonalitate, perſonetur per aliam: ergo dato, & numquam conceſſo, quod vna aliena perſonalitas non adęquet naturam creatam intenſivè, & extenſivè, illam tamen adæquat adæquatione ſufficiente, vt repugnet, quod natura creata, retenta aliena perſonalitate, perſonetur per aliam.

Refellitur 3. ratio Ill. Godoy.

Conſequentia eſt legitima. Maior eſt doctrina Ill. Godoy, tàm in præſenti, quàm *diſp. 16. tom. 1. in 3. part.* hanc ſtatuentis differentiam inter perſonalitatem propriam, & alienam, nempè; quod natura creata intenſivè, & extenſivè adæquatur cum propria perſo-

ſonalitate, ideoque in præſenti ſubſtinet: naturam creatam, propria perſonalitate retenta, non poſſe per aliam terminari; & *diſp. 16. cit.* aſſeruit: naturam creatam poſſe terminari triplici ſimul perſonalitate Divina, quia licèt creata natura adæquetur intenſivè cũ vna; extenſivè verò non adæquatur cum illa. Minor autem probatur: ſtante intenſiva adęquatione naturę creatæ cum vna aliena perſonalitate, repugnat, quod illa retenta perſonetur per aliam: ergo intenſiva adæquatio naturæ creatæ cum vna aliena perſonalitate ſufficit, vt repugnet, quod natura creata, retenta aliena perſonalitate, perſonetur per aliam. Probatur antecedens: ſtante intenſiva adæquatione naturæ creatæ cum vna aliena perſonalitate, repugnat, quod illa retenta, intenſivè perſonetur per aliam; ſed ſi natura creata, retenta vna aliena perſonalitate, perſonaretur per aliam, ab hac intenſivè perſonaretur: ergo ſtante intenſiva adæquatione naturæ creatæ cum vna aliena perſonalitate, repugnat, quod illa retenta perſonetur per aliam.

Probatur minor.

Conſequentia ex præmiſsis infertur. Ex his autem maior eſt manifeſta, & notoria paritate oſtenditur: ſtante intenſiva, & extenſiva adæquatione naturæ creatæ cum vna perſonalitate, repugnat, quod illa retenta, intenſivè, vel extenſivè perſonetur per aliã; alioquin natura creata, retenta propria perſonalitate, cum qua intenſivè, & extenſivè adæquatur, vt fatetur Ill. Godoy; poſſet intenſivè, vel extenſivè perſonari per aliam, quod negat. Vndè tota huius impugnationis difficultas reducitur ad minorem.

28 *Minor probatur 1.*

Minor verò probatur. Primò: illa aliena perſonalitas, à qua perſonaretur natura creata, retenta vna aliena perſonalitate, gereret vices perſonalitatis creatæ, ſed hæc intenſivè perſonat: ergo ſi natura creata, retenta vna aliena perſonalitate, perſonaretur per aliam, ab hac intenſivè perſonaretur. Præmiſſæ ſunt certæ. Conſequentia claret, & paritate ſuprà poſita contra Ill. Godoy probatur: Eſſentia Divina gerens vices ſpeciei impreſſæ facit id, quod faceret ſpecies impreſſa, ſi eſſet, vt Thomiſtæ aſſerunt; ſed illa aliena perſonalitas, à qua perſonaretur natura creata, retenta vna aliena perſonalitate, gereret vices perſonalitatis creatæ, iuxta conceſſa: ergo faceret id, quod faceret perſonalitas creata, ſi eſſet. Atqui etiam iuxta conceſſa, & veritatem, perſonalitas creata intenſivè perſonat: ergo ſi natura creata, retenta vna aliena perſonalitate, perſonaretur per aliam, ab hac intenſivè perſonaretur. Probatur ſecundò dicta minor: illa aliena perſonalitas eſt eiuſdem rationis in ratione perſonandi cum perſonalitate retenta: ergo deberet tribuere eundem effectum formalem. Sed effectus formalis perſonalitatis retentæ eſt intenſiva perſonatio: ergo ſi natura creata, retenta vna aliena perſonalitate, perſonaretur per aliam, ab hac intenſivè perſonaretur.

Secundò.

Tertiò probatur minor ſuprà poſita ad hominem contra Ill. Godoy: licèt in alterius poteſtate ſit, formam applicare, vel non applicare ſubiecto, ſemel tamen applicata, dat illi totum, quod poteſt: ergo licèt in Dei poteſtate ſit, applicare, vel non applicare perſonalitatem Patris naturæ perſonatæ perſonalitate Filij; ſemel tamen applicata, dat illi totum, quod poteſt. Atqui potens eſt intenſivè perſonare: ergo intenſivè perſonaret. Antecedens eſt Ill. Godoy, illoque vtitur *tom. 1. in 3. part. diſp. 16. num. 67*: ad impugnandam ſolutionem Amici, & illud explicat in calore vt octo, qui ſemel ſubiecto communicatus, dat illi totã ſuam gradualem intenſionem. Conſequentia eſt etiam ipſius *cit.* Aſſumpta eſt innegabilis, & conſequentia ex illa illata eſt evidens.

29 *Tertiò probatur ad hominem contra Ill. Godoy.*

Vt autem ex hac doctrina Ill. Godoy aliàs minoris ſupradictæ probationes formemus ad hominem contra ipſum, verba illius, quibus *tom. diſp. & num. cit.* reijcit ſolutionem Amici, ad litteram tranſcribo. *Hæc tamen ſolutio* (ait Ill. Godoy cit.) *diſplicet ob diſcrimen, quod inter cauſam efficientem, & formalem verſatur. Illa enim non cauſat ſe ipſam communicando ſubiecto, ſed influendo influxu ab illa diſtincto, & effectum producendo omninò diſtinctũ ab illa. Ex quo fit, vt ipſa entitativè invariata, poſſit temporare influxum, & minorem, vel maiorem præſtare, vel proptèr præſentiam alterius ſimilis cauſæ, ſimul cum illa influentis, vel quia cauſa prima illã applicat maiori, aut minori applicatione. Cauſa autem formalis cauſat ſe ipſam communicando ſubiecto, imò effectus formalis illius eſt ipſa forma ſubiecto com-*

Doctrina Ill. Godoy. tranſcribitur.

mu-

municata: ex quo fit, vt quamvis in alterius sit potestate constitutum, illam applicare, vel non applicare subiecto, semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest; vt constat in calore, vt octo, qui semel communicatus subiecto, non potest, non dare illi totam suam gradualem intensionem, illudque calidum vt octo non reddere; sed Divina personalitas sustentat naturã creatam in genere causæ, vel quasi causæ formalis, se ipsam communicando: ergo licèt sit constitutum in arbitrio libero Dei personalitatem Divinam naturæ creatæ vnire, attamen semel vnita, non potest, non dare naturæ adæquatum effectum, quem de se potest præstare; ac proindè, si de se sufficiens est sustentare adæquatè naturam creatam, cui vnitur, non potest temperare concursum, nec propter præsentiam alterius Divinæ personalitatis, nec ratione Divinæ applicationis illam in actu secundo inadæquatè tantum sustentando.

30 *Prob. at. 4. ad hominẽ cõtra ipsũ.*

Ex quibus minor nostra probatur quartò ad hominem contra Ill. Godoy: quælibet personalitas est de se potens ad terminandam naturã creatam intensivè: ergo quælibet personalitas communicata naturæ creatæ terminat intensivè naturam creatam: ergo si natura creata, retenta vna aliena personalitate, personaretur per aliam, ab hac intensivè personaretur. Antecedens est certum apud Ill. Godoy, & omnes, claretque in personalitate Verbi, quæ de facto terminat intensivè naturam humanam Christi Domini. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: quælibet personalitas terminat in genere causæ formalis, vel quasi formalis: ergo quælibet personalitas communicata naturæ terminat quantum potest. Atqui iuxta concessa quælibet personalitas est de se potens ad terminandam naturam creatam intensivè: ergo quælibet personalitas communicata naturæ creatæ terminat naturam creatam intensivè: ergo si natura creata, retenta vna aliena personalitate, personaretur per aliam, ab hac personaretur intensivè.

31 *Probat. 5. ad hominẽ cõtra ipsũ.*

Quintò probatur eadem minor etiam ad hominẽ contra ipsum: causa formalis semel applicata subiecto, nõ potest temperare suum effectum: ergo dat subiecto quantum habet: ergo forma intensivè potens informare subiectum, illud intensivè informat. Atqui quælibet personalitas, iuxta concessa, terminat in genere causæ formalis, vel quasi formalis, & est de se potens ad terminandam naturam creatam intensivè: ergo quælibet personalitas communicata naturæ creatæ terminat intensivè naturam creatam: ergo si natura creata, retenta vna aliena personalitate, personaretur per aliam, ab hac intensivè personaretur. Omnia sunt vera, si verum est antecedens.

Antecedẽs probat. 1.

Antecedens ex doctrina Ill. Godoy probatur primo: quia hæc est differentia inter causam efficientem, & formalem; illa enim, quia non causat, se ipsam communicando, sed influendo influxo ab ipsa realitèr distincto, potest influxum temperare; formalis verò nequit temperare effectum, quia causat, se ipsam communicãdo; ergo causa formalis semel applicata subiecto, non potest temperare suum effectum. Probatur secundò: effectus formæ est ipsa forma communicata: ergo licèt in alterius potestate sit illã communicare, vel non communicare subiecto, semel tamen communicata non potest temperare suum effectum.

Secundò.

32 *Probatur deniquè minor ad hominẽ cõtra Ill. Godoy.*

Probatur deniquè minor allata ad hominem etiam contra Ill. Godoy: ideò iuxta ipsum potest Pater terminare naturam terminatam à Filio, quia Pater ratione suæ infinitatis habet eandem vim, quam habet Filius ad terminandam, & personandam naturam; sed Filius terminat naturam totalitèr intensivè: ergo Pater potest terminare intensivè naturam terminatam à Filio: ergo si Pater terminaret, terminaret intensivè: ergo si natura creata, retenta vna aliena personalitate, personaretur per aliam, ab hac intensivè personaretur. Totum est verum, si vera est maior. Maior autẽ est expressa Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disput. 16. num. 84.* dicentis: *Quod enim Pater, v.g. terminare possit naturam terminatam à Filio, non provenit ex eo, quod natura subsistens in Filio imperfectè sit personata, nec quia indigeat Patre, vt existat, sed ex conditione personæ Patris, quia, nempè, ratione suæ, infinitatis habet eandem vim, quam Filius ad terminandam, & personandam naturam.*

33 *Refellitur 4. ratio Ill. Godoy.*

Quartò refellitur ratio Ill. Godoy, & ostenditur inconsequentia illius: si natura creata non ita adæquaretur cum aliena, ac cum propria persona-

li-

litate, ita defendi posset: materiam primam posse informari duplici forma, & eundem effectum posse produci à duplici causa totali, & sic de alijs, ac defenditur: naturam creatam, retenta aliena personalitate, posse per aliam terminari; sed hoc est falsum: ergo natura creata ita adæquatur cũ aliena, ac cum propria personalitate: ergo inconsequens est asserere: naturã creatam, propria personalitate retenta, non posse per aliam terminari, & terminari posse per aliam, aliena retenta: ergo ruit ratio Ill. Godoy, & inconsequentia manet. Probatur maior: ideò defenditur: naturam creatam, retenta aliena personalitate, posse termi nari per aliam, quia natura creata cũ qualibet personalitate aliena adæquatur intensivè, non verò extensivè; sed etiam potest quis dicere: quod materia prima adæquatur intensivè cum vna forma; non verò extensivè, & sic de eodem effectu respectu duplicis causæ totalis, scilicet, quod ab vna adæquatur intensivè, non autem extensivè: ergo si natura creata non ita adæquatur cum aliena, ac cum propria personalitate, ita defendi posset: materiam primam posse informari duplici forma, & eundem effectum posse produci à duplici causa totali, ac defenditur: naturam creatam, retenta aliena personalitate, posse per aliam terminari.

34 *Si opponas*

Si autem opponas: quod omninò voluntarium est, dicere: quod materia prima adæquetur intensivè cum vna forma; non verò extensivè, & similitèr de eodem effectu respectu duplicis causæ totalis, nempè, quod ab vna adæquetur intensivè; non autem extensivè. Hoc idem in contrarium obstat; nam hoc idẽ dixit Lorca, loquendo de ratione Ill. Godoy, qua vtuntur Thomistæ pro solutione argumenti Scoti; dixit namquè: solutionem de adæquatione intensiva; non verò extensiva, quæ est ratio supra posita Ill. Godoy, esse verba excogitata ad fugiendum argumentum Scoti. Quid inter domesticos contra prædictam rationem clarius? Vndè ad prædictam rationem Ill. Godoy responderi potest: quod licèt per illam salvet veritatem conclusionis, per illam in inconsequentiam incidit, vt satis est manifestum; ideòque in illius opinione nulla.

Contra.

1. *Ratio Ill. Godoy solvitur.*

§. IV.

Secunda ratio Ill. Godoy proponitur, & inconsequentia illius declaratur.

35 2. *Ratio Ill. Godoy proponitur.*

PRobat secundò Ill. Godoy *n.* 47. conclusionem, sibi, & mihi communem hac ratione: quod enim dependet ab alio dependentia stricta, & causali, non potest à pluribus, vt plura sunt, dependere adæquatè in nullo genere causę; sed natura in existendo dependet à subsistentia, depẽdentia stricta, & causali: ergo non potest pluribus subsistentijs distinctis adęquatè terminari, sed per propriam subsistentiam terminatur adæquatè, illiusque depẽdentia in existendo adęquatè per propriam existentiam expletur: ergo propria subsistentia retenta, & per illam terminata, non potest, etiam de potentia absoluta, per alienam, creatam, vel increatam subsistentiam terminari, & consequentèr implicat, quod retenta personalitate propria assumatur ab extraneo supposito, & in illo subsistat.

36 *Impugn. 2. ratio, & inconsequẽtia declaratur*

Hæc etiam ratio impugnatur ex doctrina Ill. God. ex qua inconsequentia illius ostenditur: quod enim dependet ab alio dependentia stricta, & causali, nõ potest à pluribus, vt plura sunt, dependere adæquatè in nullo genere causæ; sed natura creata dependet à personalitate aliena depẽdentia stricta, & causali: ergo non potest pluribus alienis personalitatibus distinctis adæquatè terminari, sed per vnam alienã terminatur adæquatè, illiusque dependentia adæquatè per vnam alienã expletur: ergo aliena retenta subsistentia, & per illam terminata, non potest, etiam de potentia absoluta, per aliam alienam personalitatem terminari, & consequentèr implicat, quod retenta aliena personalitate, assumatur ab alio supposito, & in illo subsistat, quod est contra dicta ab Ill. Godoy *cit. num.* 10. & in quo stat inconsequentia illius. Efficatia huius impugnationis declarabitur per replicas, quibus refellemus sequentem solutionem.

37 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 48. negando minorem, cuius ratio est: nam Divinæ personalitates considerari possunt duplicitèr. Primò: vt præstant perfectatem incommunicabilitatis, & provt sic natura creata non dependet

ab illis dependentia cauſali, ſed ſolum terminativa; quo genere dependentiæ ſtat, vnum, & idem à pluribus dependere adæquatè intenſivè cum inadæquatione extenſiva. Secundò: vt præſtant perfectatem independentiæ, & provt ſic non ſunt plures, ſed vnum; hoc enim habent ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam implicitè includunt. non tamen illam multiplicant; vndè ex hoc, quod natura creata ſubſiſtens in perſona Filij ſimul terminaretur per ſubſiſtentiam Patris, non dependeret adæquatè à pluribus, vt plura ſunt, ſed à pluribus, vt vnum, in quo nulla implicatio invenitur. Cæterum ſubſiſtentia propria naturæ creatæ à qualibet ſubſiſtentia, vel creata, vel Divina in perfectate independentiæ diſtinguitur, & aliàs adæquatè exhaurit dependentiam propriæ naturæ, & ideò ab alia ſimul dependere non poteſt, quia ex hoc fieret, dependere à pluribus, vt plura ſunt, & cauſantia per diſtinctas virtutes, dependentia adæquata cauſali, quod implicat.

38 *Duplex diſparitas in ſolutione tradita.*

Itaquè in hac reſponſione duplicem diſparitatem aſsignat Ill. Godoy inter perſonalitatem propriam, & alienam, vt inconſequentiam quam contra ipſum inferimus, ſalvet. Prima diſparitas eſt: quod natura creata dependet à propria perſonalitate dependentia ſtricta, & cauſali; à perſonalitate verò aliena dependet dependentia ſolum terminativa, quæ ſtricta, & cauſalis dependentia non eſt. Secunda diſparitas eſt: quod perſonalitas propria non tantum differt à quacumque alia, ſivè creata, ſivè Divina, in ratione perſonalitatis, ſed etiam in ratione ſubſiſtentiæ; quare ſi natura, affecta propria perſonalitate, afficeretur ſimul aliena, afficeretur duplici ſubſiſtentia, quod implicat. At tres Divinæ perſonalitates non differunt in ratione ſubſiſtentiæ; quare non implicat, naturam ab illis perſonari, quia non perſonatur ab illis, vt plura ſunt, ſed vt ſunt vnum, quod habent ratione ſubſiſtentiæ abſolutę, quam non multiplicant. Hanc diſparitatem ſumpſit Ill. Godoy ex Durando, & Capreolo.

39 Si autem ab Ill. Godoy quæramus: quænam ſit dependentia cauſalis, & quænam non cauſalis dependentia. Hoc iam dixerat *tom. 1. in 3. part. diſp. 16. num. 84.* ibi enim tales dependentias explicavit, & differentiam inter illas in hoc ſtatuit: quod dependentia cauſalis oritur ex indigentia, qua expleta per vnam cauſam, non poteſt altera cauſa indigere, ac proindè nec dependere ab illa. Dependentia autem non cauſalis poteſt ſine indigentia inveniri, vt patet in relativis, quæ in Deo ſine indigentia inveniuntur, ſicut ſine imperfectione; indigentia namquè in ſuo conceptu formali imperfectionem importat; vndè, quod relatio ſemel terminata ad vnum, poſsit terminari ab alio, & conſequentèr à primo non ſit terminata adæquatè adæquatione extenſiva, poteſt provenire aliundè, nempè, quia illud aliud eiuſdem rationis eſt, & habet eandem vim, & rationem terminandi: & ſic, inquit Caietanus, in noſtro caſu contingit. Quod enim Pater; v. g. terminare poſsit naturam terminatam à Filio, non provenit ex eo, quod natura ſubſiſtens in Filio imperfectè ſit perſonata, nec quia indigeat Patre, vt exiſtat, ſed ex conditione perſonæ Patris quia, nempè, ratione ſuæ infinitatis habet eandem vim, quam Filius, ad terminandam, & perſonandam naturam, & aliàs non ſe excludunt ab eadem natura terminanda, cum ſimul naturam Divinam terminent.

Neutra tamen diſparitas vim inconſequentiæ tollit, imò nequè minuit; quare inſurgo primò contra diſparitatem primam: dependentia naturæ creatæ à perſonalitate aliena eſt dependentia ſtricta, & cauſalis: ergo diſparitas ruit, & efficatia inconſequentiæ manet. Vtraque conſequentia eſt legitima apud Ill. Godoy, ideò in ſolutione aſſerentem: naturam creatam poſſe perſonari duplici aliena perſonalitate, quia natura creata non dependet ab illa dependentia ſtricta, & cauſali. Antecedens verò probatur primò ad hominem contra ipſum: nam iuxta Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. diſp. 16. §. 4.* fere totum, & præſertim *num. 67.* Divina perſonalitas terminat naturam creatam in genere cauſæ formalis, vel quaſi formalis, ſe ipſam communicando: ergo dependentia naturæ creatæ à perſonalitate aliena eſt dependentia ſtricta, & cauſalis. Probatur ſecundò idem antecedens etiam ad hominem contra ipſum: ipſe namquè *tom. cit. diſp. 11. §. 7. num. 90.* probat: Verbum ſe ipſo per ſuam intrinſecam entitatem vniri

40 1. *Diſparitas refellitur. Primò.*

hu-

humanitati, quia vnio personalitatis ad naturam est causalitas, qua naturā terminat: ergo idem, quod antea.

41 *Dices.* Nec valet dicere: naturam creatam non dependere à personalitate aliena, dependentia in genere causæ efficientis, nec formalis intrinsicæ; sed tantum extrinsicæ. *Contra.* Non, inquam, valet: nam sicut dependentia in genere causæ efficientis, & formalis intrinsicæ, est dependentia stricta, & causalis; ita causalis, & stricta dependentia est dependentia in genere causæ formalis extrinsicæ; alioquin non esset dependentia in tali genere causæ, cuius oppositum fatetur Ill. Godoy proximè citatus.

42 *Refellitur 2. 1. disparitas.* Insurgo secundò contra dictam disparitatem: dependentia stricta, & causalis oritur ex indigentia; sed dependentia naturæ creatæ à personalitate, sivè propria, sivè aliena, oritur ex indigentia: ergo dependentia naturæ creatæ à personalitate aliena est dependentia stricta, & causalis, & consequenter disparitas ruit, & inconsequentiæ efficatia permanet. Vtraque consequentia est legitima. Maior est ipsius Ill. Godoy in solutione. Minor vero apud omnes est certa, & ostenditur primò: si dependentia naturæ creatæ à personalitate, sivè propria, sivè aliena, non oriretur ex indigentia, natura creata esset fecunda, vti est Divina; sed hoc est apud omnes falsum: ergo dependentia naturæ creatæ à personalitate, sivè propria, sivè aliena, oritur ex indigentia. Ostenditur secundò: dependentia cum imperfectione est dependentia orta ex indigentia; sed dependentia naturę creatę à personalitate, sivè propria, sivè aliena, est dependentia cum imperfectione; nam est dependentia cum potentialitate: ergo dependentia naturæ creatæ à personalitate, sivè propria, sivè aliena, oritur ex indigentia. Totum appareret certum, imo ex doctrina Ill. Godoy deductum.

43 *Duplex inconveniens ex doctrina Ill. Godoy.* Nec, quod ex Caietano tradit Ill. Godoy, illi fabet, quin potius ex illo duplex magnum inconveniens sequitur. Sequitur namquè primò: quod idem effectus productus ab vna causa totali, possit ab alia produci, quod hoc syllogismo manifestatur: ideò iuxta Ill. Godoy natura terminata per Filiationem potest terminari per Paternitatem, quia Paternitas habet eandem vim terminandi; sed alia causa totalis eiusdem rationis habet eandem vim causandi: ergo effectus productus ab vna causa totali potest ab alia produci. Sequitur secundò: quod natura terminata totalitèr intensivè per Filiationem, posset intensivè terminari per Paternitatem, quod hoc etiam syllogismo probatur: ideò iuxta Ill. Godoy potest Pater terminare naturam terminatam à Filio, quia Pater ratione suæ infinitatis habet eandem vim, quam habet Filius, ad terminandam, & personandam naturam; sed Filius terminat naturam totalitèr intensivè: ergo Pater potest terminare intensivè naturam, terminatam à Filio totalitèr intensivè. Vtrumque inconveniens est contra Ill. Godoy, & vtrumque ex doctrina illius ad hominem contra ipsum est deductum.

44 *3. Refellitur.* Tertiò insurgo contra dictam disparitatem: etsi natura creata non dependeat à personalitate aliena, dependentia stricta, & causali, sed terminativa tantum, repugnat, quod natura, vna aliena personalitate retenta, terminetur per aliam: ergo nulla est disparitas inter propriam, & alienam personalitatem, quantum ad hoc, quod retenta vna, possit terminari per aliam: ergo invalida est disparitas, & vis manet inconsequentię. Probatur maior: Corpus non dependet à loco, dependentia stricta, & causali, sed terminativa; sed repugnat in sententia Div. Thomæ vnum corpus esse in duobus locis circunscriptivè: ergo etsi natura creata non dependeat à personalitate aliena, dependentia stricta, & causali, sed tantum terminativa, repugnat, quod natura, vna aliena personalitate retenta, terminetur per aliam.

45 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *tom. 1. in 3. partem, disput. 16. numer. 87.* negando antecedens, ad cuius probationem negat consequentiam. Ratio discriminis est: nam vnus locus circunscriptivus adæquatur vni corpori, non solum adæquatione intensiva, verum etiam extensiva, & implicat duplex terminus vtraque ista adæquatione adæquatus. Vna autem persona Divina solum est terminus adæquatus intensivè respectu naturæ; ideòque illam ab alia persona terminabilem relinquit. Ratio autem, cur

locus extensivè etiam corpori locato adæquetur, non verò vna persona Divina respectu naturæ creatæ, ea est: quia extensio localis corporis provenit à quantitate, vt effectus formalis secundarius; forma autem non dat effectum formalem primarium, vel secundarium ratione potentiæ obedientialis, sed ratione potentiæ naturalis, quæ cum vno effectu formali, sivè primario, sivè secundario intensivè, & extensivè adæquatur, ita, vt implicat, effectum formalem multiplicari, non multiplicata forma; ac proindè non potest vna, & eadem quantitas, etiam de potentia absoluta, præstare duas extensiones locales; natura verò creata personatur à persona Divina, ratione potentiæ obedientialis, & terminatio ab illa non est effectus primarius, nec secundarius naturæ, sed personæ terminantis, & ideò, licèt à qualibet persona Divina adæquatè intensivè terminetur, à nulla tamen illarum terminatur adæquatè extensivè; ideoque relinquitur terminabilis ab alia.

46 *Contra 1.* Contra primò: etiam si corpus habeat potentiam obedientialem ad esse in loco sibi non connaturali, repugnat apud Ill. Godoy esse in duplici loco circunscriptivè: ergo etiam si natura creata habeat potentiam obedientialem ad personari sibi non connaturali, repugnabit personari à duplici personalitate: ergo intensivè, & extensivè adæquatur per vnam. Hæc consequentia ex prima infertur. Prima verò à paritate rationis videtur manifesta.

47 *Contra 2.* Contra secundò: quod dependentia sit secundum potentiam naturalem, vel obedientialem, non importat dependentiam essentialem: ergo nulla est disparitas. Probatur antecedens: dependentia essentialis non oritur à dependentia secundum potentiam naturalem, vel obedientialem: ergo quod dependentia sit secundum potentiam naturalem, vel obedientialem, non importat dependentiam essentialem. Probatur antecedens: quod accidens dependeat connaturaliter à subiecto, & ab illo obedientialiter non dependeat, non importat dependentiam essentialem; nam dependentia accidentis à subiecto, quando actualiter est in illo, ita accidentalis est, ac quando actualiter non est in illo: ergo dependentia essentialis non oritur à dependentia secundum potentiam naturalem, vel obedientialem.

48 *Contra 3.* Contra tertiò: dependentia secundum potentiam naturalem non est maior, quam dependentia secundum potentiam obedientialem, quando iam habet illud, ad quod dicit potentiam obedientialem: ergo ruit responsio. Probatur antecedens: si accidens accidentaliter dependet à subiecto secundum inhærentiam actualem, ita vt possit in subiecto actualiter non esse; accidentaliter etiam dependet à subiecto, quando actualiter non est in illo, vt possit esse actualiter in illo; sed primum convenit accidenti secundum potentiam naturalem, & secundum ratione potentiæ obedientialis: ergo dependentia secundum potentiam naturalem non est maior, quam dependentia secundum potentiam obedientialem, quando iam habet illud, ad quod dicit potentiam obedientialem.

49 *Contra 4.* Contra quartò: quod natura creata personetur à Divina persona ratione potentiæ obedientialis, non obest, vt intensivè, & extensivè adæquetur per vnam: ergo ruit responsio. Probatur antecedens: quod natura creata existat existentia Divina ratione potentiæ obedientialis, non obest, vt intensivè, & extensivè adæquetur per vnam: ergo paritèr: quod natura creata personetur à Divina persona ratione potentiæ obedientialis, non obest, vt intensivè, & extensivè adæquetur per vnam. Consequentia paritate contra Ill. Godoy tenentem: naturam creatam Christi Domini existere existentia Divina, vrgere videtur. *Contra 5.* Contra quintò: si persona Divina intensivè, & extensivè terminaret naturam creatam; non ob hoc deficeret naturæ creatæ potentia obedientialis ad terminari per personam Divinam: ergo quod natura creata personetur à Divina persona ratione potentiæ obedientialis, non est ratio, vt intensivè, & extensivè non adæquetur per vnam: ergo ex omni parte deficit responsio allata.

50 *2. Disparitas refutatur 1.* Adversus secundam tamen disparitatem arguo primò: implicat iuxta Ill. Godoy, quod eadem natura afficiatur duplici subsistentia, sivè vna sit propria, & alia aliena, sivè vtraque

alie-

aliena sit: ergo implicat, quod eadem natura afficiatur duplici personalitate, sivè vna sit propria, & alia aliena, sivè vtraque aliena sit: ergo eadem est de omnibus ratio, & consequentèr disparitas ruit, & inconsequentia manet. Prima consequentia probatur: ideò implicat, quod eadem natura afficiatur duplici subsistentiâ, sivè vna sit propria, & alia aliena, sivè vtraque aliena sit, quia implicat, quod eadem natura dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate independentiæ: sed etiam implicat, quod eadem natura dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate incommunicabilitatis: ergo implicat, quod eadem natura afficiatur duplici personalitate, sivè vna sit propria, & alia aliena, sivè vtraque aliena sit.

51 Consequentia est legitima. Maior est manifesta; quia si non implicaret, quod eadem natura dependeret totalitèr à pluribus in perfeitate independentiæ; non implicaret, quod eadem natura afficeretur duplici subsistentia, sivè vna sit propria, & aliena alia, sivè vtraque aliena esset: ergo vera est maior. *Probatur minor.* Minor autem probatur: eadem contradictio, quæ sequitur ex eo, quod eadem natura dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate independentiæ, sequitur ex eo, quod dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate incommunicabilitatis: ergo implicat, quod eadem natura dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate incommunicabilitatis. Probatur antecedēs: contradictio, quæ sequitur ex eo, quod eadem natura dependeret totalitèr à pluribus in perfeitate independentiæ, est, quia dependeret totalitèr ab vno, & ab illo non dependeret totalitèr; atqui hæc eadem contradictio sequitur ex eo, quod eadem natura dependeret totalitèr à pluribus in perfeitate incommunicabilitatis, vt de se videtur manifestum: ergo eadem cōtradictio, quæ sequitur ex eo, quod eadem natura dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate independentiæ, sequitur ex eo, quod dependeat totalitèr à pluribus in perfeitate incommunicabilitatis.

52 *Refutatur 1.* Refutatur secundò prædicta secunda disparitas: Divinæ personalitates iuxta solutionem simul præstare possunt naturæ creatæ perfeitatem independentiæ: ergo Divinæ personalitates simul præstare nequeunt naturæ creatæ perfeitatem incommunicabilitatis: ergo Divinę personalitates nequeunt terminare simul naturā creatam: ergo natura creata, retenta personalitate aliena, nequit per aliam terminari: ergo eadem est ratio de personalitate aliena, ac de personalitate creata: ergo disparitas ruit, & inconsequentia manet. Triplex vltima consequentia ex secunda infertur. Secunda verò claret ex prima; nā nequeunt Divinæ personalitates simul terminare naturam creatam, quin simul illi præstent perfeitatem incommunicabilitatis; alioq; in natura esset subsistens, quin esset incommunicabilis, quod repugnat: ergo si Divinæ personalitates simul præstare nequeunt naturæ creatæ perfeitatem incommunicabilitatis, Divinæ personalitates nequeunt terminare simul naturam creatam.

Vndè tota huius impugnationis difficultas reducitur ad primam consequentiam; antecedens namquè est Ill. Godoy in solutione. Probatur itaquè prima consequentia ad hominē contra ipsum: ideò Divinæ personalitates simul præstare possunt naturæ creatæ perfeitatem independentiæ, quia provt sic, non sunt plures, sed vnum; hoc enim habent ratione subsistentiæ absolutæ, quam implicitè includunt, & illam non multiplicant; atqui Divinæ personalitates, vt præstant perfeitatem incommunicabilitatis, non sunt vnum, sed plures, vt est certum, & ipse in solutione supponit: ergo Divinæ personalitates simul præstare nequeunt naturæ creatę perfeitatem incommunicabilitatis.

53 *Probatur consequentia ad hominē cōtra Ill. Godoy.*

Arguo tertiò adversus dictam disparitatem: tres Divinæ personalitates non minus differunt in ratione personalitatis, ac in ratione subsistentiæ: ergo disparitas ruit, & efficatia inconsequentiæ permanet. Probatur antecedens: non minus est verum dicere, quod sin tres subsistentię, quam quod sint tres personalitates: ergo tres Divinæ personalitates non minus differunt in ratione personalitatis, ac in ratione subsistentiæ. Probatur antecedens: si non minus esset verum dicere, quod sint tres subsistētiæ, quam quod sint tres personalitates; ita verū esset dicere, quod natura humana Christi esset subsistens, subsistentia Patris, ac subsistentia Filij; sed hoc est falsum.

54 *Refutatur 2.*

ergo non minus est verum dicere, quod sint tres subsistentiæ, quam quod sint tres personalitates.

55 *Aliter formatur impugnatio.*

Aliter formalizatur hæc ratio: quælibet Divina relativa subsistentia distinguitur à qualibet alia in perfeitate independentiæ: ergo in hoc nulla est disparitas inter subsistentiam Divinã relativam, & subsistentiam propriam naturæ creatæ: ergo eadem est ratio inassumptibilitatis naturæ creatæ, propria personalitate retenta, ac retenta personalitate aliena: ergo disparitas ruit, & inconsequentia apparet. Probatur antecedens: quælibet Divina relativa subsistentia distinguitur à qualibet alia in ratione subsistentiæ: ergo quælibet Divina relativa subsistentia distinguitur à qualibet alia in perfeitate independentiç. Consequentia est legitima: nam ideò subsistentia naturç creatç distinguitur à quacumque alia in perfeitate independentiæ, quia à qualibet alia distinguitur in ratione subsistentiæ: ergo si quælibet Divina relativa subsistentia distinguitur à qualibet alia in ratione subsistẽtiæ, distinguetur etiam à qualibet alia in perfeitate independentiæ. Antecedens verò constat primò: nam vt proximè dicebamus: ita est verum dicere, quod sint tres subsistentiæ, quam quod sint tres personalitates. Secundò: quia ex oppositio sequitur, quod ita sit verum dicere: quod natura humana Christi Domini est subsistens subsistentia Patris, & Spiritus Sancti, ac subsistentia Filij, quod videtur absurdum: ergo quælibet Divina relativa subsistentia distinguitur à qualibet alia in ratione subsistentiæ. Ex his igitur apparet, quod ratione prædicta non salvat Ill. Godoy inconsequentiã, & hoc potest esse ad illam solutio.

§. V.

Aliæ rationes Ill. Godoy declarantur, & illius inconsequentia ostenditur.

56 *3. Ratio Ill. Godoy proponitur.*

PRobat tertiò Ill. Godoy *num.* 49. conclusionem, sibi, & nobis communem, hac implicationis ratione: eatenus namquè potest subsistentia Divina terminare naturam creatam, quatenus, quia eminenter continet subsistentiam illi connaturalem, potest loco illius subrrogari, eiusque effectum supplere; sed stante personalitate propria actu terminante naturã, implicat subrrogatio illius, & quod ab alio eius effectus suppleatur: ergo implicat, naturam creatam, propria personalitate retenta, per Divinam terminari, & consequenter implicat ad Divinam subsistentiam assumi. Maior (inquit Ill. Godoy) constat ex dictis *tract. præcedenti*, vbi ostendit: essentiam, & naturam creatam adequatè specificari à propria existentia, & subsistentia, ideoque non posse subsistere, neque existere, nisi vel per propriam existentiam, & subsistentiam, vel per Divinam, quæ propter eminentialem continentiam potest supplere effectum subsistentiæ, & existentiæ creatç. Minor autem constat: nam vnum loco alterius subrrogari, & effectum eius supplere, essentialiter importat absentiam illius, vice cuius subrrogatur, & cuius effectum supplet: ergo propria personalitate, actu terminante naturam, implicat subrrogatio loco illius, & quod ab altero effectus eius suppleatur.

57 *Impugnatur 3. ratio, & inconsequentia ostenditur.*

Impugnatur tamen hæc ratio Ill. Godoy, & illius inconsequentia manifestatur: eatenus namquè potest subsistentia Divina terminare naturã creatam, quatenus, quia eminenter continet subsistentiam illi connaturalem, potest loco illius subrrogari, eiusque effectum supplere; atqui stante personalitate Divina, actu terminante naturam humanam, implicat subrrogatio illius, & quod ab alio eius effectus suppleatur: ergo vel implicat, naturam creatam subsistere duplici Divina personalitate, vel non repugnat, subsistere propria, & aliena: ergo nulla est ratio Ill. Godoy, & firma manet illius inconsequentia. Maior, vt certa supponitur ab Ill. Godoy. Minor verò probatur, eadem omninò ratione, qua ipse probat suam minorem: nam vnum loco alterius subrrogari, & effectum eius supplere, essentialiter importat absentiam illius; vice cuius subrrogatur, & cuius effectũ supplet: ergo stante personalitate Divina, actu terminante naturam humanam, implicat subrrogatio illius, & quod ab alio suppleatur eius effectus. Vndè ad hanc rationem Ill. Godoy, sicut ad supradictas respondetur.

58 *4. Ratio Ill. Godoy proponitur.*

Probat quartò Ill. Godoy *num.* 50. conclusionem, sibi, & nobis communem, ab authoritate Conciliorum, &

Patrum inferentium: in Christo esse vnam tantum personam, ex eo, quod humanitas fuit assumpta ad subsistentiam Divinam; sed hæc illatio esset nulla, si natura creata, propria personalitate retenta, posset terminari per Divinam: ergo ex mente Conciliorū, & Patrum implicat, naturam creatam retinentem propriam personalitatem per Divinam terminari, & subsistere in Divino supposito. Consequentia tenet. Minor constat: nam illatio, in qua cum veritate antecedentis stare potest falsitas consequentis, bona non est; sed si humanitas, propria personalitate retenta, posset Deo hypostaticè vniri, verum esset antecedens, nempè, humanitatem esse assumptam ad Divinam subsistentiam, & consequens falsum, nempè, in Christo esse tantum vnam personam; cum in eo casu duæ personæ essent in Christo, nempè, increata, & creata: ergo, si id esset possibile, illatio facta esset nulla.

Minorem probat.

In probationem maioris plura Patrum, & Conciliorum testimonia cōgeruntur; sufficit tamē, quod ex quinta Synodo Generali *Colat. 8. Canone 5.* desumitur illis verbis: *Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam vnitum, & propter hoc vnam eius subsistentiam, seu vnam personam, anathema sit.* Ex quibus in hunc modum arguitur: causalis propositio ad sui veritatem requirit, quod sit bona consequentia, vt tyronibus dialecticæ est notum; sed quia Dei Verbum est humanitati secundum subsistentiam vnitum, iuxta Concilium est in Christo vna tantum persona, & vnica subsistentia: ergo ex mente Concilij bona est ista consequentia: *Humanitas fuit vnita Verbo secundum hypostasim: ergo in Christo non est duplex hypostasis, vel persona.*

59 *Reijcitur ratio Ill. Godoy.*

Reijcitur hæc ratio Ill. Godoy, & illius inconsequentia declaratur: Concilia, & Patres inferunt, in Christo esse vnam tantum personam ex eo, quod humanitas fuit assumpta ad subsistentiam Verbi; sed hæc illatio esset nulla, si natura creata, retenta personalitate Verbi, posset terminari per aliam Divinam: ergo ex mente Conciliorum, & Patrum repugnat, naturam creatā, retinentem personalitatem Verbi, per aliam Divinam terminari, & subsistere in alio Divino supposito. Atqui hoc est contra Ill. Godoy: ergo nulla est illius ratio, ex illaque eius apparet inconsequentia. Sussumpta cum consequentia est certa. Consequentia syllogismi tenet. Maiorem autem probant plura Patrum, & Conciliorum testimonia, pro quibus sufficiat, quod ex quinta Synodo Generali adducit Ill. Godoy in sui probationem. Minor verò constat: nam illatio, in qua cum veritate antecedentis stare potest falsitas consequentis, bona non est; sed si humanitas, personalitate Verbi retenta, posset Patri hypostaticè vniri, verum esset antecedens, nempè, humanitatem esse assumptam ad subsistentiam Verbi, & consequens falsum, nempè, in Christo esse tantum vnam personam; cum in eo casu duæ personæ essent in Christo, nempè, Verbum, & Pater: ergo si id esset possibile, illatio facta esset nulla.

60 *Amplius reijcitur ratio allata.*

Hac igitur ratione Ill. Godoy per illius inconsequentiam reiecta, amplius etiam reijcitur: nam ad veritatē Conciliorum, & Patrum accedendo, Patres, & Concilia locuntur de facto; non verò asserunt, nec ex illorum dictis infertur, oppositum repugnare, præsertim in opinione Ill. Godoy cū suis de possibilitate naturæ creatæ, vt à triplici aliena personalitate terminetur, ex quo inconsequentia resurgit. Et hoc supposito, falsa est minor Ill. Godoy, quia facit transitum de eo, quod est de facto, ad id, quod est de possibili; vndè distinguenda est hoc modo: hæc illatio esset nulla de possibili, si natura creata, propria personalitate retenta, posset terminari per Divinam concedo minorem; esset nulla de facto nego minorem; quia vt illatio Patrum, & Conciliorum sit vera de facto, in quo sensu ipsi locuntur, non requiritur, quod repugnet: naturam creatam, propria personalitate retenta, posse terminari per Divinam; sed sufficit, quod de facto fuisset assumpta sine propria personalitate.

61 *Falsitas minoris ostenditur.*

Atque hinc se se aperit falsitas probationis minoris; facit namquè eundem transitum, scilicet, de eo, quod est de facto, ad id, quod de possibili potest accidere; vndè distinguenda est hoc modo: illatio, in qua cum veritate antecedentis stare potest falsitas consequentis, bona non est, de possibili concedo maiorem; de facto nego maiorem; & nego etiam minorem; quia etiam si humanitas, propria personalitate

so-

ſonalitate retenta, poſſet Deo hypoſtaticè vniri; verum eſſet antecedens, nempè, humanitatem eſſe aſſumptam ad Divinam ſubſiſtentiam, & verum etiam eſſet conſequens, nempè, in Chriſto eſſe tantum vnam perſonam; nam in eo caſu non eſſent duæ perſonæ in Chriſto, licèt illas habere non repugnaret, vt ex terminis, & ex hypoteſi eſt manifeſtum.

62 *Mens Patrum, & Concil. apperitur.*

Et quod hæc ſit vera mens Patrum, & Conciliorum patet. Primò: quia Patres, & Concilia factum reſpiciunt, quia quod eſt credendum, diffiniunt; non verò attendunt ad id, quòd de potentia Dei abſoluta evenire poteſt; alioquin nihil Theologis inquirendū, & examinandum reliquiſſent. Patet ſecundò: nam vt illatio Patrum, & Conciliorum ſit vera, nō obeſt, quod natura creata, propria perſonalitate retenta, poſsit, vel non poſsit per Divinam terminari; ſed quòd requiritur, eſt: quod natura creata, ſpolitata omni perſonalitate, aſſumpta ſit à Verbo; cum ergo hoc ita de facto ſit, bona eſt de facto Patrum, & Conciliorum illatio.

63 *Retorqueo 1. rationē Ill. Godoy.*

Ex hiſque retorqueo primò rationem Ill. Godoy: illatio Patrum, & Conciliorum eſt hæc: *Humanitas fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam Divinam: ergo in Chriſto eſt vna tantum perſona*; atqui hæc illatio eſt bona, etiam ſi natura creata, retenta propria perſonalitate, poſſet per Divinam terminari: ergo non repugnantia naturæ creatæ, vt propria perſonalitate retenta, poſsit per Divinam terminari, non officit bonitati illationis. Probatur minor: nam illatio, in qua cum veritate antecedentis ſtat veritas conſequentis, bona eſt; ſed etiam ſi natura creata, retenta propria perſonalitate, poſſet per Divinam terminari, verum eſſet antecedens, nempè, *humanitas fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam Divinam*, & etiam conſequens eſſet verum, nempè, *in Chriſto eſt vna tantum perſona*: ergo prædicta illatio eſt bona, etiam ſi natura creata, retenta propria perſonalitate, poſſet per Divinam terminari. Conſequentia eſt legitima. Maior tyronibus dialecticæ nota. Minor certa eſt pro prima parte, pro ſecunda probatur: etiam ſi natura creata, retenta propria perſonalitate, poſſet per Divinam terminari, de facto tamen ſine propria perſonalitate fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam Divinam; ſed hac veritate ſtante, in Chriſto eſt vna tantū perſona; alioquin humanitas non eſſet aſſumpta ſine propria perſonalitate: ergo etiam ſi natura creata, propria perſonalitate retenta, poſſet per Divinam terminari, verum eſſet conſequens, nempè, *in Chriſto eſt vna tantum perſona*.

64 *Retorqueo 2.*

Retorqueo ſecundò: ad bonitatem illationis de facto, ſufficit, quod cum veritate antecedentis ſtet de facto veritas conſequentis; ſed cum veritate antecedentis ſtat de facto veritas conſequentis à Patribus, & Concilijs illati: ergo bona eſt Patrum, & Conciliorum illatio, & conſequentèr non obeſt ad illius bonitatem, quòd natura creata, propria perſonalitate retenta, poſsit per Divinam terminari. Vtraque conſequentia eſt legitima. Minor certa: nam cum veritate huius antecedentis: *humanitas fuit aſſumpta ad ſubſiſtentiam Divinam*, ſtat de facto veritas huius conſequentis: *in Chriſto eſt vna tantum perſona*. Maior verò probatur: nam ad bonitatem illationis de facto non requiritur, quòd cum veritate antecedentis ſtare nequeat falſitas conſequentis: ergo ad bonitatem illationis de facto ſufficit, quod cum veritate antecedentis ſtet de facto veritas conſequentis. Probatur antecedens: ad bonitatem illationis de facto non requiritur, quòd cum veritate antecedentis ſtet etiam de poſsibili veritas conſequentis: ergo ad bonitatem illationis de facto non requiritur, quòd cum veritate antecedentis ſtare nequeat falſitas conſequentis. Probatur antecedens: magis requiritur ad bonitatem illationis de facto, & de poſsibili, quam ad bonitatem illationis de facto dumtaxat; atqui ad bonitatem illationis de facto, & de poſsibili requiritur ad ſummū, quod cum veritate antecedentis ſtet etiam de poſsibili veritas conſequentis: ergo ad bonitatem illationis de facto non requiritur; quod cum veritate antecedentis ſtet etiam de poſsibili veritas conſequentis.

65 *Retorqueo 3.*

Retorqueo tertiò: in tantum illatio Patrum, & Conciliorum eſt bona, in quantum eſt vera de fide; ſed in tantū eſt de fide vera, in quantum eſt verū de fide, quod humanitas ſine propria ſubſiſtentia fuit aſſumpta ad ſubſiſtē-

tate, stat bonitas illationis Patrum, & Conciliorum. Sustiumo nunc: atqui stat hæc veritas, scilicet, quod humanitas sine propria subsistentia fuit assumpta ab subsistentiam Divinam, etiam si, retenta propria personalitate, esset per Divinam terminabilis: ergo etiam si natura creata, retenta propria personalitate, posset per Divinā terminari, bona esset Patrum, & Conciliorum illatio. Maior patet: nam intentum Conciliorum est, statuere de fide, in Christo esse tantum vnam personam. Minor est certa: quia in tantū est de fide vera illatio, in quantum antecedens est de fide verum. Consequentia est legitima. Sustumpta claret; alioquin opinio asserens: naturam creatam, retenta propria personalitate, posse per Divinam terminari, esset contra fidem, quod, vtpote, apertè falsum, nemo dixit.

66 *Retorqueo 4.* Retorqueo quartò, inconsequentiam Ill. Godoy demonstrando: illatio, in qua cum veritate antecedentis stare potest falsitas consequentis, bona non est; sed in opinione Ill. Godoy cū veritate prædicti antecedentis, scilicet, humanitas fuit assumpta ad personalitatem Verbi, stare potest falsitas consequentis: ergo in opinione ipsius nulla est Patrum, & Conciliorum illatio. Probatur minor: iuxta Ill. Godoy in opinione asserente: naturam creatam, propria personalitate retenta, posse per Divinam terminari, stare potest falsitas consequentis cum veritate antecedentis: ergo etiam in illius opinione stare potest falsitas consequentis cum veritate antecedentis. Probatur consequentia: ideò iuxta Ill. Godoy in opinione asserente: naturā creatam, propria personalitate retenta, posse per Divinam terminari, stare potest falsitas consequentis cum veritate antecedentis; quia in casu huius opinionis essent in Christo duæ personæ, nempè, increata, & creata; atqui in casu opinionis ab Ill. Godoy concessę, in Christo essent tres personæ increatæ, nempè, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ergo in opinione Ill. Godoy nulla est Patrum, & Conciliorum illatio. Probatur minor: ideò iuxta Ill. Godoy in casu opinionis asserentis: naturam creatam, propria personalitate retenta, posse per Divinam terminari, essent in Christo duæ personæ, vna increata, & creata alia; quia in hac opinione posset natura creata per vtramque simul terminari; sed in opinione Ill. Godoy natura creata potest per triplicem personalitatem Divinā simul terminari: ergo in casu opinionis ab Ill. Godoy concessæ, in Christo essent tres personæ increatæ, nempè, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ex his itaquè ad rationem Ill. Godoy potest primò responderi, esse omninò falsam vt claret ex dictis *num.* 61. Secundò valet responderi: numquam per illam inconsequentiam salvare; & consequenter semper nullam in illius opinione manere.

§. VI.

Rationes Gonet explanantur, & illius etiam inconsequentia ostenditur.

67 VLtra has Ill. Godoy rationes, ex quibus aliquas adducit Gonet *in præsenti disp. 9. artic. 4.* alias ipse tradit, quas reijcere oportet, vt inconsequentiam etiam ab ipso commissam per omnia ostēdamus, & declaremus, rationem efficacem pro conclusione non esse, stante opinione de possibilitate naturæ creatæ, vt à tribus Divinis personis possit simul terminari; quod cum cæteris Thomistis tenet Gonet *disput. 8. artic. 4.*

68 *Ratio Gonet proponitur.* Gonet itaquè *in præsenti disput. 9. artic. 4. num. 96.* probat conclusionem, sibi, & nobis communem, argumento à posteriori, desumpto ex Misterio Incarnationis: si natura humana, terminata propria personalitate, esset assumptibilis à persona Divina; Verbū de facto illam assumsisset terminatam propria personalitate, non assumendo ipsam personalitatem; at secundum fidem Catholicam Verbum assumpsit naturam humanam sine propria personalitate: ergo signum est, non fuisse possibile, humanitatem propria personalitate terminatam animi à persona Divina. Minor est certa de fide. Sequela autem maioris probatur: tùm, quia si propria personalitas, & subsistentia naturæ humanæ non impediebat vnionem eius hypostaticam cum Verbo, videtur fuisse convenientius perfectioni humanitatis Christi, quod non solum subsisteret per subsistentiam Verbi, sed etiam per propriam, si talis subsistentia sit compossibilis in eadem natura cum subsis-

tentia Verbi. Tùm etiam, quia non ſunt multiplicanda, vel augenda miracula ſine neceſsitate: maius verò eſſet miraculum, auferre à natura humana propriam perſonalitatem, vel impedire, ne propria ſubſiſtentia, quæ eſt paſsio ei connaturalitèr debita, ab ipſa flueret, quam conſervare propriam ſubſiſtentiam cum aliena.

69 *Declaratur exemplo.*

Quod poteſt aptiſsimo exemplo declarari, & illuſtrari. Licèt præſentia localis, & Sacramentalis ſint duo modi naturalitèr ſimul repugnantes eidē corpori, vndè naturalitèr fieri nequit, quod idem corpus ſimul habeat duos illos modos eſſendi, tamen quia extenſio ad locum eſt paſsio connaturalitèr debita corpori, ideò communitèr dicitur in materia de Euchariſtia, fore malus miraculū, ſi Corpus Chriſti acquirendo Sacramentalem præſentiam, amitteret extenſionem, atque præſentiam localem, quam habet in Cœlo, quam quod retenta illa extenſione locali acquirat præſentiam in ſpeciebus Sacramentalibus: ergo ſimilitèr: ſi abſolutè compoſsibilis eſſet propria perſonalitas humanitatis cū aliena Verbi Divini, maius miraculū eſſet dicendum, quod Verbum ex vi aſſumptionis naturæ humanæ impediret, ne propria, & connaturalis ſubſiſtentia ab ea reſultaret, quam quod ſimul cum perſonalitate Verbi illa maneret, ſubindeque potiùs dicendum eſſet, illam remanere cum iſta, quam quod illius reſultantia impediatur, ſicut in ſimili dicitur de ipſa præſentia locali Chriſti Domini.

70 *Impugn. 1. ratio Gonet & inconſequentia oſtenditur.*

Cæterum quis non videt inefficacitatem huius rationis! Arguo ſic contra ipſum primò, & illius inconſequentia oſtendo: ſi natura humana, terminata perſonalitate Patris, & Spiritus Sancti, eſſet aſſumptibilis à perſona Verbi, Verbum de facto illam aſſumpſiſſet terminatam perſonalitatibus Patris, & Spiritus Sancti; at ſecundum fidem catholicam Verbum aſſumpſit naturam humanam ſine perſonalitate Patris, & Spiritus Sancti: ergo ſignum eſt, non fuiſſe poſsibile, humanitatem, perſonalitate Patris, & Spiritus Sancti terminatam, aſſumi à perſona Verbi: ergo repugnat, naturā creatam terminari poſſe à triplici perſonalitate Divina: ergo repugnat, naturam creatam, retenta aliena perſonalitate, poſſe per aliam alienam terminari. Tunc ſic; ſed hoc eſt contra Gonet *ſuprà citat*: ergo nulla eſt illius ratio, & inconſequentia permanet. Minor eſt certa de fide. Sequela autē maioris probatur: quia ſi perſonalitas Patris, & Spiritus Sancti non impediebant vnionem hypoſtaticam naturæ humanæ cum Verbo, videtur, fuiſſe convenientius perfectioni humanitatis Chriſti, quod non ſolum ſubſiſteret per ſubſiſtentiam Verbi, ſed etiam per ſubſiſtentiam Patris, & Spiritus Sancti, ſi tales ſubſiſtentiæ ſint compoſsibiles in eadem natura cum ſubſiſtentia Verbi: ergo ſi natura humana, terminata perſonalitate Patris, & Spiritus Sancti, eſſet aſſumptibilis à perſona Verbi, Verbum de facto illam aſſumpſiſſet terminatam perſonalitatibus Patris, & Spiritus Sancti.

71 *Impugn. 2. & alia inconſequentia oſtendo.*

Arguo ſecundò adverſus rationem datam, & aliam contra Gonet inconſequentiam oſtendo: ſtat, naturam, propria perſonalitate retenta, eſſe aſſumptibilem à perſona Divina, & ſic de facto non aſſumpſiſſe: ergo ruit ratio Gonet. Probatur antecedens: ſtat, formam ſubſtantialem à materia ſeparatam, imò & animam rationalem à corpore ſeparatam, eſſe aſſumptibilem à perſona Divina, & ſic de facto non aſſumpſiſſe: ergo ſimilitèr: ſtat, naturam, propria perſonalitate retenta, eſſe aſſumptibilem à perſona Divina, & ſic de facto non aſſumpſiſſe: ergo ex eo, quod de facto aſſumpſiſſet naturam ſine propria perſonalitate, non infertur, eſſe inaſſumptibilē propria perſonalitate retenta, ſicut ex eo, quod non aſſumpſiſſet formam ſubſtantialem ſine materia, vel animam rationalem ſine corpore, non infertur, tales formas eſſe inaſſumptibiles. Antecedens eſt doctrina, quam cum Thomiſtis habet Gonet *diſput. 9. citat. artic. 2. num. 46. & 49.* de quo contra Ill. Godoy tractavimus *diſput. anteced. §. 7. & 10.* Conſequentia eſt paritate legitima, ex ipſaque apparet alia inconſequentia Gonet; nā aſſereret naturam creatam, propria perſonalitate retenta, non eſſe aſſumptibilem à perſona Divina, eo, quod de facto ſic non ſit aſſumpta, inconſequens eſt cum hoc, quod anima rationalis à corpore ſeparata ſit aſſumptibilis à Verbo, & quod de facto non ſit ſic aſſumpta, quorum vtrumque tenet Gonet.

72

Arguo tertiò adverſus eandem ra-

tio-

Impugn. 3. & alia inconsequentia demõstratur.

tionem,& aliam contra Gonet inconsequentiam demonstro: si natura humana simul cum Angelica,& irrationali esset assumptibilis à persona Divina, Verbum de facto illas simul assumpsisset;at secundum fidem catholicam Verbum solum assumpsit naturam humanam;non verò Angelicam, nec irrationalem: ergo signum est,nõ fuisse posibile,naturam humanam simul cum Angelica, & irrationali assumi à personaDivina:ergo implicat, quod vna personaDivina posit simul plures naturas assumere, tùnc sic; sed hoc est contra Gonet *disput.8.artic.4. num.83*: ergo ruit illius ratio, & vltra dictas hæc de nobo apparet inconsequentia. Omnes consequentiæ cum sussumpta tenent. Minor est certa de fide. Sequela autẽ maioris probatur: quia si vnio naturæ humanæ cum Verbo non impediebat vnionem hypostaticam naturæ Angelicæ, & irrationalis cum illo, videtur, fuisse convenientius vi, seu virtuti assumptivæ Verbi,quod non solum assumeret naturam humanam, sed etiam naturam Angelicam,& irrationalem,si tales assumptiones sint composibiles in persona Verbi:ergo si natura humana simul cum Angelica,& irrationali esset assumptibilis à persona Divina,Verbũ de facto illas simul assumpsisset. Ex hoc apparet hæc inconsequentia Gonet, nam asserere, naturam creatam, propria personalitate retenta,non esse assumptibilem à persona Divina eo, quod de facto non sit sic assumpta,inconsequens est cum hoc, quod natura humana simul cum Angelica, & irrationali sit assumptibilis à Verbo,& quod de facto non sit sic assumpta, quorum vtrumque tenet Gonet, & vtrumque ratione illius à nobis demonstratur, vt claret ex probatione sequelæ maioris.

73 *Respõdetur ad rationẽ Gonet,& 1. ad 1.probationem.*

Iuxta inconsequentias autem prædictas responderi potest ad rationem Gonet, negando maiorem, ad cuius primam probationem omisso antecedenti, negatur consequentia ob dicta in prima,& tertia impugnatione; vel negatur antecedens, quia etsi propria personalitas,& subsistentia naturę humanæ non impediret vnionem eius hypostaticam cum Verbo,conveniẽtius fuit humanitati Christi, quod solum subsisteret subsistentia Verbi, & plures rationes in silentio præmitendo, hæc pro omnibus sufficiat, scilicet,quod si humanitas per propriam, & Divinam personalitatem subsisteret, omnes illius operationes non essent Theandricæ, nec denominativè in nostra opinione, nec elicitivè in opinione Gonet; nam operationes, quæ à supposito proprio denominarentur, vel elicerentur, essent operationes puri hominis, vtpotè,ab humanitate, & propria illius personalitate procedentes, & consequentèr illis deficeret dignitas, quam de facto habẽt à personalitate Divina, quæ de facto omnes illas dignificat,quę omnia sunt in detrimentum perfectionis humanitatis,vt ex terminis claret.

Secundò.

74 *Ad 2. probationem respõdet.1.*

Ad secundam probationem potest primò responderi,concessa maiori, & omissa minori, negando consequentiam;quia dato,quod esset maius miraculum, auferre à natura humana propriam personalitatem,vel impedire,ne propria subsistentia,quæ est passio ei connaturalitèr debita, ab ipsa flueret, quam conservare propriam subsistentiam cum aliena; fuit necesitas sufficiens ad hoc maius miraculũ patrandum;tùm,vt omnes operationes humanitatis essent Theandricæ. Tùm etiam;vt tam maximum miraculum,quale estIncarnatio,sociaretur maiori miraculo.

75 *Secundò respõdetur.*

Secundò responderi potest,negando minorem cum probatione; quia maius miraculum est, quod Corpus Christi, adquirendo Sacramentalem præsentiam, retineat extensionem, & præsentiam localem, quam habet in Cœlo, quam quod illam omittendo, acquirat præsentiam in speciebus Sacramentalibus. Et ratio sumitur ex Gonet ad hominem contra ipsum: maius miraculum est, quod corpus habeat simul plures modos inter se oppositos, quam quod habeat simul plures modos inter se non oppositos; sed CorpusChristi,acquirendo Sacramentalem præsentiam,retenta extensione locali,quam habet in Cœlo,habet simul plures modos inter se oppositos;omissa tamen extensione locali, non habet modos prædictos : ergo maius miraculum est, quod Corpus Christi, acquirendo Sacramentalem præsentiam, retineat extensionem, & præsentiam localem, quam habet in Cœlo, quam quod illam amittendo, acquirat præsentiam in speciebus Sa-

cra-

cramentalibus. Consequentia est legitima. Minor quoad vtramque partē est certa: nam modus essendi in loco, retenta extensione locali, est modus essendi in loco circunscriptivè, qui est oppositus modus essendi in loco Sacramentalitèr, quod non habent modus essendi in loco, amissa extensione locali, & modus essendi in loco Sacramentalitèr, quia vterque est modus essendi in loco sine locali extensione. Vera igitur est vtraque pars minoris.

76 *Maior probatur ad hominem contra Gonet.*

Maior autem probatur: maius miraculum est, quod magis naturalitèr repugnat; sed magis repugnat naturalitèr, quod corpus habeat simul plures modos inter se oppositos, quam quod simul habeat plures modos inter se non oppositos: ergo maius miraculum est, quod corpus habeat simul plures modos inter se oppositos, quam quod simul habeat plures modos inter se non oppositos. Maior est certa: nam sicut miraculum dicitur, quod naturalitèr repugnat; ita maius miraculum dicitur id, quod magis naturalitèr repugnat. Minor verò probatur primò ad hominem contra Gonet; ideò magis repugnat, quod eadē natura simul subsistat per se, & in alio, quam quod habeat plures modos subsistendi in alio, quia subsistere per se, & in alio, sunt duo modi subsistendi inter se oppositi; plures verò modi essendi non habent inter se hanc oppositionem: ergo magis repugnat naturalitèr, quod corpus habeat simul plures modos inter se oppositos, quam quod simul habeat plures modos inter se non oppositos. Consequentia est legitima. Antecedens verò est Gonet *in præsenti num.* 106.

77 *Confirmatur ad hominē cōtra Gonet.*

Confirmatur hoc, & declaratur exemplo accidentis, ad hominem etiā contra Gonet: magis repugnat, quod idem accidens sit simul per se, & in alio, quam quod simul sit in pluribus subiectis; sed hoc non alia ratione, nisi quia esse per se, & in alio sunt modi inter se oppositi; esse verò in pluribus non sunt modi inter se oppositi: ergo magis repugnat, quod corpus habeat plures modos inter se oppositos, quā quod simul habeat plures modos inter se non oppositos. Consequentia est legitima. Præmisse autem sunt Gonet *num. cit.* Vndè ex ipso, & contra ipsum manet ratio Gonet soluta, & illius inconsequentiæ declaratæ.

78 *Alia ratio Gonet proponitur.*

Aliam probationem pro conclusione, sibi, & nobis communi, adducit *num.* 97. quam sic format: implicat, quod natura creata existat simul, & semel duplici existentia, quarum vna sit creata, & altera increata; at si natura terminata per propriam personalitatem assumeretur à Deo, non destructa tali personalitate, haberet duplicem existentiam, quarum vna esset creata, & altera increata: ergo, &c. Maior est certa; tùm, quia esse individuatur à natura in qua recipitur: tùm etiam, quia duæ existentiæ, præsertim si sint completæ, non possunt inter se vniri per modum actus, & potentiæ ad constituendum vnum per se, vt ostenditur in Philosophia. Minor verò suadetur: cuilibet subsistentiæ debet correspondere existentia, quia subsistentia est veluti vltima dispositio, qua natura redditur capax existentiæ; ac proindè duæ subsistentiæ necessario secum trahunt duas existentias; sed in nostro casu natura assumpta duas haberet subsistentias, quarum vna esset creata, & naturalis, altera increata, & præternaturalis: ergo & duas existentias, vnam creatam, & naturalem, alteram increatam, & supernaturalem.

79 *Reijcitur hæc ratio Gonet, & illius inconsequentia ostenditur.*

Hæc tamen ratio (suppositā falsitate in illa inclusa, scilicet, quod natura humana Christi existat per existentiā Verbi) reijcitur primò: implicat, quod natura creata existat simul, & semel duplici existentia, quæcumque sit: ergo implicat, quod natura creata subsistat simul, & semel duplici subsistentia, quæcumque sit; atqui hoc est contra Gonet *cit*: ergo ruit ratio illius, & inconsequentia manet. Sussumpta cū consequentia tenet. Antecedens est solutio Gonet. Consequentia verò probatur: non minus repugnat, quod natura creata existat simul, & semel duplici existentia, quæcumque sit, quā quod subsistat simul, & semel duplici subsistentia, quæcumque sit; sed iuxta Gonet implicat, quod natura creata existat simul, & semel duplici existentia, quæcumque sit: ergo implicat, quod natura creata subsistat simul, & semel duplici subsistentia, quęcumque sit. Minor, & consequentia tenēt. Maior autem videtur certa; alioquin assignet rationem repugnantiæ, & in prædictam inconsequentiam incidet, vltra quod probatur: nam sicut existentia tribuit perfectam existentiæ;

ita

ita subsistentia tribuit perfeitatem incommunicabilitatis; sed non minus repugnat, quod effectus perfeitatis existentiæ tribuatur à duplici existentia, quæcumque sit, quam quod perfeitatis incommunicabilitatis tribuatur à duplici subsistentia, quæcumque sit; eadem enim contradictio sequitur: ergo non minus repugnat, quod natura creata existat simul, & semel duplici existentia, quæcumque sit, quam quod subsistat simul, & semel duplici subsistentia, quæcumque sit.

80 *Reijcitur 2 dicta ratio*

Reijcitur secundò eadem ratio: si repugnantia naturæ creatæ, vt propria personalitate retenta, possit per alienam terminari, esset illa duplex existentia; hæc esset ratio repugnantiæ, vt natura creata, propria personalitate retenta, non posset ab alia aliena creata terminari; sed ratio repugnantiæ, vt natura creata, propria personalitate retenta, non posit ab alia aliena terminari, non est duplex illa existentia: ergo ratio repugnantiæ, vt natura creata, propria personalitate retenta, non posset per alienam terminari, non est, quod duplici simul existentia existeret: nulla igitur est ratio Gonet. Maior patet: nam ex hac duplici personalitate duplex etiam sequeretur existentia ob rationem Gonet. Minor probatur: ratio repugnantiæ, vt natura creata non possit terminari aliena personalitate creata, est limitatio, & finitas creatæ subsistentiæ: ergo ratio repugnantiæ, vt natura creata, propria retenta personalitate, non possit ab alia aliena creata terminari, non est duplex illa existentia. Consequentia legitima videtur. Antecedens verò est Gonet *disput. 8. citat. artic. 6.* in hoc cæteros Thomistas sequentis.

81 *Respondetur ad rationem 1.*

Vndè ad prædictam rationem Gonet responderi potest primò: negando minorem, ad cuius probationem omissis præmissis, negatur consequentia; quia licèt cuilibet subsistentiæ sua correspondeat existentia; natura verò non existit per existentiã subsistentiæ, sed per existentiam propriam ipsius naturæ, cum qua incomposibilis est alia existentia; ideoque in casu, quo natura creata simul subsisteret duplici subsistentia, sivè vna propria, & alia aliena; creata, vel increata; seu vtraque aliena, numquam natura creata existeret duplici existentia. Vel secundò responderi potest: quod quando per rationem prædictam salvaret Gonet veritatem conclusionis, non salvat inconsequentiã contra ipsum illatam; quare nulla est in illius opinione.

Secundò.

82 *Alia ratio Gonet proponitur.*

Deniquè Gonet *cit. num. 99.* sic probat conclusionem; sibi, & nobis communem: implicat, quod eadem natura creata simul sit in alieno supposito, & non sit in alieno suppposito; at hoc sequeretur ex eo, quod natura humana manens in propria persona esset assumpta à persona Divina: ergo hoc implicat contradictionem. Maior est certa propter manifestam contradictionem, quam dicit esse in alieno supposito, & non esse in alieno supposito. Minor quoad primam partem patet; nam persona Divina est suppositum extraneum à qualibet natura creata. Quoad secundam etiam probatur: effectus formalis subsistentiæ propriæ, est reddere naturam subsistentẽ in se, & per se, & non in alieno supposito, vt docent Philosophi in methaphisica, constatque ex ipsa etymologia nominis, nam apud latinos subsistere in se, idem sonat ac sistere, seu terminari in se, & non in alio; hoc autem cum non dicat exclusionẽ à subiecto, quia quælibet natura substantialis completa, per se ipsam habet; quod non sit in alio tanquã in subiecto, oportet, quod dicat exclusionem; seu negationem essendi in alio, vt in supposito.

83 *Declarãtur ratio.*

Hanc rationem declarat *num. 106.* respondendo ad inconsequentiam, quam contra ipsum arguimus, vbi ait: quod subsistentia propria constituit naturam subsistentem per se, & in se, subsistentia verò aliena constituit illam subsistentem in alio: implicat autem contradictionem, quod eadem natura simul subsistat per se, & in alio, non verò quod habeat plures modos subsistendi in alio; quia subsistere per se, & in alio, sunt duo modi subsistendi inter se oppositi, & quorum vnus virtualitèr saltem, includit negationem alterius: plures verò modi essendi in alio, non habent inter se hanc repugnantiam, & oppositionem, nec vnus includit virtualitèr negationem alterius. Potestque id declarari, & illustrari exemplo accidentis, videmus enim quod omnino implicet idem accidens simul esse per se, & in alio; cæterum quod simul possit esse in pluribus subiectis, multi extra Scho-

ſam D. Thomæ concedunt, ſaltem de abſoluta potentia.

84 *Refellitur ratio Gonet, & inconſequentia declaratur.*

Hæc tamen ratio diſplicet Ill Godoy, qui eam adducit *num.* 19. & per ſequentia reijcit. Vltra quæ nobis etiam ob multa diſplicet. Primò: nam ideò repugnat naturam exiſtere per ſe, & in alio, quia modus exiſtendi per ſe infert negationem exiſtendi in alio; ſed non minus modus, à quo habet natura exiſtere in alio, infert negationem exiſtendi in alterò: ergo vel repugnat, naturam affici duabus alienis perſonalitatibus, vel non repugnat, affici propria, & aliena: ergo ruit ratio Gonet, & inconſequentia illius manet. Maior eſt ipſius ſolutio. Probatur minor: ideò modus, à quo habet natura exiſtere per ſe, infert illam negationem, quia eſt ſimplicitèr incommunicabilis; ſed non minus eſt ſimplicitèr incommunicabilis modus, à quo habet natura exiſtere in alio: ergo non minus modus, à quo habet natura exiſtere in alio, infert negationem exiſtendi in altero. Maior patet: nam ideò prædictus modus infert illam negationem, quia tribuit naturæ incommunicabilitatem ſimplicitèr, vel ſaltim in ſenſu compoſito; ſed ideò tribuit, quia eſt ſic incommunicabilis; alioquin tribueret, quod non haberet: ergo ideò modus, à quo habet natura exiſtere per ſe, infert illam negationem, quia eſt ſimplicitèr incommunicabilis. Minor claret primò: quia ille modus eſt perſonalitas, de cuius ratione eſt incommunicabilitas ſimplicitèr. Secundò: nam alioquin eſſet aſſumptibilis, ſicuti natura, quod eſt falſum.

85 *Dices.*

Dices: eſſe diſparitatem; nam perſonalitas propria tribuit naturæ tantam incommunicabilitatem, quantam ipſa habet; aliena verò ſolum tribuit incommunicabilitatem connaturalem.

Contra 1. Contra primò: quia hoc eſt voluntarium; nam ego etiam oppoſitum dicere valeo.

Contra 2. Secundò: quia non eſt ratio, cur de propria, & non de aliena, hoc dicatur.

Contra 3. Tertiò: nam aliena gerit vices propriæ: ergo cum ipſi non deficiat incommunicabilitas ſimplicitèr, hanc debet naturæ tribuere, vt dicitur de eſſentia Divina gerente vices ſpeciei impreſſæ.

86 *Contra* 4. Quartò: Paternitas Divina, quæ ex ſe eſt ſimplicitèr incommunicabilis, tribueret naturæ Divinæ incommunicabilitatem ſimplicitèr, niſi ex infinita perfectione ipſius naturæ exigeret, alijs communicari; ſed in natura affecta aliena perſonalitate non eſt talis perfectio, exigens communicari alijs: ergo cum aliena ſit ſimplicitèr incommunicabilis, hanc incommunicabilitatē debet tribuere.

Contra 5. Quintò: tàm propria, quàm aliena perſonalitas, tribuunt ſuum effectum in genere cauſę formalis, ſcilicet, ſe ipſas communicando: ergo cum in natura creata nō ſit ſpecialis ratio, vti eſt in Divina, vtraque perſonalitas tribuit tantam incommunicabilitatem, quantā ipſæ ex ſe habent.

Contra 6. Sextò: non eſt vndè colligatur, perſonalitatem alienā non tribuere tantam incommunicabilitatē, quantam tribuit propria, niſi quia ad hanc connaturalitèr ſequitur negatio exiſtendi in alieno ſuppoſito; ſed cum hoc ſtare poteſt, quod de potentia abſoluta exiſtat in alio: ergo attenta ratione, natura perſonata propria perſonalitate, poterit aliena perſonari. Minor claret in penetratione duorum corporū in eodem loco, in exiſtentia Corporis Chriſti in Cœlo, in Euchariſtia, pluribuſque alijs exemplis.

87 *Refellitur 2. & alia inconſequētia apperitur.*

Diſplicet ſecundò prædicta ratio Gonet, & alia contra ipſum inconſequentia manifeſtatur: ideò implicat, quod natura creata, propria perſonalitate retenta, terminetur per alienam, quia implicat, quod natura ſubſiſtat in ſe, & in alio; ſunt enim duo modi inter ſe oppoſiti, quorum vnū, ſaltem virtualitèr dicit negationem alterius; & ideò non implicat, quod natura creata, retenta aliena perſonalitate, terminetur per aliam, quia non implicat, quod natura ſimul ſubſiſtat in pluribus; plures enim modi eſſendi in alio non ſunt ita oppoſiti: ergo non implicat, quod natura creata, retenta propria perſonalitate, terminetur per aliam propriam, & conſequentèr poterit natura creata ſimul ſubſiſtere pluribus perſonalitatibus proprijs, atqui hoc eſt contra Gonet: ergo nulla eſt illius ratio, & hæc manet in illum inconſequentia. Suſſumpta cum conſequentia tenet. Antecedens eſt integra ratio Gonet.

88 *Conſequentia probatur.*

Conſequentia verò probatur: ideò non implicat, quod natura creata, retenta aliena perſonalitate, terminetur per aliam, quia non implicat, quod

natura simul subsistat in pluribus; sed non repugnat, quod natura creata simul subsistat pluribus proprijs personalitatibus: ergo non implicat, quod natura creata, retenta propria personalitate, terminetur per aliam propriam, & consequentèr poterit natura creata simul subsistere pluribus personalitatibus proprijs. Probatur minor: ideò non implicat, quod natura creata simul subsistat in pluribus, quia plures modi essendi in alio non sunt inter se oppositi, ita, vt vnus dicat, saltem virtualitèr, negationem alterius; atqui plures modi essendi in se non sunt ita oppositi, vt vnus dicat, saltem virtualitèr, negationem alterius: ergo non implicat, quod natura creata simul subsistat pluribus proprijs personalitatibus. Consequentia est legitima; quia natura creata subsistens pluribus proprijs personalitatibus solum habet plures modos essendi in se. Maiorē fatetur Gonet. Minor autem est evidens. Primò: quia modi inter se oppositi ita, vt vnus dicat, saltem virtualitèr, negationem alterius, sunt modi essendi in se, & in alio. Secundò: nam si plures modi essendi in alio non sunt oppositi, nec plures modi essendi in se oppositionem habebunt; cum eadem sit vtrobique ratio.

89 *Refellitur 3. ratio Gonet, & dicta inconsequentia ostenditur.*

Displicet tertiò ratio prædicta, & dicta inconsequentia ostenditur: ideò iuxta rationem à Gonet allatam non implicat, quod natura creata, retenta personalitate aliena, possit terminari per aliam, quia plures modi essendi in alio non pugnant contradictoriè; sed modi essendi in se, & essendi in alio non pugnāt contradictoriè: ergo non implicat, quod natura creata, retenta propria personalitate, per quam subsistit in se, terminetur per alienam, per quam subsistit in alio. Atqui hoc est contra Gonet, & inconsequentia toties illata: ergo nulla est ratio prædicta. Probatur minor exemplo ab ipso Gonet tradito: si idem accidens esset simul in pluribus subiectis, posset esse per se, & in alio simul: ergo modi essendi in se, & essendi in alio non pugnant contradictoriè. Probatur antecedens: supposito, quod esset in pariete, & in hostia, quę postea consecraretur, tunc esset per se, & in alio simul: ergo si idem accidens esset simul in pluribus subiectis, posset esse per se, & in alio simul. Vrgeo cum ipso exemplo: non minus pugnant esse in alio exigentialitèr, & esse per se simul non exigentialitèr, ac esse per se exigentialitèr, & esse in alio simul non exigentialitèr; sed esse in alio exigentialitèr, & esse per se non exigentialitèr possunt simul esse de potentia absoluta, vt constat in allato exemplo accidentis: ergo esse per se exigentialitèr, & esse in alio simul non exigentialitèr, poterunt esse simul de potentia Dei absoluta: ergo & personari simul propria, & aliena personalitate.

90 *Refellitur 4. aliam inconsequentiam Gonet ostendēdo.*

Displicet quartò allata ratio, ostendendo aliam inconsequentiam, quam in præsenti habet Gonet, pro quo verba illius transcribo: ipse namque *num.* 96. ait: *Forè maius miraculum, si Corpus Christi adquirendo Sacramentalem, præsentiam, amitteret extensionem, atque præsentiam localem, quam habet in Cœlo, quam quod retenta illa extensione locali adquirat præsentiam in speciebus Sacramentalibus.* Et *num.* 106. hæc habet: *Implicat contradictionem, quod eadem natura simul subsistat per se, & in alio, non verò quod habeat plures modos subsistendi in alio; quia subsistere per se, & in alio sunt duo modi subsistendi inter se oppositi, & quorum vnus, virtualitèr saltem, includit negationem alterius: plures verò modi essendi in alio, non habent inter se hanc repugnantiam, & oppositionem, nec vnus includit virtualitèr negationem alterius.*

91 *Formatur inconsequentia.*

Ex quibus sic inconsequentiam ostendo: asserere, forè maius miraculū, si Corpus Christi, adquirendo Sacramentalem præsentiam, amitteret extensionem, atque præsentiam localē, quam habet in Cœlo, quam quod retenta illa extensione locali adquirat præsentiam in speciebus Sacramentalibus, est asserere, quod sit maius miraculum, quod corpus habeat plures modos inter se non oppositos, quam quod habeat plures modos inter se oppositos; atqui hoc est inconsequens ad hoc, quod est asserere: quod repugnat natura simul subsistens per se, & in alio; non verò subsistens in pluribus, eo, quod subsistere per se, & in alio sint modi inter se oppositi; non verò modi essendi in alio: ergo cum vtrunque asserat in præsenti Gonet, inconsequentèr procedit. Consequentia est legitima. Maior certa: nam modus essendi in loco, amissa extensione locali, & modus essendi in loco Sacramen-

talitèr,non ſunt modi inter ſe oppoſiti, quia vterque eſt modus eſſendi in loco ſine extenſione locali,ſeu diffinitivè;modus autem eſſendi in loco,retenta extenſione locali, & modus eſſendi in loco Sacramentalitèr ſunt modi inter ſe oppoſiti; quia vnus eſt circũſcriptivus,&alius eſt diffinitivus.

92 *Probatur minor.*

Minor verò probatur: aſſerere, quod ſit maius miraculum,quod corpus habeat plures modos inter ſe non oppoſitos, quam quod habeat plures modos inter ſe oppoſitos,eſt aſſerere, quod maior virtus,& potentia requiratur ad ſimultatem modorum inter ſe non oppoſitorum, quam ad ſimultatem modorum inter ſe oppoſitorũ; ſed hoc eſt inconſequens ad hoc,quod eſt aſſerere ,quod repugnat natura ſimul ſubſiſtens per ſe,& in alio;non verò ſubſiſtens in pluribus,eo,quod ſubſiſtere per ſe, & in alio ſint modi inter ſe oppoſiti; non verò modi eſſendi in alio:ergo aſſerere,quod ſit maius miraculum , quod corpus habeat plures modos inter ſe non oppoſitos , quam quod habeat plures modos inter ſe oppoſitos , eſt inconſequens ad hoc, quod eſt aſſerere,quod repugnat natura ſimul ſubſiſtens per ſe,& in alio; nõ verò ſubſiſtens in pluribus , eo , quod ſubſiſtere per ſe , & in alio ſint modi inter ſe oppoſiti ; non verò modi eſſendi in alio. Maior patet ; alioquin non eſſet maius miraculum.

Minor probatur:aſſerere,quod maior virtus, & potẽtia requiratur ad ſimultatẽ modorũ inter ſe non oppoſitorũ, quam ad ſimultatem modorũ inter ſe oppoſitorũ , eſt inconſequens (vtpotè contradictoriũ) ad hoc,quod eſt aſſerere,quod maior virtus, & potentia requiratur ad ſimultatem modorũ inter ſe oppoſitorum , quam ad ſimultatem modorum inter ſe non oppoſitorum ; atqui hoc aſſerit , qui aſſerit , quod repugnat natura ſimul ſubſiſtens per ſe , & in alio ; non verò ſubſiſtens in pluribus,eo. quod ſubſiſtere per ſe,& in alio ſint modi inter ſe oppoſiti;nõ verò modi eſſendi in alio: ergo aſſerere , quod maior virtus , & potentia requiratur ad ſimultatem modorum inter ſe non oppoſitorum, quam ad ſimultatem modorum inter ſe oppoſitorum , inconſequens eſt ad hoc,quod eſt aſſerere, quod repugnat natura ſimul ſubſiſtẽs per ſe,& in alio; nõ verò ſubſiſtẽs in pluribus,eo,quod ſubſiſtere per ſe , & in alio ſint modi inter ſe oppoſiti;nõ verò modi eſſendi in alio. Conſequẽtia eſt legitima,& præmiſſæ ex terminis ipſis apparent.

Ex his itaquè ad rationem Gonet, vt *num.*82. efformatam, poteſt primò reſponderi negando maiorẽ ob dicta *num.*89.& vt *num.*83. efformatam,negando minorem ob eandem rationẽ, ſcilicet , quia modus eſſendi per ſe, & in alio non implicat contradictionẽ. Vel ſecundò reſponderi valet ; quod quando Gonet per rationem prædictam ſalvet veritatem concluſionis; non tamen ſalvat inconſequentias contra ipſum deductas *num.*84. 87.& 91. ideòque in illius opinione apparet omnino nulla.

93 *Reſpondetur ad rationem Gonet.*

§. VII.

Triplici ratione ſpeciali oſtenditur inconſequentia Ill. Godoy.

VLtra rationes, quibus inconſequentiam Ill.Godoy ſuprà oſtendimus,nunc ſpecialitèr oſtendenda eſt,& primò ſic: quæcumque ſit ratio inaſſumptibilitatis naturæ humanæ, propria perſonalitate retenta , eſt ratio inaſſumptibilitatis eiuſdem naturæ,aliena perſonalitate retenta : ergo eadem eſt ratio vtriuſque:ergo inconſequens eſt aſſerere,quod natura creata,retenta aliena perſonalitate, poſsit per aliam terminari , & quod retenta propria,non poſsit terminari per alienam.Probatur antecedens:ſi perſonalitas aliena ita perficeret , & compleret naturam , ſicut perſonalitas propria,eadem eſſet ratio inaſſumptibilitatis naturæ humanæ , propria perſonalitate retẽta,ac eſſet ratio inaſſumptibilitatis eiuſdem naturæ, aliena perſonalitate retenta ; ſed ita perficit , & complet naturam,aliena perſonalitas, ſicut propria:ergo quęcumque ſit ratio inaſſumptibilitatis naturæ humanæ, propria perſonalitate retenta , eſt ratio inaſſumptibilitatis eiuſdem naturæ,aliena perſonalitate retenta.

94 1. *Ratio ſpecialis.*

Minor eſt Thomiſtarum hac ratione negantium,in humanitate Chriſti eſſe apetitum innatum ad perſonalitatem propriam , vt videri eſt in Gonet *tom.* 4.*diſp.*9.*artic.*6. & in Ioanne à S.Thoma , de Incarnatione *diſput.*7. *artic.*2. Imò huius opinionis eſt Ill. Godoy *tom.*2.*in*1.*part.diſput.*45.*num.*101.aſſerens: eſſe communem Theologorum ſententiam , in quo certè à veritate

de-

deficit, vt contra ipsum ostendimus *tom.2.in 1.Sent.disput.45.num.96.* Maior verò probatur: si aliena forma ita perficeret,& compleret materiam primam, ac forma propria, eadem esset ratio implicantiæ informabilitatis ab aliena,retenta propria,ac retenta aliena,si cum propria non esset informabilis ab alia:ergo si personalitas aliena ita perficeret, & compleret naturam, sicut personalitas propria,eadem esset ratio inassumptibilitatis naturæ humanæ, propria personalitate retenta, ac esset ratio inassumptibilitatis eiusdem naturæ, aliena personalitate retenta. Antecedens claret. Consequentia paritate est certa.

95 2.*Ratio specialis.* Secunda ratio specialis ad hanc formam reducitur,doctrina Ill. God. vtendo: quod est sub aliena subsistentia, potest poni sub propria, retenta aliena: ergo natura creata terminata personalitate Verbi, hac retenta, potest terminari propria personalitate: ergo natura creata,propria personalitate retenta,potest terminari per aliã, quæ omnia sunt contra Ill. Godoy. Consequentiæ sunt legitimæ. Antecedens autem, in quo vnicè est difficultas,probatur:quod est sub aliena mẽsura, potest poni sub propria, retenta aliena:ergo similitèr:quod est sub aliena subsistentia, potest poni sub propria,retenta aliena. Antecedens est Ill. Godoy *tom.2.in 1.part.disput.41.* cum pluribus Thomistis dicentis: futura, quæ nunc sunt sub aliena mensura, posse poni sub propria;sed hoc est retinendo alienam; nam si,quando sunt futura,coexistunt æternitati, potiori iure quando existunt: ergo quod est sub aliena mensura, potest poni sub propria,retenta aliena. Consequentia paritate videtur certa.

96 3.*Specialis ratio.* Tertia specialis ratio sic formalizatur:si personalitasDivina æquè potens est ad terminandam naturã creatam,ac personalitas propria ipsius naturæ, & aliàs personalitas Divina, semel terminans naturam creatam, ipsam terminat, quantum potest; æquè impossibile erit, naturam creatam, aliena personalitate retenta, posse per aliam terminari,ac est impossibile,naturam, propria personalitate retenta, posse terminari per aliam; atqui personalitas Divina æquè potens est ad terminandam naturam creatam, ac personalitas propria ipsius naturæ, & aliàs semel quod terminet naturam creatam, ipsam terminat, quantum potest: ergo æquè impossibile est, quod natura creata, retenta personalitate aliena,possit per aliam terminari,ac est impossibile,quod retenta propria personalitate, possit terminari per aliam: ergo inconsequens est asserere,quod natura creata,propria personalitate retenta, nequeat terminari per aliam,& quod aliena retenta,possit per aliam terminari. Tunc sic, sed hoc asserit Ill.Godoy: ergo est inconsequens.

97 *Probatur maior.* Sussumpta est manifestè vera. Secunda consequentia ex prima est legitimè illata. Prima verò optimè deducitur ex præmissis. Ex his autem probatur maior: si personalitas Divina æquè potens est ad terminandam naturam creatam, ac personalitas propria ipsius naturæ,& aliàs personalitas Divina,semel terminans naturã creatam, ipsam, quantum potest, terminat,æquè personalitasDivina adæquat terminabilitatem naturæ creatæ, ac propria ipsius naturæ personalitas;sed si Divina personalitas æquè adæquat terminabilitatem naturæ creatæ, ac propria ipsius personalitas, æquè impossibile est,quod natura creata, aliena personalitate retenta, possit per aliam terminari, ac impossibile est, quod propria personalitate retenta, possit terminari per aliam:ergo si personalitas Divina æquè potens est ad terminandam naturam creatam, ac personalitas propria ipsius naturæ, & aliàs personalitasDivina,semel terminans naturam creatam, ipsam terminat,quantum potest;æquè impossibile erit,naturam creatam,aliena personalitate retenta, posse per aliãm terminari,ac est impossibile,naturã,propria personalitate retenta, posse terminari per aliã. Maior patet;alioquin, vel Divina personalitas nõ esset æquè potens, ac personalitas propria naturæ creatæ;vel personalitasDivina terminans naturam creatam,non terminaret ipsam,quantum posset,quorum vtrumque est contra conditionalem maioris. Minor claret;alioquin personalitas Divina non æquè adæquaret terminabilitatem naturæ creatæ, ac propria illius personalitas, quod est contra conditionalem minoris. Consequentia est legitima, ideòque vera est maior suprà positi syllogismi.

98 1. *Pars minoris probatur* 1.

Minor verò illius duas habet partes, & quo ad vtramque est probanda, vt appareat consequentia, ex qua contra Ill. Godoy inconsequentiam intulimus. Probatur itaquè prima pars minoris. Primò: vis terminativa infinita æquè potens est ad terminandam naturam creatam, ac vis terminativa finita; sed personalitas Divina habet vim terminativam infinitam, & personalitas propria naturæ creatę habet vim terminativam finitam: ergo personalitas Divina æquè potens est ad terminandam naturam creatam, ac personalitas propria ipsius naturæ. Totum est verum; alioquin vis terminativa infinita non esset æquè potens, ac vis terminativa finita, quod videtur absurdum. Probatur secundò eadem pars minoris: personalitas Divina æquè potens est ad reddendam naturam creatam incommunicabilem alteri, vt supposito (vt terminis loquar Ill. Godoy, & Thomistarum) ac personalitas propria ipsius naturæ: ergo personalitas Divina æquè potens est ad terminandam naturam creatam, ac personalitas propria ipsius naturæ. Probatur antecedens: personalitas Divina æquè est incommunicabilis, ac personalitas propria naturæ creatæ: ergo personalitas Divina æquè potēs est ad reddendam naturam creatam incommunicabilem alteri, vt supposito, ac personalitas propria ipsius naturæ. Consequentia est legitima. Antecedens verò patet; nam Divina personalitas est simpliciter incommunicabilis, vltra quod progredi nequit personalitas propria naturæ creatæ.

Secundò.

99 2. *Pars minoris probatur* 1. *ad hominē contra Ill. Godoy.*

Secunda pars minoris probatur primò: personalitas Divina terminans naturam creatam, ipsam terminat in genere causæ formalis, vel quasi formalis: ergo personalitas Divina semel, quod terminet naturam creatam, ipsam terminat, quantum potest. Antecedens est Ill. Godoy *cit. num.* 29. cuius verba ibi transcripsimus. Consequentia probatur: causa formalis semel applicata subiecto, dat illi totum, quod potest; nequit enim temperare concursum; sed iuxta concessa personalitas Divina terminans naturam creatam, ipsam terminat in genere causę formalis, vel quasi formalis: ergo personalitas Divina semel, quod terminet naturam creatam, ipsam terminat, quantum potest. Probatur secundò eadem pars minoris: licèt in alterius potestate sit, formam applicare, vel non applicare subiecto, semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest: ergo licèt in Dei potestate sit, applicare, vel non applicare personalitatem Divinam naturę creatę, semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest. Atqui Divina personalitas terminans naturam creatam, illam terminat in genere causæ formalis, vel quasi formalis: ergo personalitas Divina, semel quod terminet naturam creatam, ipsam terminat, quantum potest. Omnia sunt ad hominem contra Ill. Godoy, cuius est ad litteram hęc doctrina, vt ex verbis, quę ex ipso transcripsimus *numer.* 29. luce clarius apparet.

§. VIII.

Rationibus probatur communis sententia.

100 *Probatur nostra conclusio.*

Omnibus igitur rationibus præiactis, sententia communis à nobis probanda venit consequentèr ad dicta *tom. anteced. disput.* 16. vt nulla in nos inconsequentia sit deducibilis. Probatur itaquè primò: in omni dependentia essentiali vnum dependens non dependet præcisè, nisi ab vno, quod terminet eius dependentiam; sed natura creata dependet essentialitèr quoad personari à personalitate: ergo eadem natura creata nequit à pluribus personalitatibus dependere: ergo natura creata, propria personalitate retenta, nequit assumi ad Divinā subsistentiam. Vtraque consequentia est legitima, & præmissæ veræ; nam maior ex eo constat, quod alioquin sequeretur, dependere essentialitèr ab vno, & ab illo essentialitèr non dependere, quod est contradictio; nam dependeret, vt supponitur, & non dependeret, quia illud non dependet essentialitèr ab aliquo, quo non existente, adhuc existeret. Minor claret ex eo, quod licèt non sit dependentia essentialis causati ad causam; est tamen essentialis dependentia sustentati ad sustentans, quatenus natura ex sua intrinseca ratione petit subsistere, vel supponi, propria, vel aliena subsistentia.

101 *Confirmatur* 1.

Confirmatur primò: implicat, eundem numero effectum provenire à duplici causa totali, sivè effectiva, sivè formali, vt dicitur *lib.* 2. *Phisic.* ergo

im-

implicat, eandem numero naturam personari duplici personalitate: ergo natura, propria personalitate retenta, nequit assumi ad Divinam subsistentiam. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem claret primò: nam quælibet personalitas esset causa totalis. Secundò: quia tribuerent eundem numero effectum, scilicet, eandē incommunicabilitatem, vt diximus *disput. 16. citat. num. 7.* Confirmatur secundò: natura, semel personata propria personalitate, habet totalem effectum subsistentiæ quoad substantiā, & modum: ergo si propria retenta, ab alia personaretur, idē effectus quoad substantiam, & modum tribueretur à duplici personalitate. Atqui hoc ex dictis repugnat: ergo repugnat, quod natura, propria personalitate retenta, personetur per aliam. Antecedens patet ex dictis *disput. citat. num. 7.* Consequētia est legitima, & sussumpta vera.

Secundò.

102 *Respondet Ill. Godoy.*

Hanc rationem sic, vel sic efformatam adducit pro Scotistis Ill. Godoy *numer. 15.* ipsique displicet, eo, quod *disput. 16.* docuit: posse vnam, & eandē naturam creatam simul terminari tribus subsistentijs Divinis. Vbi etiam declaravit, quomodo non inferatur, vnum, & eundem effectum dependere simul à pluribus causis adæquatis: ergo quod natura, propria personalitate retenta, nequeat per Divinam subsistere, non est probandum ex repugnantia plurium personalitatum, simul eandem terminantium naturā.

103 *Contra.*

Cæterum magis nobis displicet responsio Ill. Godoy: nam totum oppositum contra ipsum docuimus *disput. 16.* vbi hac ipsis sima ratione probavimus, non posse vnam, & eandem naturam creatam simul terminari tribus subsistentijs Divinis, vbi etiam vidimus, quomodo inferatur, vnum, & eundem effectum dependere simul à pluribus causis adæquatis, non solum multorum responsiones ad Scoticam rationem reijciendo, sed etiam solutionem Ill. Godoy multiplicitèr impugnando, quod totum videri potest *disp. cit. à num. 19. vsque ad 63.*

104 *Probat. 2. conclusio.*

Probatur secundò conclusio: quod arguit infinitatem, non potest communicari naturæ creatæ; sed terminari simul à pluribus suppositis arguit infinitatem in natura: ergo nequit naturæ creatæ communicari, quod à pluribus suppositis terminetur: ergo nequit natura creata, retenta propria personalitate, assumi ad Divinam subsistentiam. Probatur minor primò: ideò natura Divina est in tribus personis, quia est infinita: ergo terminari simul à pluribus suppositis arguit infinitatem in natura. Probatur secundò: si posset natura creata esse in pluribus suppositis, posset esse in infinitis: ergo idem quod antea. Antecedens claret; quia eadem est ratio plurium, & infinitorum. Consequentia probatur: forma potens informare simul infinitas materias, esset infinita: ergo terminari simul à pluribus suppositis arguit infinitatem in natura. Quod ad hanc rationem potest respondere Ill. Godoy, vidimus *disput. 16. numer. 65. 66. & 67.* quod per sequentia vsque ad *num. 70.* impugnavimus.

Responsio Ill. Godoy impugnata manet.

105 *Probat. 3. conclusio.*

Probatur tertiò conclusio: implicat, naturam creatam sistere in proprio supposito, & simul transire ad aliud; sed si natura creata, personata propria personalitate, posset simul terminari ab alia, sisteret in proprio supposito, & simul ad aliud transiret: ergo implicat, naturam creatam subsistentem in propria persona subsistere simul in aliena: ergo implicat, quod natura creata, propria personalitate retenta, posit per Divinam subsistentiam subsistere. Vtraque consequentia tenet. Maior videtur certa; nam sistere in proprio supposito, & simul transire ad aliud, est sistere, & non sistere in proprio supposito; sistere autē, & non sistere contradictoriè opponuntur: ergo sistere in proprio supposito, & simul transire ad aliud contradictionem involuit. Minor verò probatur: nam subsistere in proprio supposito idem est, quod sistere in illo, quod videtur ex sola grammaticali terminorum constructione constare; sed natura creata, terminata à proprio supposito, subsistit in illo: ergo si natura creata, personata propria personalitate, posset simul terminari ab alia, sisteret in proprio supposito, & simul ad aliud transiret. Quod ad hanc rationem respondere valet Ill. Godoy, declaravimus dicta *disput. 16. num. 72.* idque impugnavimus *num. 73. & 74.* vbi videnda relinquo.

Solutio Ill. God. repulsa manet.

106 *Probat. 4. conclusio.*

Probatur quartò conclusio ex alio Scoti principio, nempè, quod personalitas creata consistit in negatione actualis, & aptitudinalis communica-

tio-

tionis ad ſuppoſitum alienum. Iuxta quam ſententiam facile redditur implicationis ratio; nam iuxta illam, naturam creatam eſſe coniunctam cum propria perſonalitate, illamque retinere, eſt, coniunctam eſſe cum negatione actualis communicationis ad alienum ſuppoſitum, vel alienam perſonam; ſed implicat terminari per alienam perſonalitatem, & ſimul habere negationem communicationis ad perſonam alienam, cum hæc negatio, & actualis cum aliena perſona coniunctio, contradictoriè opponantur: ergo implicat, naturam creatam, propria perſonalitate retenta, terminari perſonalitate Divina, & per illius ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

107 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *num.* 16: ſe non poſſe huic rationi aſſenſum præbere; procedit enim ex doctrina parũ grata cæteris Theologis præter Scoti diſcipulos, & quam ipſe fusè reiecit *tract. de Perſonis Divinis diſput.* 1. §. 1. Cæterum contra hanc ſolutionem vrgent omnia illa, quibus doctrinam Ill. Godoy fusiùs nos reiecimus *tom.* 3. *in* 1. *Sentent. diſput.* 80. ex ibique dictis ſatis conſtat, Scoti ſententiam de negativo eſſe probabiliorem, & ratione firmiorem, de quo ſatis ibi.

108 *Probatur deniquè concluſio.*

Probatur deniquè concluſio: implicat, quod natura creata, perſonata perſonalitate Verbi, terminetur ſimul per perſonalitatem Patris: ergo implicat, quod natura creata, perſonata propria perſonalitate, perſonetur ſimul per aliam. Conſequentia eſt legitima. Antecedens vero contra Ill. Godoy cum vera ſententia docuimus *diſput.* 16. *totiès citat.* vbi veritas illius latè oſtenſa manet, & ex illo conſtat, nos valdè conſequenter procedere, quod non habet Ill. Godoy, vt ſatis liquet ex dictis.

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

109

EX dictis conſtat ſolutio rationi dubitandi cum ſua confirmatione; iam enim rationes implicationis aſsignavimus, & diſparitatem dedimus inter naturam creatam, & Diuinam. Reſtat modò aliquibus argumentis occurrere, & omiſsis ab Ill. Godoy traditis §. *vltim.* quia in ipſo relinquo ſolutiones videndas; duplex tantum à nobis ſolvetur.

110 *Arguitur* 1

Arguitur primò: iuxta Concilia, & Patres Verbum aſſumpſit hominem: ergo aſſumpſit humanitatem ſubſiſtentem: ergo humanitas ſubſiſtens eſt aſſumptibilis à Verbo, & conſequentèr natura creata, propria perſonalitate retenta, poteſt aſſumi ad Divinam ſubſiſtentiam. Ad hoc argumentum communitèr reſpondent Authores duplicitèr: Primò: Concilia, & Patres ſumere concretum pro abſtracto; vndè idem eſt, ac ſi dicerent; Verbum aſſumpſiſſe humanitatem, ex quo nihil contra veritatem concluſionis. *Reſpondent* 1.

Reſpondent ſecundò diſtinguendo antecedens: Verbum aſſumpſit hominem, ſumpto homine pro extremo aſſumptionis nego antecedens; ſumpto pro termino concedo antecedens; quia aſſumptio terminatur ad hoc, quod Verbum ſit homo, ex quo nego conſequentias. *Secundò.*

111 *Replicabis* 1.

Replicabis primò: Verbum aſſumpſit hominem, ſumpto homine pro extremo aſſumptionis: ergo tradita ſolutio eſt nulla. Probatur antecedẽs: ſi Verbum non aſſumpſiſſet hominẽ, homine ſumpto pro extremo aſſumptionis, Beatiſsima Virgo nec fuit Mater Chriſti, quia non genuit perſonalitatem, nec Mater Dei, quia non genuit vnionem cum Verbo; ſed hoc eſt falſum: ergo Verbum aſſumpſit hominem, ſumpto homine pro extremo aſſumptionis. *Reſpondetur.*

Reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem; quia vt Beatiſsima Virgo dicatur Mater Chriſti, & Dei, non requiritur, quod genuerit perſonalitatem, nec vnionem, ſed ſufficit, quod in eodem inſtanti temporis, in quo humanitatem produxit, humanitas vniatur Verbo.

112 *Claret ſolutio exemplis.*

Claret hoc his exemplis. Primò: ſi in eodem inſtanti temporis, quo Beatiſsima Virgo produxit humanitatẽ, propria perſonalitas à Deo, vel ab alio producta, ipſi humanitati vniretur. Maria diceretur Mater puri hominis: ergo ſimilitèr: vt Beatiſsima Virgo diceretur Mater Chriſti, & Dei, ſufficit, quod in eodem inſtanti temporis, in quo humanitatem produxit, humanitas vniatur Verbo. Secundò: Mater naturalis generat hominem, licèt eius actione generativa nec producatur anima, nec vniatur, ſed à Deo in illo inſtanti, in quo organizatur corpus: ergo pariter: vt Beatiſsima Virgo di-

ceretur Mater Christi,& Dei,sufficit, quod in eodem instanti temporis, in quo humanitatem produxit,humanitas vniatur Verbo.

113 *Claret etiã ab opposito*

Tertiò,& est argumentum ab opposito : vt homines Crucifigentes Christum verè dicantur Deicidæ,non fuit necessarium , quod destruerent vnionem humanitatis ad Verbum physicè accione,qua dissolverunt vnionem corporis cum anima: ergo similiter ab opposito : vt Beata Virgo sit Mater Dei,non requiritur, quod eius accio productiva humanitatis sit vnitiva illius cum Verbo ; sed sufficit, quod in eodem instanti temporis humanitas illa vniatur. Ex hoc triplici exemplo retorque argumentum.

Retorque.

114 *Instabis.*

Instabis: causans formam,& non causans vnionem formæ ad subiectũ, nequit dici causa concreti resultantis ex subiecto , & forma : ergo si Beata Virgo generans humanitatem , non influxit in vnionem illius ad Verbum, nequit dici generans Deum,seu Mater Dei. Probatur antecedens primò: causans materiam,si non causat vnionem materiæ cum forma, nequit dici causa compositi : ergo causans formam, & non causans vnionem formæ ad subiectum,nequit dici causa concreti resultantis ex subiecto, & forma. Secundo:causans albedinem,si non causat vnionem illius cum subiecto , non dicitur causa concreti albi:ergo idem quod antea. Tertiò:Deus creans animam vi creationis tantum , non dicitur creare hominem:ergo idem quod prius.

115 *Respondeo.*

Respondeo distinguendo antecedens:causans formam, & non causans vnionem formæ, nec vi accionis causativæ formæ , nec vi alterius illam complentis, non dicitur causa cõcreti concedo antecedens ; causans formã, & non causans vnionem vi accionis causativæ formæ præcisè ; causans verò vnionem vi alterius accionis completivæ accionis causativæ , non dicitur causa concreti nego antecedens , & consequentiam. Itaquè , etsi Beata Virgo vi accionis productivæ humanitatis non causaverit vnionẽ; tamen accio vnitiva fuit completiva accionis Virginis, quia gesit vices accionis, qua ponenda erat propria personalitas,& sic quantum est de se,vnitiva erat propriæ personalitatis ; & causa causans hac conditione , etsi non causet vnionẽ formæ,vi accionis productivæ,dicitur causa concreti.

116 *Respondeo ad 3. probationem.*

Ex quo ad triplicem probationem tripliciter respondeo. Primò : distinguendo antecedens,vt distinxi.Secundò:concesso antecedenti,nego consequentiam ; quia illæ acciones sunt de se vnitivæ formæ cum subiecto ; at accio Virginis non est de se vnitiva humanitatis ad Verbum ; Cæterum cum hoc stat, quod sit causa concreti ob rationem datam. Tertiò:negando antecedens , & ratio est : quia causans formam accione vnitiva formæ cum subiecto , licèt non causet vnionem, diceretur causa concreti , v.g si accio productiva caloris est de se vnitiva illius cum subiecto , causans calorem diceretur causa concreti calidi , etsi in illo instanti , in quo debebat vnire calorem cum subiecto,non vniret,sed vniret aliud agens.

117 *Aliæ responsiones ad argumentum.*

Cæterum quidquid sit de duplici suprà posita responsione ad argumentum,quia tamen tangit difficultatem, disputatione sequenti specialitèr examinandam,conformitèr ad ibi dicenda. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam; nam ex eo, quod Verbum assumpsit hominem, non sequitur, assumpsisse humanitatẽ subsistentem,quia ly *homo* non supponit pro persona,sed pro individuo naturæ humanæ,vt dicemus disputatione sequenti. Respondeo secundò: argumentum probare de facto , quod nemo concedit , ex quo apparet falsitas illius.

118 *Replicabis 2.*

Replicabis secundò: si humanitas sine propria personalitate fuit assumpta , humanitas est in Verbo violenta; sed hoc est falsum : ergo humanitas cum propria personalitate fuit assumpta , & consequentèr Verbum assumpsit hominem , sumpto homine pro extremo assumptionis , nullaque est allata solutio. Probatur maior : si humanitas sine propria personalitate fuit assumpta , humanitas habebit inclinationem ad propriam personalitatem: ergo si humanitas sine propria personalitate fuit assumpta , humanitas est violenta in Verbo. Respondeo ad replicam negando maiorem:cuius probatio vim non haberet,si cum Ill. Godoy diceremus : quod in humanitate Christi , terminata subsistentia Verbi,non datur appetitus innatus ad propriam personalitatem , vt habet

Respondetur.

tom. 2. in 1. part. disput. 45. num. 101. Cæterum nos, qui cum communi Theologorum sententia oppositum contra ipsum defendimus, concesso antecedente probationis, negamus consequentiam, cuius negationis duplex potest esse ratio.

119 *1. Ratio solutionis.* Prima est: quia illa carentia propriæ personalitatis provenit à personalitate Verbi, quæ est forma, quæ non minus perfectè, imo perfectius, quam propria personalitas, actu, & formaliter præstat effectum, quem illa præstaret. Hæc ratio explicari valet exemplo materiæ primæ, quæ licèt appetitu innato appetat formam, qua caret, non est in actu violento, si semel informata est aliqua forma, etsi minus perfecta, quam forma, qua caret: potiori ergo ratione in humanitate Christi, vtpotè, perfectiori forma subsistens.

120 Et iuxta hanc rationem potest dici, quod humanitas in Verbo, etsi propria carens personalitate, nullo modo est violenta, adhuc secundum quid; quia quamvis sit certum, pati violentiam naturam, quæ caret perfectione sibi naturaliter debita, si alias non ponatur ibi alia forma præstans eundem effectum; (& fortè propter hoc gustus, & tactus Beatorum patientur aliquam violentiam *secundum quid*; quia eorum actus semper erunt impediti) tamen, quando carentia provenit à forma, quæ tribuit eundem effectum, quem præstaret illa alia forma, cuius in subiecto est carentia, nullo modo arguitur violentia, adhuc *secundum quid*, sed ad summum potest argui innaturalitas, seu præternaturalitas; hoc est, quod forma illa, seu personalitas Verbi, non petitur naturaliter, seu ad illam non inclinabatur humanitas. Quod est verum.

121 *2. Ratio.* Secunda ratio negationis est: nam licèt dici posset, humanitatem Christi in Verbo esse violentam secundum appetitum innatum, non tamen secundum appetitum elicitum, secundum quem vult, quod melius est, vt est, esse in Verbo, & cum ille appetitus perfectior sit, quam innatus, dicendum est, quod simpliciter humanitas non est violenta, licèt possit dici esse violenta *secundum quid*; sicut si homo nollens præcipitaretur, talis motus diceretur simpliciter, & absolutè violentus homini, quia esset contra appetitum elicitum hominis, & dicitur secundum quid naturalis, quia est iuxta naturalem eius gravitatem, quomodo loquendi vtitur Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 14. litt. K.* loquens de gravitate corporis glorioſi, *& in 2. dist. 29. litt. C.* loquens de effectibus iustitiæ originalis.

122 *Arguitur 2.* Arguitur secundò specialiter: stat, naturam creatam, propria personalitate retenta, personari ab alia: ergo stat, naturam creatam, propria personalitate retenta, assumi ad subsistentiam Divinam. Probatur antecedens: stat, naturam creatam, affectam propria mensura, mensurari aliena: ergo similiter: stat, naturam creatam, propria personalitate retenta, personari ab alia. Antecedens claret in homine, & Angelo, affectis proprijs mensuris, scilicet, tempore, & ævo, quibus retentis, mensurantur æternitate; illi enim coexistunt. Consequentia paritate videtur certa.

Respondeo 1. Respondeo primò: argumentum probare de facto, vt constat ex ipso.

Secundò. Secundò respondeo negando consequentiam. Disparitas est: nam mensurari duplici mensura, est idem fundamentum habere plures relationes, quod est possibile; at duplici subsistere subsistentia, est idem adæquatè dependere à pluribus, quod repugnat.

Et hæc de ista disputatione.

******

DISPVTATIO VIGESIMA.

An hæc propositio: *Deus assumpsit hominem*, in rigore, & proprietate sermonis sit vera?

§. I.

Necessaria ad intelligentiam difficultatis supponuntur.

Num. 1

SVb terminis alijs hæc solet proponi difficultas: an, scilicet, hæc propositio: *homo factus est Deus*, sit vera in rigore, & proprietate sermonis? Pro quo supponendum est primò: quod hæc propositio: *Deus factus est homo*, est vera in rigore, & proprietate sermonis, vt fatentur omnes, nam D. Thomas 3. *part. quæst.* 16. *artic.* 6. hoc habet expræsè his verbis: *Respondeo dicendum, quod vnum quodque dicitur esse factum illud, quod de novo incipit prædicari de ipso. Esse autem hominem verè prædicatur de Deo, sicut dictum est, ita tamen, quod non convenit Deo esse hominem ab æterno; sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ. Et ideò hæc est vera: Deus factus est homo.*

Suppono 1.

Probat D. Thomas.

Deindè eam clarissimè docuit Scotus *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 2. & vniformitèr ad rationem D. Thomæ eam declarat, scilicet, quod factio, quam prædicat secundum adiacens, significat factionem simplicitèr, vt si dicat quis, *homo factus est*, significat, quod homo simplicitèr, & absolutè factus est; si verò prædicat tertium adiacens, non significat factionem simplicitèr, sed solum significat factionem secundum illud, quod specificatur per tertium adiacens, vt si quis dicat, *homo factus est albus*, non significat hominem esse factum simplicitèr, sivè acquirere esse simplicitèr, sed esse factum album, & acquirere esse album tantùm.

2 *Probat Scotus.*

Ex quibus infertur, quod sicut verè dicitur, illud fieri, quod accipit esse simplicitèr, post non esse simplicitèr per actionem alicuius agentis, ita etiã verè dicitur, illud fieri tale, vt puta A. quod per actionem alicuius efficientis recipit esse A. & prius non erat A. & hoc totum probatur; quia factio passiva dicit tantum duo, scilicet, habitudinem rei factæ ad faciens, & ordinem ipsius rei factæ ad non esse præcedens eiusdem rei, illud non passivè fit, quod prius non erat, & deindè est per operationem facientis, quod ergò per actionem alicuius facientis fit aliquid, quod prius non erat, verè, & simpliciter fit illud. Atqui per actionem Trinitatis, Deus fit homo, & Deus prius non erat homo: ergo verè, & simpliciter Deus fit homo; ideoquè vera est ista propositio simpliciter: *Deus factus est homo.*

3 *Probat vterque ex Scriptura.*

Deniquè vterque Doctor, Angelicus, nempè, & Subtilis, veritatem propositionis prædictæ vniformitèr probant ex Scriptura; nam explicitè in Evangelio habetur: *& Verbum caro factum est*, vbi per *carnem* intelligitur homo. Item in symbolo Nizæno traditur: *& homo factus est*. Deindè: sicut Athanasius dicit in Epistola ad Epictetum, quod dixit: *Verbum caro factum est*; simile est, ac si diceretur: *quod homo factus est*, vt ait D. Thomas *citat.* quem in hoc omnes sui secuntur, sicut Scotistæ Scotum, cæterique vtriquè Doctori adhærent, vtpotè, veritas fidè catholica stabilita.

4 *Argues in oppositum.*

Argues contra prædictam suppositionem: si prædicta propositio esset vera in rigore sermonis, Deus esset mutatus; sed hoc est falsum: ergo propositio prædicta, scilicet, *Deus factus est homo*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis. Respondeo negando sequelam; quia solum humanitas mutatur, & hoc sufficit, vt saltim factione quadam secundum dici; & extrinseca denominatione verè; & propriè dicatur, *Deus factus est homo*, sicut verè, & propriè paries denominatur dexter à dexteritate existente in animali. Solutio est Scoti *citati.*

Respondeo:

5 *Dices.*

Dices: per nos natura humana fuit mutata: ergo saltim per communicationem Idiomatum hæc erit vera: *Verbum est mutatum.* Respondeo primò

Respondeo 1.

ne-

negando consequentiam; quia mutatio non dicitur de humanitate in concreto, sed in abstracto, & ea, quæ de humanitate solum in concreto dicuntur, verè prædicantur de Deo; non verò quæ in abstracto. Respondeo secundo, aliam rationem assignando falsitatis consequentiæ; quia per communicationem Idiomatum solùm dicuntur de Deo, quæ secuntur vnionē; non verò quæ exprimunt vnionem, vel quæ conducunt ratione viæ ad vnionem; alioquin sicut dicitur: natura Divina assumpsit humanam, diceretur per communicationem: natura Divina assumpsit naturam Divinam, quod est omninò falsum. Hæc secunda solutio est Scoti *citat.*

Respondeo 2.

6 *Instabis.* Instabis: ergo Deus non dicetur genitus, nec conceptus ex Virgine per communicationem. Probatur consequentia: generatio est prior natura vnione, & est veluti via ad vnionem; sed per nos per communicationem solum dicuntur de Deo, quæ secuntur vnionem, non verò quæ exprimunt vnionem, vel quæ conducunt ratione viæ ad vnionem: ergo Deus non dicetur genitus, nec conceptus ex Virgine per communicationem. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam, ad probationem nego maiorem quoad secundam partē; quia quod est via ad vnionem, cessat adveniente vnione; at generatio non cessat, sed semper est generatio, adhuc post vnionem, quomodo intelligenda est minor, sicque nego consequentiam. Vel clariùs respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem nego maiorē quoad secundam partem; quia generatio nō est via ad vnionem, sed ad humanitatem, & non loquimur de his, quæ præcedunt, & sunt viæ ad productionem humanitatis, sed de his, quæ sunt viæ ad vnionem.

7 *Replicabis.* Replicabis: Deus per nos dicitur genitus: ergo mutatus. Probatur consequentia: generatio est species mutationis; sed per nos Deus dicitur genitus: ergo mutatus. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam, ad probationem nego maiorem; quia generatio, & mutatio formaliter distinguntur; nam generatio denominat terminum ad quem, scilicet, genitum; mutatio verò subiectum, vt in generatione substantiali materiam primam, & in hoc misterio humanitatem.

Hinc clarè deducitur: Deum dici genitum; quia cum generatio denominet genitum, qui in hoc misterio est homo, & Deo conveniant ea, quæ homini conveniunt, optimè dicitur Deus genitus. At cum mutatio denominet subiectum, quod in hoc misterio est humanitas, & quæ conveniunt humanitati in abstracto, non prædicantur de Deo, ideò licèt humanitas mutetur, mutatio non prædicatur de Deo. Manet ergo firma prædicta suppositio, scilicèt, quod hæc propositio: *Deus factus est homo*, est vera in rigore, & proprietate sermonis. Pro investiganda verò veritate alterius propositionis, nempè, *homo factus est Deus*, de qua est difficultas.

8

9 *Suppono 2.* Suppono secundo: Hanc propositionem: *Homo factus est Deus*, aliquomodo esse veram, & modo aliquo posse dici, *Verbum assumpsit hominem*, quod citra controversiam est, nec videtur, posse ab aliquo negari, cum in Patribus, & Concilijs passim habeatur, in quo convenit Ill. Godoy *n.* 1. Vndè aliquomodo veritate illius propositionis suppositā, in dubium vertitur, an in rigore, & proprietate sermonis sit vera? Cuius difficultas in eo tantū consistit, an scilicèt, in hac propositione: *Homo factus est Deus*, seu *Verbum assumpsit hominem*, ly *homo* supponat pro persona; an verò pro natura singulari? Si primum, falsa erit propositio. Si secundum, vera erit. Et quia hæc est tota difficultas.

10 *Suppono 3.* Suppono tertio: Quod licèt regulariter loquendo subiectum propositionis; quando est concretum, significet subiectum, vel suppositum, & cōnotet formam; potest tamen determinari à prædicato, vt supponat pro individuo naturæ. Hoc claret in his propositionibus: *Hoc album est disgregativum visus*; *calidum est terminus calefactionis*; *calidum est accidens.* Vbi subiecta ita à prædicatis determinantur, vt ly *album* supponat pro individuo albedinis, seu pro hac albedine; & ly *calidum* pro hoc calore, seu pro forma caloris.

11 Similiter ergo in præsenti; nam licèt homo, quando est subiectum propositionis, regulariter supponat pro persona, poterit tamen à prædicato determinari, vt supponat pro individuo naturæ, vt contingit in prædicta propositione: *Homo factus est Deus*, in

qua

qua non prędicatur Deus absolutè de homine, sed factio ipsa passiva prædicatur de illo, consequentèrque ab ipsa factione determinatur, vt supponat pro individuo humano, quod fuit subiectum propriũ vnionis. Et ratio est; nam in tantum *homo* in prædicta propositione supponeret pro supposito, in quantum ad veritatem illius præexigeretur vnio hypostatica; sed ad veritatẽ illius propositionis non præexigitur vnio hypostatica: ergo homo in prędicta propositione non supponit pro supposito. Probatur minor: vnio hypostatica explicatur per ipsam propositionem, vt ex ipsa claret: *Homo factus est Deus*: ergo ad veritatem illius propositionis non præexigitur vnio hypostatica.

12 *Suppono 4.* Suppono quartò: quod factio in propositione de secundo adiacente significat factionem simplicitèr, vt in hac: *Homo factus est*, in qua significatur, hominem simplicitèr fieri. At factio in propositione de tertio adiacenti non significat factionem simplicitèr, sed solum secundum illud, quod specificatur per tertium adiacens, vt in hac: *Homo factus est albus*, in qua nõ significatur, hominem esse factum simplicitèr, sed factum esse album, seu adquirere esse album, quod etiam constat ex dictis *num.* 2.

13 *Suppono 5.* Suppono quintò: quod factio in propositione de tertio adiacenti non significat conversionem subiecti in prædicatum, sed solum subiectum acquirere vnionem cum prædicato adiacenti, vt claret in propositione allata: *Homo factus est albus*, in qua non est sensus, quod homo conversus sit in albedinem, sed quod sibi vnita sit albedo per factionem alicuius agentis. Ita paritèr in præsenti: in hac propositione: *Homo factus est Deus*, non est sensus, quod homo conversus sit in Deitatem, sed quod sibi vnita est Deitas per factionem alicuius agentis. Quibus suppositis. Sit.

§. II.

Relatis sententijs, vera eligitur, & authoritate probatur.

14 *1. Sentẽcia D. Thom. Ill. Godoy.* DVæ in hac difficultate versantur sententiæ. Prima est negativa, quam cum D. Thoma tenet Ill. Godoy *num.* 5. citans pro ipsa, nõ solum illos, qui hanc sententiam tuentur, quod facit *num. cit.* verum etiam ad eam reducit omnes, qui pro opposita referuntur, quod facit *num.* 3. & 4. Sed mihi mirum est, quod inter tot Doctores, quos pro vtraque citat sententia, mentionem de Doctore Subtili non faciat, imo nec de Scotistis, quos ad manus habuit, nempè, Fabro, Rada, & Felice, aliquam faciat mentionem; sed (nisallor) rationem inveni, & est, quod Scotistę prędicti cum Magistro hanc difficultatem non disputant terminis, quibus illam disputat Ill. Godoy, sed sub alijs, scilicet, an hæc propositio: *Homo factus est Deus*, sit vera in rigore sermonis? Si ergo hoc vidisset Ill. Godoy, absque dubio credo, non dixisse: suam sententiam esse omnium Scholasticorum, cum tam apertè falsum sit, vt constabit ex relatione Doctorum, oppositam opinionem tuentium.

15 *2. Sentent. Mag. Sent. Scotus. Faber. Rada. Felix. Gabriel. Alexander Alensis. Lud. Viv. Ioannes Martinez. Vvadingo.* Secunda sententia tenet: istam propositionem: *Homo factus est Deus*, seu *Verbum assumpsit hominem*, esse veram in rigore, & proprietate sermonis. Ita Magister Sententiarum *in* 3. *dist.* 5. §. 4. dicens: *Quare non accepit personam hominis, cum hominem accepit.* Cum Magistro stat Scotus *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 2. quem expræssè secuti sunt Faber *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 2. *disput.* 18. Rada 3. *part. controvers.* 8. *artic.* 5. *concluf.* 2. Franciscus Felix *de Incarnation. cap.* 21. *diffic.* 3. Gabriel à Fabro citatus. Item hanc opinionem tenent Alexander Alensis 3. *part. quæst.* 6. *memb.* 1. Ludovicus Vives *in lib.* 9. *August. de Civitat. Dei.* Doctor Ioannes Martinez Complutensis Primarius *in lib. de Generatione, & corruptione, pag.* 307. *lin.* 3. vbi docet: Verbum Dei, nedum humanitatem, sed etiam hominem assumpsisse, & hoc propriè, & in rigore sermonis esse tenendum. Et hanc opinionem tenet expræssè Vvadingo *disput.* 4. *de Incarnatione.* En Authores pro affirmativa sententia, & quando omnes præter Scotũ deficerent, Scotus solus sufficit pro caterva omniũ, quos pro negativa citat Ill. Godoy.

16 *Statuitur conclusio, & authoritatibus probatur.* Quæ sententia à nobis pro conclusione statuitur, & probatur primò: nam dicta propositione: *Verbum Dei assumpsit hominem*, vtuntur Ecclesia, Concilia, & Patres: ergo asserendum est, esse verã in proprietate sermonis. Consequentia tenet; non enim absurdum aliquod sequitur ex eo, quod propriè accipiatur; sed verba Ecclesię,

Conciliorum, & Patrum ſunt in rigore accipienda, quando ex riguroſa acceptione nullum inconveniens ſequitur: ergo dicta propoſitio Eccleſiæ, Concilijs, & Patribus familiaris, eſt in rigore, & proprietate accipienda. Antecedens conſtat; nam Eccleſia quotidie canit in Hymno *Te Deum laudamus. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.* Id ipſum canendum iubet *Fer. 2. in Paſsione. Fer. 3. in 1. lectione. Fer. 6. in Paraſceve. lect. 4. In Aſcenſione Domini. Fer. 6. lect. 4. Inf. octavam Aſcenſionis. Fer. 3. lect. 4.* & paſſim *alibi* eadem, vel æquivalens habetur locutio. Eadem propoſitio habetur in Concilio Toletano 1. *in Confeſſione fidei*, ibi: *Credimus Filium Dei ex vtero Virginis aſſumpſiſſe hominem.* In Tolet. 6. *cap.* 1. In Tolet. 11. *in Conf. ſſ. fidei.* In Concilio Francofordienſi *in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, confirmata ab Alexandro Papa in Concilio Romano ſub Felice Papa, *formula fidei*, Petro Patriarchæ Antiochię miſſa, in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa 1. hęc Athanaſij verba contra Appolinarem referuntur, & laudantur: *Divinitas ergo Filij eſt, quæ ponit, & accipit animam hominis; quem induta eſt; perfectum enim hominem aſſumpſit.* In Concil. Alexandrino *Epiſt. ad Neſtorium* 10. Inter Epiſtolas Cyrilli *anathematiſmo* 8. *& in Epiſt.* ad Clerum, & Populum Conſtantinopolitanum 11. Inter Epiſtolas Cyrilli, ac demum in Epheſino, & Calcedonenſi Concilio.

Hymn. Eccleſiæ. *Concil. Toletan.* *Concilium Francof.* *Concilium Roman.* *Conc. Lat.* *Athanaſ.* *Concilium Alexand.* *Concilium Epheſin. & Calcedon.*

Ex Patribus etiam Auguſtinus illam docuit *cap. 3. de Gratia novi teſtamenti. lib. 83. Quæſtionum. quæſt. 37. lib. 2. contra Maximinum. cap. 11.* Item *ſuper Pſalm. 63. verſ. 2. lib. 9. de Civitat. Dei. cap. 17. tract. 28. in Ioanne de Agone Chriſtiano, cap. 11. & 18.* Imò oppoſitum aſſerentes damnaſſe *in expoſitione ſymboli*, docet Magiſter Sentent. *in 3. diſt. 5. §. 6.* his verbis: *Si quis dixerit, atque crediderit, hominem Ieſum-Chriſtum à Filio Dei aſſumptum non fuiſſe, anathema ſit.* Quibus verbis, non ſolum docet Auguſtinus, Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed etiam vt certum diffinit. Id ipſum docuerunt Boetius *lib. de Duabus naturis.* Ambroſius *in Hymno Te Deum laudamus.* Leo Magnus *in Epiſt. ad Iulianum, in ſerm. 4. de Epiph. & 2. de Aſcenſione.* S. Maximus *Homil. 2. de Pentecoſtès circa medium, & Homil. 1. de Epiphania.* Euſtatius Epiſcopus Antiochenus. Euſebius Epiſcopus Paleſtinenſis. Athanaſius Alexandrinus *contra Arrianos.* Hilarius *lib. 11. de Trinitate.* Fulgentius *lib. 3. ad Traſimundū, cap. 12. & 13.* Ildephonſus *de Virginitate Mariæ, cap. 6.* Cyrilus Alexandrinus 10. *Theſauri, cap. 4.* Damaſcenus *lib. 3. fidei, cap. 20.* illis verbis: *Hominem totum, atque omnia, quæ natura fert, ſuſcepit Deus Verbū, peccato dumtaxat excepto.* Petrus Criſologus *ſerm. 143.* ibi: *Ipſe hominem mulieris reſumpſit ex vtero.* Rupertus *in cap. 1. Ioannis*, dicens: *Totum hominem aſſumpſit.* Bernandus *ſerm. 2. Pentecoſt.*

Boetius. *Ambroſ.* *Leo Mag.* *S. Maxim.* *Euſtatius.* *Euſebius.* *Athanaſ.* *Hilar.* *Fulgent.* *Ildephonſ.* *Cyrill.* *Damaſcen.* *Chriſol.* *Rupert.* *Bernard.*

Ac denique Anſelmus *lib. de Incarn. cap. 4. litt. C. & D. circa finem, & cap. 5.* obiectioni à ſe factæ, quod, nempè, ex dicta propoſitione videretur in Chriſto duas conſtitui perſonas, quod eſt Hæreſis Neſtoriana, reſpondet negādo conſecutionem, & rationē reddit, his verbis: *Nām cūm profertur homo, natura tantum, quæ communis eſt omnibus hominibus, ſignificatur: cū verò demonſtrativè dicimus, hunc, vel illum hominem, vel proprio nomine Ieſum, perſonam deſignamus, quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis ſit ſingulus, & ab alijs ſingulis diſtinguitur.* Vbi Anſelmus non ſolùm docet prædictam propoſitionem, ſed etiam rationem Theologicam reddit; quia nomen *homo* ſolam naturam ſignificat, & ſimul conſequentiā ſupra abIlli. Godoy factam ex Angelico Doctore, qua intulit, quod ſi aſſumpſit hominem, ſequitur, aſſumpſiſſe hunc, vel illum hominē, negat ob rationē aſsignatā, nempè, *homo*, naturā tantū ſignificat; *hic* autē, vel *ille homo*, perſonā deſignat.

S. Anſelm.

His PP. & alijs innumeris, qui prædictā docuere propoſitionē, fundamētū dedit Paulus *ad Hæbr. 2. verſ. 16.* vbi Dei in homines præ Angelis in hoc miſterio miſericordiā prædicans, ait: *Nuſquā Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehēdit.* Quibus verbis poſſibilitatē apprehenſionis, hoc eſt, vnionis hypoſtaticę naturę Angelicę cum Deo, nomine cōcreto Angeli rectè explicari ſupponit; ac proindè illis verbis: *Sed ſemē Abrahæ apprehēdit*, quibus explicat factū miſterium, homines, ſeu hominē, etiam in concreto intelligit.

Fundamēt. PP. ſumitur ex Paulo ad Hæbreos 2.

Ad hanc probationem ex tot authoritatibus deſumptam reſpondet Cardinalis Lugo *diſput. 13. ſect. 2. num. 15.* antiquos Patres dicta propoſitione vtentes, propriè fuiſſe locutos; quia

17

Solutio Cardinal. Lug.

no-

nomē *homo* tunc temporis indifferens erat ad significandum naturam humanam in abstracto, & in concreto, eo, quod vox *humanitas*, quæ modò iuxta omnes Theologos naturam in abstracto significat, tunc in hac significatione vsurpata non erat, sed eruditionē significabat: vndè sicut si nunc Verbum aquę naturā assumeret, propriè diceretur, assumpsisse aquam, eo, quod non habemus duo nomina diversa, quibus naturā aquæ in abstracto, & in concreto significemus, sed nomine aquæ naturam vtroque modo acceptā significamus; ita, & ob eandē causam prædicta propositio: *Verbū Dei assumpsit hominē*, antiquis temporibus fuit vera in rigore sermonis, quia nomine *homo*, natura humana in concreto, & in abstracto significabatur. Nunc autem, quia duo nomina sunt invēta ad significandam naturam humanam in concreto, & in abstracto, videlicet, *homo*, & *humanitas*, non potest dicta propositio in proprietate vsurpari. Sicut olim vna hypostasis in Deo concedebatur, quia vox hæc indifferens erat ad significandam naturam, & subsistentiā; postea verò, quia ex vsu, & consensu fideliū applicata est vox *hypostasis* ad solam subsistentiam, vel suppositum significandum, non licet iam dicere, esse in Deo vnam hypostasim. Cui solutioni adherere ex Thomistis Zipullus, & Prudentius, & ex PP. Societatis Bernal *disp. allegat. n.* 14.

18 *Hæc solutio displicet Ill. Godoy.*

Hæc solutio displicet Ill. God, eamque meritò reijcit *num.* 42: nā vox *humanitas*, passim vsurpata pro abstracto humanitatis, etiam illis temporibus invenitur: ergo si nunc, quia diversis nominibus natura humana in abstracto, & in concreto significatur, non est vera dicta propositio in proprietate sermonis, nec etiā antiquis tēporibus fuit cum proprietate vera. Consequētia tenet ex Cardinalis doctrina. Antecedens constat ex Cyprian. *serm. de Nativit. column.* 5. illis verbis: *Humanitatis participatione frater noster fieri voluit.* Ex Concil. Tolet. 6. *Can.* 1. ibi: *Solus tamen Filius susceptt humanitatem in singularitate personæ.* Ex Cyril. *in epist. ad Nestorium*, relata in Concil. Ephesin. & Calcedon. *act.* 1. illis verbis: *Sed quoniā propter nos, & propter nostram salutem vniens sibi secundum subsistentiam humanitatē processit ex fœmina, propterea dicitur secundum carnem natus.* Ac deniquè alijs omissis ex Damascen. *lib.* 3. *Fidei, cap.* 4. vbi ait: *Illud itaquè animadvertendum est, quod divinitatis, atque humanitatis vox essentias, seu naturas indicat; at Dei, & hominis vocabulum; tùm de naturis vsurpatur, quemadmodum dicimus, Deus est substantia captum omnem superans, & vnus est Deus: tùm etiam de personis*: ergo antiquis illis temporibus diversa erāt nomina, quibus natura in abstracto, & in cōcreto significaretur.

19 *Respondet Ill. Godoy.*

Quare prætermissa hac solutione ad argumentum respondet Ill. Godoy *num.* 43. concessō antecedenti, negādo consequentiam. Ecclesia namquè, PP. & Concilia, cū docent: *Verbum assumpsisse hominem*, non sunt propriè, sed impropriè accipienda, idest, assumpsisse humanitatem, sumendo concretum pro abstracto, quæ est impropria, & methaphorica locutio iuxta figuram synedochen, accipiendo totum pro parte; vel quia assumptio terminata est ad hoc, vt Filius Dei esset homo. Iuxta quam intelligentiā non sumitur homo per modum extremi assumpti, de cuius ratione est, assumptioni præsupponi, sed per modū termini effecti per assumptionem, quæ etiam non est propria, sed impropria locutio; nam Verbum assumere propriè non explicat effectionē, sed terminationē vnius ad esse alterius; & ideò in rigore acceptum non dicitur de termino effecto, sed de extremo alteri vnito, & ad esse illius assumpto. Ita D. Thom. *in præsenti art.* 3. *ad* 1. vbi ait: *Quod huiusmodi locutiones: Verbum Dei assumpsit hominem, Deus hominem suscepit, &c. Non sunt tanquam propriæ extendendæ, sed piè sunt exponendæ aliquo ex prædictis modis, vbicumque à Sacris Doctoribus ponuntur.* Cuius solutionē tenent Theologi communitèr. Ratio autem cur non sunt in rigore accipiendę, constat ex dictis: tùm, quia alibi in Sacris Concilijs oppositum invenitur. Tùm etiā, quia ex propria acceptione magnum inconveniens sequitur, nempè, Verbum assumpsisse personam, quod est Nestoriana hæresis.

20 *Impugnatur hæc solutio 1.*

Hæc tamen solutio impugnatur primò: nam licèt, cum PP. semel, aut iterum aliqua vtuntur propositione, possint in sensu improprio explicari; non tamen cum passim, & ex professo illa vtuntur, sed vt vidimus, prædicta propositione passim Ecclesiæ Patres vtuntur: ergo non est in methaphori-

co, & improprio sensu accipienda.

21 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.*47. negando maiorem; cum enim idem inconveniens sequitur; sivè semel, sivè pluries propositio apud Patres habeatur, est eodē modo explicanda. Quod autem ex dicta propositione accepta in rigore sermonis inconvenientia sequantur, constat ex dictis; ac proindè non sic vsurpanda est, quamvis totiès à Patribus repetatur.

22 *Contra, & est replica ad hominem contra Ill. Godoy.*

Hæc responsio, quæ consistit in negatione maioris, reijcienda est, & reiecta manebit, probando maiorem prædictam. Probatur itaque maior ad hominem contra Ill. Godoy: ipse namquè *tom. antecedenti, disp.*10. vt ex Patribus probet conclusionem ab ipso ibi statutam, scilicet, personam Christi esse verè, & propriè compositam, hæc habet *num.*4. *Deindè probatur ex Patribus, qui absolutè Christum compositum docent.* Ita Dionisius *cap.*3. *de Ecclesiastica hierarchia, part.*3. *circa finem*, ibi: *Ad compositum, atque visibilem sine mutatione sui per summam clementiam, benignitatemque processit.* Damascenus *lib.*3. *Fidei, cap.*3. 4. *&* 5. *Athanasius Oratione, quod vnus sit Christus.* Petrus Diaconus *de Incarnatione, & Gratia, cap.*3. Bernardus *serm.*2. *in Cantic.* ad illa verba: *Osculetur me osculo oris sui, vbi sic habet: Attendite; fit os osculans Verbum assumens, osculatum caro, quæ assumitur; osculum verò, quod pariter ab osculante, & osculato conficitur persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Id ipsum docent, & eodem modo locuntur alij Patres frequentèr, quos lato calamo refert Vincentius vbi suprà pag.*881. *Sed ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiant, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est: Christum esse vera, & propria compositione compositum.* Sic ad litterā Ill. God. Infero nunc contra ipsum: ergo licèt, cum PP. semel, & iterū aliqua vtuntur propositione, possint in sensu improprio explicari; non tamen cū passim, & ex professo illa vtuntur. Hæc est replica, vi cuius necessario tenetur Ill. Godoy, vnum ex duobus concedere, scilicèt, vel quod responsio illius nulla est; vel quod nulla est ratio, qua ex PP probat: personam Christi esse verè, & propriè compositā; quorū quodlibet est contra ipsum, & vtrumq̄ declarat; Ill. God. parū consequentèr procedere

Impugnatur secundò solutio principalis Ill. Godoy: nam Concilia vtuntur prædicta propositione, cū ex professo contra Nestoriū diffiniunt, Verbum, non personā, sed naturā, assumpsisse; sed non videtur conveniens, vti improprijs locutionibus, cum ex professo agitur de rebus fidei statuendis: ergo non in sensu improprio, sed in rigore, & cum proprietate locuntur.

23 *Impugn.* 2. *solutio Ill. Godoy.*

Respondet Ill. God. *n.*47. negando minorē: cum enim quod directè à Concilijs diffinitur, rectè explicatur, nō est incōveniens, locutione vti methaphorica. Quod autē Concilia, & PP. contra Nestoriū tradebant, nempè, in Christo non esse duas personas, affectu solo, & accidentali nexu coniunctas, rectè illa propositione explicatur, accipiendo per synedochē cōcretū pro abstracto; & ideò inconveniens non est, vti prædicta propositione, quamvis vera in rigurosa terminorū acceptione nō sit

Respondet Ill. Godoy.

Sed contra: Hæc responsio arma præbet Hæreticis adversus fidem catholicā: ergo non est subsistenda. Probatur antecedens: hæc responsio concedit, inconveniens non esse, Concilia vti improprijs locutionibus, cum ex professo agitur de rebus fidei statuendis; sed hoc est arma Hęreticis prębere adversus fidem catholicam: ergo responsio Ill. Godoy arma prębet Hęreticis adversus fidem catholicā. Probatur minor: nam quando ex Concilijs contra Hæreticos arguimus: Verbū assumpsisse verā humanitatē, possunt Hęretici respondere, Concilia vti improprijs locutionibus, sicque verā humanitatē non assumpsisse. Item: asserere valent: in Christo esse duas personas, quia ad Concilia asserentia, Verbum assumpsisse humanitatē, respondere possunt, Concilia vti improprijs locutionibus, accipiendo abstractum pro concreto: ergo concedere, inconveniēs nō esse, Cōcilia vti improprijs locutionibus, cū ex professo agitur de rebus fidei statuendis, est arma Hæreticis præbere adversus fidē catholicā.

24 *Contra.*

Impugnatur tertiò solutio Ill. Godoy: nam in Concilio Lateranensi sub Martino Primo, *consult.*5. *Can.*7. quinque Concilia generalia, in quibus ipsum Lateranense, Calcedonense, & Ephesinum numerantur, eorumque dogmata ad apices vsque tenenda, credendaque diffinitur; at in his Concilijs dicta propositio cōtinetur: ergo

25 *Impugn.* 3. *solutio Ill. Godoy.*

est

est cum proprietate tenenda, aliàs non vsque ad apices dogma illud crederetur. Respondet Ill. Godoy *num.* 47: declarationem illam Concilij Lateranensis intelligi de illis quinque Concilijs, & de illorum dogmatibus quoad ea, quæ directè intendebant diffinire; non autem quoad alia. Certum autē est, illorum intentionem non fuisse diffinire, Verbum assumpsisse hominem in proprietate sermonis, sed in Christo duas personas non esse, vt Nestorius, & sequaces docebant; ac proindè non infertur, prædictam propositionem esse in rigore accipiendā.

Respondet Ill. Godoy.

26 *Contra, & est replica ad hominē contra Ill. Godoy.*

Contra, & est argumentum ad hominem in Ill. Godoy: licèt intentio illorum Conciliorum non sit diffinire, Verbum assumpsisse hominem in proprietate sermonis; in illis tamen Concilijs hæc propositio refertur, scilicet, *Verbum assumpsit hominem*: ergo talis propositio cum proprietate est accipienda: ergo vera est in rigore, & proprietate sermonis: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Antecedens constat ex dictis *num.* 16. illudque fatetur Ill. Godoy. Tertia, & secunda consequentia ex prima inferūtur. Prima autem probatur: licèt intentio illorum Conciliorum non sit diffinire, personam Christi esse compositam verè, & propriè, quia tamen in illis refertur, *personam Christi esse compositam*, affirmat Ill. Godoy, quod hæc propositio cum proprietate est accipienda: ergo licèt intentio illorum Conciliorum non sit diffinire, Verbum assumpsisse hominem in proprietate sermonis, quia tamen in illis Concilijs hæc propositio refertur, scilicet, *Verbum assumpsisse hominem*, talis propositio cum proprietate est accipienda. Consequentia evidens apparet à paritate rationis. Antecedens verò quoad primam partem est manifestum; alioquim de fide esset: Christum esse personam compositam propria, & riguroſa compositione, quod iuxta omnes est falsum, & vt tale cognovit Ill. Godoy.

27 *Antecedēs quoad 2. p. probatur ex ipso Ill. Godoy.*

Quoad secundam autem partem antecedentis frustra est, me in illius probatione fatigare, quando illud probat ipse Ill. Godoy *tom. antec. disp.* 10. *num.* 3. vbi ad probandum, personā Christi esse verè, & propriè compositam, hæc habet: *Ostenditur primò ex quinta Synodo Generali act.* 8. *Can.* 4. illis verbis: *Cum enim multis modis vnitas intelligatur, aliqui, qui impietatem Apolinaris, & Eutychetis secuntur interemptionem eorum, quæ convenerunt colentes vnitionem secundum confusionem prædicant; Theodori autem, & Nestorij sequaces divisione gaudentes affectualē vnitatem introducunt. Et post relatum vtrumque extremum errorem sic habet: Sancta verò Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem eijciens vnitionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam; vnitio enim per compositionem in misterio Christi, non solum inconfusa, ea, quæ convenerunt, conservat, sed nec divisionem suscipit. Referuntur hæc verba in Concil. Lateranen. sub Martino Primo, consult.* 4. *Quod etiam habetur Can.* 7. *& in eodem Concil. quintæ Synodi Canones confirmantur; sed verba ista cum proprietate sunt accipienda, vt constat ex allegato Concil. consult.* 5. *cap.* 17. *vbi damnantur, qui ea, quæ de Christo in his Concilijs sunt diffinita, negant, propriè, & secundum veritatem dicta esse: ergo Christus verè, & propriè est persona composita.* Sic ad litteram Ill. Godoy, qui ad litteram probat secundam partem nostri antecedentis.

28 *Impugn. 4. solutio Ill. Godoy.*

Impugnatur quartò allata solutio: nam si illa propositio, scilicet, *Verbum assumpsit hominem*, esset in rigore falsa, illius contradictoria, scilicet, *Verbum non assumpsit hominem*, esset in rigore vera; atqui hoc non potest defendi: ergo illa propositio: *Verbum assumpsit hominem*, est in rigore vera: ruit ergo solutio. Minor probatur: nam asserentes aliquam propositionem veram in rigore sermonis, non possunt, nisi iniustè damnari; sed Augustinus verbis ex Magistro Sententiarum relatis sub *num.* 16. anathemate damnat eum, qui dixerit: hominem à Verbo non fuisse assumptum; ergo hæc propositio: *Verbum non assumpsit hominem*, non est vera in rigore sermonis.

29 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 48. concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem concessa maiori, distinguit minorem; & simul explicat Augustinum: damnat eum, qui dixerit, hominem assumptū à Verbo non fuisse in rigore, & proprietate sermonis negat minorem; in eo sensu methaphorico, quo ab ipso vsurpabatur concedit minorem, & negat consequentiam; nam solum damnat oppositum asserentes in eodem sensu, in

quo accipit propositionem affirmativam, videlicet, Verbum assumpsisse hominem, vel hominē fuisse assumptum à Verbo; hanc autem propositionem non docet Augustinus in rigore, & proprietate, sed in sensu methaphorico, accipiendo concretum pro abstracto, hominem, pro humanitate. Vndè solum damnat oppositum in hoc sensu asserentes, nempè, eos, qui asseruerint, hominem assumptum nō fuisse, accipiendo concretum pro abstracto, quod solum docent, qui negāt, fuisse humanitatem à Divino Verbo assùmptam in singularitatē personæ. Et quidem damnat Augustinus eum, qui asseruerit, hominem Iesum-Christum à Verbo assumptum non fuisse, quin ex hoc inferatur, damnare eos, qui negaverint hanc propositionem: *Verbum assumpsit hominem Iesum*, esse veram in rigore, cum omnes Theologi negent proprietatem prędictę propositionis: ergo ex eo, quod Augustinus sub anathemate damnet eum, qui asseruerit, hominem assumptum non fuisse à Verbo, non sequitur damnare negantes proprietatem istius propositionis: *Verbum Dei assumpsit hominem*, sed tantum illos, qui negant, fuisse humanitatem assumptam in vnitatem personæ.

30 *Contra 1. ad homi-nem contra Ill. Godoy.*

Sed licèt hæc responsio reiecta maneat per dicta *num.* 22. 24. 26. & 27. vbi ad hominem contra Ill. God. probavimus, prædictam propositionem, nempè, *Verbum assumpsit hominem*, accipiendam esse cum proprietate; vltra hæc tamen de nobo contra ipsum ex ipsius doctrina reijcienda est multiplicitèr. Vndè contra primò: D. Augustinus absolutè affimat, quod Verbum assumpsit hominem, & absolutè damnat eum, qui dixerit, hominem à Verbo non fuisse assumptum: ergo falsa est absolutè hæc propositio: *Verbum non assumpsit hominem.* Probatur consequentia: cum absoluta Augustini affirmatione non benè componitur aliqua negatio; sed D. Augustin. absolutè affirmat, quod Verbum assumpsit hominem, & damnat absolutè eum, qui dixerit, hominem à Verbo non fuisse assumptum: ergo absolutè est falsa dicta propositio. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: cum absoluta negatione Augustini non verè componitur aliqua affirmatio: ergo paritèr. Consequentia est notoria; nam eodem modo affirmatio opponitur negationi, quo negatio opponitur affirmationi. Antecedens autem est Ill. Godoy *tom. anteced. disput. 8. num.* 13. hac ratione cum Basquio impugnantis nostram doctrinam de Christo venturo, Adamo non peccante, vt legenti apparebit.

Contra secundò: ista propositio: *Verbum assumpsit hominem*, contradictoriè opponitur huic: *Verbū non assumpsit hominem*; sed primam expræssè tradit Augustin. *loco citat.* & damnat secundam, quam docet sententia Ill. Godoy: ergo sententia illius est contradictoriè opposita menti Augustini. Hic syllogismus (suppositā veritate præmissarum, etiam ab Ill. Godoy confessa) est ad hominem cōtra ipsum, qui *tom. & disput. cit. num.* 14. sic reijcit nostram doctrinam de Christo venturo Adamo non peccante: *ista propositio: Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset; contradictoriè opponitur huic: Etiam si non haberet caro salvari, Verbum Dei aliquomodo caro factum esset; sed primam expræssè tradit Hirinæus loco citat; secundam autem docet contrariorum sententia; nam assumere carnem impassibilem, est aliquomodo carnem fieri: ergo sententia contraria est contradictoriè oppositā menti Hirinæi.*

31 *Contra 2. etiam ad hominem.*

Declaratur efficacia huius impugnationis ad hominem contra Ill. Godoy factæ: nam si quia Hirinæus expræssè tradit hanc propositionem: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, quin expræssè damnet contradictoriam, scilicet: *Etiam si non haberet caro salvari, Verbū Dei aliquomodo caro factum esset*; infert Ill. Godoy, nostram sententiam de Christo venturo, Adamo non peccante, esse contradictoriè oppositam menti Hirinæi; quanto potiori iure, & ratione nos contra ipsum inferre debemus, illius sententiam de homine à Verbo non assumpto, esse contradictoriè oppositam menti Augustini, cum non solum expræssè tradat Augustin. hanc propositionem: *Verbum assumpsit hominem*; verum, & expræssè damnet contradictoriam, scilicet, *Verbum non assumpsit hominem*, quam in præsenti defendit Ill. Godoy.

32 *Efficatia impugnationis declaratur.*

Contra tertiò: si namquè propositio ab Augustin. tradita esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet, Verbum non as-

33 *Contra 3. etiam ad hominem.*

assumpsisse hominem: ergo nemo absque periculo, Augustino contradicendi, affirmare potest: Verbum non assumpsisse hominem. Hoc entimema est ad hominem contra Ill. Godoy, qui *tom. & disput. citat. num.* 16. sic reijcit nostram sententiam de Christo venturo, Adamo non peccante: *Si namque propositio ab Augustino, & alijs PP. tradita esset in Scriptura expressa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet, Verbum venturum, Adamo non peccante, etiam in carne passibili: ergo nemo absque periculo Patribus contradicendi affirmare potest, venturum Verbum etiam in carne passibili, Adamo non peccante, nec illius peccato existente.*

34 *Impugn. 5. solutio Ill. Godoy.*

Impugnatur quintò prædicta solutio Ill. Godoy: nam D. Thomas *in 3. dist. 6. quæst. 1. artic. 3. ad 4.* docet: *Propriè, & simpliciter hominem esse vnitum Deo*: ergo etiam propriè, & simpliciter homo est assumptus à Deo. Consequentia patet primò: non enim minus extremum vnitum actioni vnienti supponitur, quam extremũ assumptum supponitur assumptioni: ergo si non obstante, quod suppositum non supponatur, quia humanitas præsupponitur ad actionem vnitivam, dicitur propriè, & simpliciter, hominem esse vnitum Deo; pariter: non obstante, quod suppositum humanum non supponantur ad actionem assumptivam, quia humanitas præsupponitur, diceretur propriè, & simpliciter, hominem esse assumptum à Deo. Secundò: nam si homo in propria acceptione non supponeret pro natura, sed solum pro supposito habente naturam, non posset propriè dici, homo est vnitus Deo, cum hæc propositio: *Suppositum humanæ naturæ est vnitum Deo*, sit falsa; sed iuxta D. Thom. propriè dicitur homo vnitus Deo: ergo homo non solum pro supposito habente naturam, sed etiam pro natura humana propriè supponit; sed eo ipso, quo ly *homo* propriè pro natura supponat, propriè dicitur, Verbum assumpsisse hominem: ergo ex eo, quod propriè dicatur, hominem esse vnitum Deo, vt asserit D. Thom, recta illatione colligitur, propriè, & simpliciter dici, Verbum assumpsisse hominem.

35 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *numer.* 52: vnitum in facto esse, dicere partem, vel extremum, quod vnitur, scilicet, humanam naturam, & id, in quo fit vnio, scilicet, vnum suppositum; & quia totum hoc importatur per ly *homo*, ideò propriè dicitur homo vnitus Filio Dei, id est, vnus cum ipso, sumpto *vnito* in facto esse; non autem propriè dicitur, homo vnitur Dei Verbo; quia in hac propositione solum importatur pars, vel extremum vnitum, quod ad vnionem debet supponi; non autem homo ad vnionem præsupponitur, & eadem ratione non dicitur propriè, homo est assumptus, vel assumitur à Verbo, quia Verbum *assumo*, dicit ordinem ad extremum assumptum, assumptionique præsuppositum; homo autem non supponitur assumptioni, sed efficitur per illã. Et quidem D. Thom. in eadem *quæstione art.* 2. docuerat, non esse propriè dictum, Verbum Dei assumpsit hominem: ergo cum *loco allegato* docet, propriè dici vnitum Verbo, sentit, nõ esse eandem rationẽ de vtraque propositione; aliàs sibi apertè contradiceret; & consequentèr, quamvis possent Recentiores vti prælata obiectione ad redarguendum D. Thom. inconsequentiæ in doctrina, non tamen ad convincendum, oppositæ sententiæ favere. Sed nec primum argumento facto convinci, constat ex discrimine assignato, & ex illo ad vtramque consequentię probationẽ constat solutio.

36 *Hæc respõsio impugnabitur num. 59.*

Cæterum quidquid sit de mente D. Thomæ, de qua in præsenti non curamus, hęc est responsio, quam ad rationes Scoti tribuunt communitèr Thomistę, scilicet, quod ad factionem passivam requiritur præsuppositio subiecti, non tantum natura, sed tempore; cum ergo homo, de quo prædicatur Deus, tempore non præsupponatur ad assumptionem, non dicitur propriè, homo est assumptus à Verbo. Quam responsionem infrà reijciemus, dum inter probandam nostram conclusionem Scoti rationibus, hanc Thomistarum responsionem declaremus.

37 *Impugn. 6. solutio Ill. Godoy.*

Impugnatur sextò præ allata solutio: nam si dicta propositio solũ esset vera in sensu methaphorico, & improprio, absolutè prolata esset falsa: consequens admittendum non est: ergo necessario est asserendum, esse in sensu proprio veram. Consequentia tenet. Minor constans videtur; nam asserere, Ecclesiam, Concilia, & Patres, absolutè aliquam propositionem ita

fre-

frequentèr proferre, quæ absolutè prolata sit falsa, maximum inconveniens apparet: ergo id asserendum nō est. Sequela verò probatur: nam termini absolutè prolati sumuntur in propria acceptione, imo, vt communiter docetur à logicis, & Dialecticis: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*: ergo si homo solum accipitur propriè pro supposito habente naturam, hæc propositio: *Verbum Dei assumpsit hominem*, absolutè sumpta enuntiat, Verbum assumpsisse suppositum, & consequentèr absolutè sumpta est falsa.

38 *Respondēt aliqui.* Respondent aliqui negando sequelam, & ad probationem concesso antecedenti, negant consequentiam; nā in propositione hac: *Verbum Dei assumpsit hominem*, non profertur homo absolutè, sed cum addito extrahente terminum *homo* à propria ad impropriam significationem; nam dicta propositio idem valet, ac ista: *Verbum Dei fuit assumens hominem*, in qua ly *homo*, non sumitur absolutè, sed cum modificatione assumptionis; & quia hæc repugnat supposito, & solum potest convenire naturæ, per illam extrahitur à propria significatione, qua accipitur pro supposito, ad impropriam pro natura; & ideò est vera propositio absolutè prolata, quia homo non profertur in illa absolutè. Sicut hæc propositio: *Vicit Leo de Tribu Iudà*, absolutè dicta est vera, quia quamvis terminus *Leo* absolutè prolatus non stet pro Christo, qui tantum methaphoricè est Leo, sed pro vero Leone: at in dicta propositione non profertur Leo absolutè, sed cum addito *de Tribu Iudà*, per quod extrahitur à propria ad impropriam suppositionem.

39 *Contra.* Hanc responsionem reijcit Ill. Godoy *num.* 54. & ego cum ipso: nam ex illa sequitur, istam propositionem: *Verbum non assumpsit hominem*, esse falsam absolutè, consequens admitti nequit ab authoribus contrariæ sententiæ: ergo tradita solutio nequit in illorum opinione sustineri. Minor constat: nam omnes oppositæ sententiæ authores docent: propositionem negativam, vt absolutè veram. Sequela autem probatur manifestè ex lege contradictionis, de cuius essentia est, vt si affirmativa est vera, negativa cōtradictoriè opposita sit falsa, quia simul veræ, nec simul falsæ esse possunt propositiones contradictoriæ: ergo si affirmativa est vera absolutè, contradictoria negativa erit absolutè falsa; at istæ duæ propositiones: *Verbum Dei assumpsit hominem*. *Verbum Dei non assumpsit hominem*, opponuntur contradictoriè: ergo si affirmativa est vera absolutè prolata, negativa absolutè dicta est falsa.

Vt hoc inconveniens vitarent Cardinalis Lugo, & Bernal, asserebant, fuisse antiquis temporibus nedum veram, sed etiam propriam prædictam propositionem: vndè Patres non docuerunt propositionem, quæ absolutè sumpta esset falsa. Cęterum prętercquam quod illorum doctrinam ex principio falso procedere, *suprà* monstravimus, adhuc prædicta evasione inconveniens non vitatur. Nam propositio ista: *Verbum Dei assumpsit hominem*, non solum olim fuit apud Patres in vsu, sed quotidie canitur ab Ecclesia in Canticis, Orationibus, & Lectionibus: ergo si modò absolutè dicta est falsa, vtitur Ecclesia modò propositione, modò falsa absolutè, quod non minus inconveniens est, quam quod olim Ecclesiæ Patres propositione absolutè falsa vsos fuisse, dicatur.

40 *Respondēt alij.*

Contra.

Quare respondet Ill. Godoy *num.* 56. concedendo sequelam, & negando minorem; cum enim vna ex his propositionibus: *Verbum assumpsit hominē*. *Verbum non assumpsit hominem*, debeat esse falsa absolutè, & negativa communi Scholasticorum consensu sit vera, & aliàs in PP. & Concilijs habeatur, asserendum est, affirmativam esse falsam absolutè. Nec sequitur, Patres, & Ecclesiam toties hac propositione vtendo, falsum proferre; nam licèt verbis illam absolutè proferant; semper tamen subintelligunt nomine hominis naturam humanam; vndè semper dicunt verum, sicut, vt inquit Anselmus *lib. de Incarnation. Verbi, cap. 5. in fine*, verum est dicere, homo, & Deus sunt vna persona in Christo, quia nomine Dei subauditur Verbum, & nomine hominis subauditur Filius Virginis.

41 *Respondet Ill. Godoy.*

Sed certè magis, quam vtraque præcedens, displicet hæc responsio Ill. Godoy, & nunc videtur dicere, quod incidit in Scylam cupiens vitare Caribdim, quod apparebit ex sequentibus replicis ad hominē contra ipsum.

42 *Contra 1. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Contrà primò: Inconveniens est, quod

pro-

propositio non semel,aut iterum,sed sæpè à Concilijs,Patribus, & Ecclesia absolutè pronuntiata,sit absolutè falsa: ergo ruit solutio Ill Godoy. Probatur antecedens primò,inconveniēs est, quod propositio non semel, aut iterum, sed sæpè à Concilijs,& Patribus absolutè pronuntiata, non sit cū proprietate accipienda : ergo inconveniens est, quod propositio non semel,aut iterum, sed sæpè à Concilijs, Patribus,&Ecclesia absolutè pronuntiata,sit absolutè falsa. Consequentia est paritate evidens. Antecedens verò est Ill.Godoy *tom.antecedent.disput.*10. *num.*3.*&* 4.

43 *Contra* 2. Probatur secundò antecedens, & contra secundò:inconveniēs est,quod propositio negativa absoluta, semel, aut iterum ab Augustin.pronuntiata, sit absolutè falsa : ergo inconveniens est, quod propositio non semel, aut iterum,sed sæpè à Concilijs, & Patribus absolutè pronuntiata, non sit cū proprietate accipienda.Consequentia est paritate notoria,imò &certior antecedente ; nam si est inconveniens, quod propositio negativa absoluta semel , aut iterum ab Augustin.pronuntiata, sit absolutè falsa, maius inconveniens est, quod propositio non semel, aut iterum , sed sæpè à Concilijs,Patribus,& Ecclesia absolutè pronuntiata , sit absolutè falsa, vt ex ipsis terminis patet. Vndè tota difficultas devoluitur ad antecedens. Antecedēs autem est Ill.Godoy *tom. præced. disp.* 8.*num.*13. vbi cum propositione absoluta negativa, quam semel, aut iterum protulit D.Augustin. de Christo non venturo , Adamo non peccante, nullam affirmativam componit, ex eo, quod falsa esset Augustini locutio absoluta,vt vidimus *num.*30:ergo inconveniens est, quod propositio negativa absoluta, semel, aut iterum ab Augustino pronuntiata, sit absolutè falsa.

44 *Contra* 3. Probatur tertiò idem antecedens, & contra tertiò : inconveniens est, quod semel Hirinæus expræsè tradat hanc propositionem : *Si non haberet caro salvari , nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, & quod hæc propositio sit absolutè falsa : ergo inconveniens est,quod propositio non semel, aut iterum , sed sæpè à Concilijs, & Patribus absolutè pronuntiata , non sit cum proprietate accipienda. Consequētia est à paritate manifesta,imò, & magis certa , quam antecedens ob rationem proximè datam Antecedēs autem est Ill.Godoy *tom.& disput.cit. num.*14. deducentis pro inconvenienti,quod sententia asserens,propositionem contradictoriè oppositam,nempè : *Etiam si non haberet caro salvari, Verbum Dei aliquomodo caro factum esset* , contradictoriè opponeretur menti Hirinæi.

45 *Contra* 4. Probatur quartò dictum antecedens,& contra quartò: si non esset inconveniens , quod propositio non semel,aut iterum, sed sæpè à Concilijs, & Patribus absolutè pronuntiata,non sit cum proprietate accipienda , falsa absolutè est ratio, qua D.Thomàs, & cum ipsoIll.Godoy,probat,Christum non venturum, Adamo non peccante;sed hoc nullatenùs fateri potest Ill. Godoy:ergo idem quod antea. Probatur maior : ratio D.Thomæ , qua Ill.Godoy probat,Christum non venturum,Adamo non peccante,est hęc: *Decretum Incarnationis , cum sit suprà debitum , & exigentiam naturæ, non nisi per revelationem nobis innotescere potest;ea enim,quæ suprà naturā sunt,non aliter,quam per Dei revelationem possunt cognosci; sed quotiescumque in Scriptura Sacra de huiusmodi decreto fit mentio, cum peccato Adami semper connectitur, & cum redemptione ab illo : ergo ex vi decreti , quod Deus de facto circa Incarnationem habuit,Verbum carnem non assumeret,Adamo non peccante.* Atqui, si inconveniens est, quod propositio nō semel, aut iterum, sed sæpè à Concilijs,& Patribus absolutè pronuntiata, non sit cum proprietate accipienda, falsa absolutè erit , quod decretum Incarnationis cum peccato Adami semper connectatur: ergo si non esset inconveniens , quod propositio non semel , aut iterum, sed sæpè à Concilijs,& Patribus absolutè pronuntiata, non sit cum proprietate accipienda, falsa absolutè est ratio , qua D. Thomàs, cum quo, & Ill. Godoy probat, Christum non venturum , Adamo non peccante.

46 *Declaratur efficatia replicæ.* Declaratur efficatia,quam contra Ill.Godoy habet hæc replica : nam ex eo , quod vna ex his contradictorijs: *Verbum assumpsit hominem. Verbum non assumpsit hominem,* debeat esse absolutè falsa , & negativa in Patribus , & Concilijs habeatur , infert Ill.Godoy

in ſolutione, quod affirmativa eſt abſolutè falſa: ergo cum vna ex his contradictorijs: *Verbum carnem aſſumeret, Adamo non peccante. Verbum carnem non aſſumeret, Adamo non peccante*, debeat eſſe falſa abſolutè, & affirmativa in Patribus, & Concilijs habetur, vt proprio loco declaravimus, negativa erit abſolutè falſa, quod eſt contra ipſum.

47 *Vrgetur.* Confirmatur, & vrgetur: ex eo, quod vna ex his contradictorijs: *Verbum aſſumpſit hominem. Verbum non aſſumpſit hominem*, debeat eſſe abſolutè falſa, & negativa in Patribus, & Concilijs habeatur, infert Ill. Godoy in ſolutione, quod affirmativa eſt abſolutè falſa: ergo ex eo, quod vna ex his contradictorijs: *Verbum aſſumpſit hominem. Verbum non aſſumpſit hominem* debeat eſſe abſolutè falſa, & affirmativa non ſemel, aut iterum, ſed ſæpè in Concilijs, Patribus, & Eccleſia inveniatur, negativa erit abſolutè falſa, & conſequenter eadem omninò ratione, qua probat Ill. Godoy, propoſitionem affirmativam eſſe abſolutè falſam, probatur, falſam eſſe abſolutè propoſitionem negativam.

48 *Dices 1. cũ doctrina Ill. Godoy.* Dices tamen primò cum doctrina Ill. Godoy *num.* 56: eſſe magnam diſparitatem: nam hæc propoſitio: *Verbum non aſſumpſit hominem*, eſt communis Scholaſticorum conſenſus; at hęc: *Verbum carnem aſſumeret, Adamo non peccante*, & ſi ſit communis Scotiſtarũ conſenſus; ſtat tamen contra ipſam D. Thomas. Cæterum in hac diſparitate falſum ſupponit Ill. Godoy: ſupponit namquè; quod hæc propoſitio: *Verbum non aſſumpſit hominem*, ſit communis Scholaſticorum conſenſus; ſtat namquè Scotus contra ipſam, vt diximus *num.* 15. & ſicut, vt hæc propoſitio: *Verbum carnem aſſumeret, Adamo non peccante*, non ſit communis Scholaſticorum ſententia, ſufficit, quod contra ipſam ſtet Doctor Angelicus; vt hæc propoſitio: *Verbum non aſſumpſit hominem*, non ſit communis ſententia Scholaſticorum, ſufficit, vt contra ipſam ſtet Magiſter Subtilis, quod modeſtia Ill. Godoy non negavit, vt negare noluit *tom.* 3. *in* 1. *part. diſp.* 8.

Hæc doctrina falſum ſupponit.

49 *Dices 2. cũ doctrina eiuſdem.* Dices ſecundò cum doctrina ipſius *num. citat*: quod licèt hæc propoſitio: *Verbum aſſumpſit hominem*, ſit abſolutè falſa, non ſequitur, Concilia, PP. & Eccleſiam, toties hac propoſitione vtendo, falſum proferre; nam licèt verbis illam abſolutè proferant, ſemper tamen ſubintelligunt nomine *hominis* naturam humanam; vndè ſemper dicunt verum; ſicut, vt inquit Anſelmus *lib. de Incarnation. Verbi, cap.* 5. *in fine*, verum eſt dicere: homo, & Deus ſunt vna perſona in Chriſto, quia nomine Dei ſubauditur Verbum, & nomine hominis ſubauditur Filius Virginis.

50 *Hanc doctrinam eſſe contra Ill. Godoy, oſtẽditur 1.* Sed verum ingenuè fatendo, hæc doctrina Ill. Godoy eſt manifeſtè contra ipſum, ex ipſa namquè plura inferre poteram adverſus illum; hæc tamen ſufficiant. Primò: ergo licèt hæc propoſitio: *Perſona Chriſti eſt compoſita*, ſit abſolutè falſa, non ſequitur, Concilia, & Patres, hac propoſitione vtendo, falſum proferre. Probatur conſequentia: nam licèt verbis illam abſolutè proferant, ſemper tamen ſubintelligunt nomine *compoſitionis*, compoſitionem admirabilem, & ineffabilem: ergo, &c. Probatur antecedens: licèt Concilia, & Patres hanc propoſitionem: *Verbum aſſumpſit hominem*, verbis abſolutè proferant, ſemper tamen ſubintelligunt nomine *hominis*, naturam humanam: ergo licèt Concilia, & Patres hanc propoſitionem: *Perſona Chriſti eſt compoſita*, verbis abſolutè proferant, ſemper tamen ſubintelligunt nomine *compoſitionis*, compoſitionem admirabilem, & ineffabilem.

51 *Infero 2.* Infero ſecundò: ergo licèt hęc propoſitio: *Verbum carnem non aſſumeret, Adamo non peccante*, ſit abſolutè falſa, non ſequitur, Scripturam, & Patres, toties hac propoſitione vtendo, falſum proferre. Probatur conſequentia: nam licèt verbis illam abſolutè proferant, ſemper tamen ſubintelligunt nomine *carnem*, carnem paſsibilem: ergo, &c. Hoc antecedens probatur, ſicut probatum manet antecedens poſitum *num. antecedent.* *Infero 3.* Infero tertiò: ergo licèt hæc propoſitio: *Merita Chriſti ſunt ſimpliciter infinita*, ſit abſolutè falſa, non ſequitur, Pontificem, hac propoſitione vtendo, falſum proferre. Probatur conſequentia: nam licèt verbis illam abſolutè proferat, ſemper tamen ſubintelligitur nomine *ſimpliciter infinita*, infinitatem ordinis, & regulativam: ergo, &c. Antecedens probatur ſicut, & ſuprà poſitum.

Om-

52 *Inconsequētiæ Ill.God. aperiūtur.*

Omnes istę illationes,& plures alię, quas omito,sunt contraIll.Godoy,vt est manifestum; vndè in tot videtur inconsequentias incidere, quot sunt replicæ contra illius solutionem factæ;quare, etsi verum esset, quod hæc propositio:*Verbum assumpsit hominem*, esset absolutè falsa, hoc defendere nō poterat Ill.Godoy,attentis illius doctrinis, quia ad nostram probationem ab authoritate pro veritate illius propositionis nihil respondet,nec respondere valet, quod non sit, incidere in contradictionem illorum,quę in alijs disputationibus, ab ipso pro viribus defenduntur, vt satis est manifestum ex dictis.

53 *Contra 5.*

Sed adhuc adversus responsionem Ill.Godoy contra quintò : inconveniens non est, quod propositio non semel, aut iterum, sed sæpè à Concilijs,Patribus,& Ecclesia absolutè pronuntiata, sit absolutè falsa : ergo possunt Hæretici fundamento ab Ill.Godoy sumpto, negare absolutè hanc propositionem de fide:*Verbum assumpsit humanitatē*,& consequentèr quamlibet aliam oppositam fidei. Antecedens est responsio Ill.Godoy. Consequentia probatur:fundamentum non habemus ad convincendos Hęreticos de veritate huius propositionis de fide : *Verbum assumpsit humanitatem*, nisi quod hæc propositio non semel, aut iterum,sed sæpè à Concilijs,Patribus, & Ecclesia absolutè pronuntiatur; atqui iuxta responsionemIll.Godoy inconveniens non est, quod propositio non semel,aut iterum,sed sæpè à Cōcilijs, Patribus, & Ecclesia absolutè pronuntiata, sit absolutè falsa : ergo possunt Hæretici absolutè negare hāc propositionem de fide:*Verbum assumpsit humanitatem*, & quamlibet aliam oppositam fidei. Hæc replica est mihi vrgens;convincit namquè,responsionem Ill. Godoy arma Hæreticis præbere contra nostram fidem catholicā, vt de solutione illius ad nostram probationem ostendimus etiam *num.* 24. & patet etiam ex eo, quod si inconveniens non est, quod propositio non semel, aut iterum, sed sæpè à Concilijs,Patribus,& Ecclesia absolutè pronuntiata, sit absolutè falsa, quæ propositio,quantumvis de fide, erit contra Hæreticos vera?

54 *Impugn. 7. solutio*

Per vcusquè dicta solutionem, quam tradit Ill. Godoy ad nostram probationē ab authoritate dessumptam, ad hominem contra ipsum reijcimus; restat tamen eam directè reijcere. Quarè impugnatur septimò:nā Augustin.& Damascen.eodem modo locuntur de hac propositione : *Homo factus est Deus*, ac de hac : *Deus factus est homo*; sed in secunda propositione non est impropria locutio : ergo nec in prima : ergo tradita solutio ruit. Maior patet: nam Augustin.1.*de Trinitat.cap.*13. hæc habet:*Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem fecerat,& hominem Deum.*Et Damascen.3. *de fide,cap.*11. sic alloquitur : *Et quod Deus homo factus est, & homo Deus,dictum est*, in quo vterque Doctor eodē modo de vtraque loquitur. Minor claret ex dictis *num.* 1. eamque tenet D.Thom. *ibi citat.* Consequentia est legitima simul cum subillata. Et per hoc repulsa manet responsio Thomistarum antiquiorum dicentium, quod ly *factus* intelligitur impersonalitèr,vt sensus sit:*Factum est,vt homo sit Deus*; nam si iuxta ipsos ly *factus* non intelligitur impersonalitèr in hac propositione: *Deus factus est homo*:ergo nec in hac : *Homo factus est Deus*; cum eodem modo de vtraque loquantur Augustin.& Damascen.

Ill. Godoy.

Solutio antiquiorum Thomistarum reijcitur.

Impugnatur deniquè:verba Conciliorum, Patrum, & Ecclesiæ cum proprietate sunt accipienda,si nullum sequitur inconveniens;sed nullum inconveniens sequitur ex hac propositione : *Verbum assumpsit hominem*, & à Concilijs,Patribus,& Ecclesia profertur : ergo cum proprietate est accipienda : ergo ruit solutio Ill.Godoy. Minor, in qua tantum est difficultas, patebit ex solutione argumentorum. Omitto aliàs impugnationes; quia contra ipsam stant sequentes rationes.

Impugnat. deniquè.

§. III.

Rationibus Theologicis nostra sententia suadetur.

55 *Ratione Theologica probatur nostra conclusio 2.*

PRobatur secundò conclusio hac ratione Theologica : illud simplicitèr enuntiatur tale, quod per actionem alicuius agentis fit tale, & prius non erat tale; sed homo per actionem Trinitatis fit Deus, & prius non erat Deus: ergo verè,& simplicitèr enunciatur : *Homo factus est Deus.* Consequentia est legitima. Maior patet; nam vt paries dicatur albus,sufficit,quod per actionem alicuius agen-

tis fiat albus, cum antea non esset albus. Minor claret per idem; nam per actionem Trinitatis facta est vnio in homine, cuius terminus est Deus, sicut in pariete, cum fit albus, fit vnio in pariete, cuius terminus est albus; atqui per istam vnionem paries fit albus, & antea non erat albus: ergo per illam homo fit Deus, & antea non erat Deus.

56 *Alia ratione Theologica probatur 3. conclusio.*

Probatur tertiò alia ratione Theologica ad hominem contra Thomistas: hæc propositio: *Deus factus est homo*, est vera in rigore sermonis: ergo & hæc: *Homo factus est Deus*: ergo etiã ista: *Verbum assumpsit hominem*, est vera in rigore sermonis. Hęc consequentia patet: nam vt diximus *num.* 1. idem est inquirire: an hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, sit vera in rigore sermonis, ac hæc: *Homo factus est Deus*. Antecedens conceditur à Thomistis, vt declaratum est *num.* 1. *cum sequentibus*. Consequentia probatur primò: ideò prima propositio est vera in rigore sermonis, quia per actionem Trinitatis Deus factus est homo, cum prius talis non esset; sed per istam actionem Trinitatis homo factus est Deus, cum prius talis non esset: ergo hæc propositio: *Homo factus est Deus*, est vera in rigore sermonis. Probatur minor: in homine est factio passiva in ordine ad faciens, & in ordine ad esse post non esse: ergo per actionem Trinitatis homo factus est Deus, cum prius talis non esset. Antecedens claret; nam prius homo non erat vnitus Deo, & per actionem Trinitatis vnitur. Consequentia infertur.

Cõsequẽtia probat. 1.

57 *Probat. 2.*

Probatur secundò prædicta consequentia: ideò prima propositio est vera, quia per vnionem verum est, quod Deus factus sit homo; sed vnio est relatio mutua: ergo propter eandem vnionem verum est, quod homo factus sit Deus. Nota tamen, quòd hæc relatio est realis in humanitate, & in Verbo est solum rationis. Probatur tertiò eadem consequentia: ideò prima propositio est vera, quia in illa concurrunt omnia, quæ ad factionem de tertio adiacente requiruntur, scilicet: ordo Deitatis ad Trinitatem efficientem vnionem hypostaticam; ordo eiusdem Deitatis, vt prioris ad ipsam vnionem, & terminus factionis; atqui hæc omnia concurrunt in secunda propositione, vt attendenti patebit: ergo hæc propositio: *Homo factus est Deus*, est vera in rigore sermonis. Probatur quartò dicta consequentia: hæc propositio: *Deus factus est homo*, convertitur in istam: *Homo factus est Deus*; sed à conversa ad convertentem bona est consequentia: ergo si prima est vera in rigore sermonis; ita debet esse vera secunda.

Probat. 3.

Probat. 4.

58 *Respondet Ill. Godoy.*

Has Scoti rationes non adducit Ill. Godoy; ad illa verò (quarta excepta de qua postea) potest respondere, quod dictum habet *num.* 52. quod, vt diximus *num.* 36. est, quod Thomistæ communitèr respõdent, scilicet, quod ad factionem passivam requiritur præsuppositio subiecti, non tantum natura, sed tempore: cũ ergo homo, de quo prædicatur Deus, tempore non præsupponatur ad assumptionem, non dicitur propriè, *homo est assumptus à Verbo*.

59 *Reijcitur responsio Ill. Godoy.*

Hæc tamen solutio Ill. Godoy reijcitur: ad factionem passivam de tertio adiacente non requiritur, quod subiectum tempore præcedat; sed hęc propositio: *Homo est assumptus à Verbo*, est de tertio adiacente: ergo ad factionem passivam huius propositionis nõ requiritur, quod subiectum tempore præcedat, & consequentèr est nulla solutio Ill. Godoy. Consequentia est legitima. Minor patet ex dictis *numer.* 12. & 13. Maior verò, in qua est tota difficultas, probatur validissimis exẽplis, & primò sic: hæc propositio, quæ est de tertio adiacente: *Corpus nunc factum est animatum*, est vera; sed nec anima, nec corpus præcedunt tempore animationem; cum in eodem instanti, in quo perfectè organizatur corpus, creetur anima, & corpus reddat animatum: ergo ad factionem passivam de tertio adiacente non requiritur, quod subiectum tempore præcedat. Secundò: si homo fuisset ab æterno factus, factus fuisset cum his, vel illis accidentibus, nam factus fuisset magnus, vel parvus, albus, vel niger, ex quibus fierent propositiones de tertio adiacente, & verę; sed in hoc casu nulla fuisset temporis præcesio hominis ad hos terminos: ergo idem quod antea. Tertiò: omnes istæ propositiones: *Tempus incipit esse dies*: *Petrus incipit esse homo*: *Homo factus est in animam viventem*, sunt propositiones de tertio adiacente, & veræ; sed tempus non præcesit diem, nec Petrus

Probatur maior exemplis. Primum.

Secundum.

Tertium.

ho-

hominem, nec homo animam: ergo idem quod prius.

60 *Respondet alij.* Propter hoc respondent alij: quod ad factionem passivam requiritur nobitas termini, ideſt, quod terminus sit nobiter factus, quod in præsenti non contingit; alioquin Deus esset nobiter factus, quod est Hæreticum. Sed licet hæc solutio vera sit de factione passiva de secundo adiacente; falsa tamen est de factione passiva de tertio adiacente, vt cōstat vtrumque ex dictis *num.* 12. Vltrà quod falsitas responsionis ostenditur: ad factionem passivam de tertio adiacente non requiritur nobitas termini: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: si calor existeret separatus, & postea vniretur aquæ, verè, & propriè diceretur: aqua facta est calida; nam verè, & propriè recipiret calorem ab agente; sed tunc non esset nobitas termini: ergo ad factionem passivam de tertio adiacente non requiritur nobitas termini. Deindè: quia hoc dato, esset in præsenti nobitas termini; iste autem est vnio, non verò Deus, qui solus est terminus vnionis: ergo non obest solutio ad veritatem nostræ conclusionis.

Refellitur.

61 *Respondet ad 4. probat. 1.* Ad quartam probationem respondent primò: quod *Homo factus est Deus* non est convertens illius propositionis: *Deus factus est homo*, sed ista: *Is, qui factus est homo, est Deus*. Contra primo: conversio est transmutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum; sed homo, qui est prædicatum in conversa non est subiectum in ista: *Is, qui factus est homo, est Deus*: ergo hæc non est convertens: ergo ruit data solutio. Contra secundo: hæc propositio: *Is, qui factus est homo, est Deus*; facit hunc sensum: *Deus, qui factus est homo, est Deus*; sed in hac propositione subiectum, & prædicatum est Deus: ergo non est convertens illius propositionis: *Deus factus est homo*. Consequentia claret ob rationem datam. Contra tertiò: hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, convertitur in istam: *Homo assumptus est à Verbo*: ergo hęc propositio: *Deus factus est homo*, convertitur in istam: *Homo factus est Deus*. Antecedens patet; nam conversio est transmutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum; sed *Verbum*, quod est subiectum propositionis conversæ, est prædicatum in propositione convertente; & *homo*, qui est prædicatum in conversa, est subiectum in convertente: ergo verum est antecedens. Consequentia probatur: ideò hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, convertitur in istam: *Homo assumptus est à Verbo*, quia in his propositionibus est transmutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum; sed in his propositionibus: *Deus factus est homo. Homo factus est Deus*, est transmutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum: ergo hæc propositio: *Deus factus est homo*, convertitur in istam: *Homo factus est Deus*. Maior, & consequentia tenent. Minor verò est manifesta: nam *Deus*, qui est subiectum in propositione conversa, est prædicatum in convertente, & *homo*, qui in conversa est prædicatum, est in convertente subiectum.

Contra 1.

Contra 2.

Contra 3.

62 *Dices.* Dices: ista conversio: *Paries factus est albus: ergo album factum est paries*, non valet: ergo eius convertens est: *Quod est factum album, est paries*. Respondeo negando consequentiam; quia eius convertens est prima propositio, quæ si non est vera, est: quia paries fit accidentaliter albus, & vt valeat consequentia in conversis, requiritur, quod sint propositiones per se, & substantiales; per quod disparitas patet.

Respondetur.

63 *Respondet 2. ad 4. probat.* Respondent secundò: illam simplicem conversionem non valere; quia mutatur suppositio terminorum; nam in prima *homo* supponit pro individuo naturæ humanæ; in secunda verò pro persona, quod est fundamentum contrariorum. Hanc responsionem tribuet Ill. Godoy absquè dubio, quia est doctrina, in qua fundatur, ad oppositam sententiam tuendam. Vndè si hanc doctrinam reijcimus, tota doctrina Ill. Godoy, & omnium adversariorum reiecta manebit. Ad reijciendam itaquè prædictam doctrinam.

64 *Probat. 4. conclus. destruēdo fundamentum Ill. Godoy, & solutioni occurritur.* Probatur quartò conclusio, destruendo præcipuum Ill. Godoy, & omnium adversariorum fundamentum, simulque occurritur solutioni: in hac propositione: *Homo factus est Deus*, ly *homo* non supponit pro persona: ergo ruit responsio, & fundamentum Ill. Godoy, omniumque simul adversariorum. Probatur antecedens: in hac propositione: *Homo factus est Deus*, ly *homo* supponit pro

Antecedēs probat. 1.

individuo naturæ: ergo non ſupponit pro perſona. Probatur antecedens primò: licèt regulariter loquendo ſubiectum propoſitionis, quando eſt concretum, ſupponat pro ſubiecto, vel ſuppoſito, poteſt tamen determinari à prædicato, vt ſupponat pro individuo naturæ; ſed hoc ſtante *homo* in prædicta propoſitione ſupponet pro individuo naturæ: ergo in propoſitione hac: *Homo factus eſt Deus*, ly *homo* ſupponit pro individuo naturæ. Conſequentia eſt legitima. Minor certa: nam ſemel ſtatuto, quod ſubiectum propoſitionis, quod regulariter ſupponit pro ſuppoſito, poſsit à prædicato determinari, vt ſupponat pro individuo naturæ, poteſt homo, qui eſt ſubiectum illius propoſitionis, determinari à prædicato, vt ſupponat pro individuo naturæ, in quo, ſuppoſita maiori, nulla apparet ratio in oppoſitum, imò, & quod ita ſit, probatum reliquimus *num.* 11. & ex dicendis conſtabit. Reſtat ergo in maiori difficultas.

65 *Maior probat. 1. ad hominē contra Ill. God.*

Maior autem probatur primò ad hominem contra Ill. Godoy: nam prædicata trahunt aliquando ſubiecta ad ſtandum pro aliquo, pro quo de ſe termini non ſupponunt: ergo licèt ſubiectum propoſitionis, quando eſt concretum, non ſupponat ex terminis illius pro individuo naturæ, poteſt à prædicato aliquando trahi, ad ſupponendum pro illo: ergo licèt regulariter loquendo ſubiectum propoſitionis, quando eſt concretum, ſupponat pro ſubiecto, vel ſuppoſito, poteſt tamen determinari à prædicato, vt ſupponat pro individuo naturæ. Hæc ſecunda conſequentia infertur ex prima. Prima ex antecedenti. Antecedens autem eſt Ill. Godoy *num.* 26. illudque ad litteram tradit iuxta communem Dialecticorum doctrinam, & iuxta commune axioma, quo dicitur: *Talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*, & deniquè rationem aſsignat, nempè, quia prædicatum in propoſitione ſe habet vt forma; ſubiectum verò vt materia. Quod nihil clariùs pro veritate antecedentis, & nihil contra ipſum efficatiùs.

66 *Probat. 2. exemplis.*

Probatur ſecundò dicta maior exemplis: nam in his propoſitionibus: *Hoc album eſt diſcretivum viſus: Calidum eſt terminus calefactionis: Calidum eſt accidens*, ſubiecta ita à prædicatis determinantur, vt ly *album* ſupponat pro individuo albedinis, ſeu pro hac albedine; & ly *calidum* pro hoc calore, ſeu pro forma caloris: ergo licèt regulariter loquendo, ſubiectum propoſitionis, quando eſt concretum, ſupponat pro ſubiecto, vel ſuppoſito, poteſt tamen determinari à prædicato, vt ſupponat pro individuo naturæ.

67 *Probat. 3.*

Probatur tertiò eadem maior: licèt regulariter loquendo ſubiectum propoſitionis, quando eſt concretum, ſupponat pro ſubiecto, vel ſuppoſito, poteſt determinari à prædicato, vt pro ſuppoſito non ſupponat: ergo, &c. Probatur antecedens: licèt regulariter loquendo, ſubiectum propoſitionis, quando eſt concretum, ſupponat pro ſuppoſito; ſi ſupponit ſuppoſitione ſimplici, ita reſtringitur à prædicato, vt non ſupponat pro ſuppoſito: ergo licèt regulariter loquendo ſubiectum propoſitionis quando eſt concretum, ſupponat pro ſubiecto, vel ſuppoſito, poteſt determinari à prædicato, vt pro ſuppoſito non ſupponat. Conſequentia legitima apparet. Antecedens verò claret in hac propoſitione: *Homo eſt ſpecies*, in qua *homo* non ſupponit pro ſuppoſito iuxta communem, & generalem omnium Dialecticorum doctrinam, ſuppoſitionem ſimplicem ſic diffinientium: ſuppoſitio ſimplex eſt illa: *In qua terminus, qui in propoſitione ſupponitur pro aliqua re, ita reſtringitur ab aliquo prædicato, vt ſolum poſsit ſubſtitui, ſeu ſubrrogari pro immediato ſignificato illius rei in dicta propoſitione*, exemplumque ponunt in propoſitione allata.

68 *Dices ex doctrina Ill. Godoy.*

Dices ex doctrina Ill. Godoy *num.* 25: eſſe diſparitatem inter has propoſitiones: *Homo eſt ſpecies: Homo factus eſt Deus*; nam in prima prædicatum eſt ſecundæ intentionis, quod non habet prædicatum ſecundæ. Diſparitatem fateor, ſed intentum non tollit, quod ſic oſtenditur: quod prædicatum huius propoſitionis: *Homo eſt ſpecies*, ſit ſecundæ intentionis: non verò prædicatum huius: *Homo factus eſt Deus*, non tollit, quod ſubiectum huius propoſitionis: *Homo factus eſt Deus*, reſtringatur ad non ſupponendum pro ſuppoſito, ſicut

Hoc effugium præcluditur.

reſ-

restringitur subiectum huius propositionis: *Homo est species*: ergo disparitas non tollit intentum. Probatur antecedens: quod prædicatum huius propositionis: *Homo est species*, sit secundæ intentionis; non verò prædicatum huius: *Homo factus est Deus*, non tollit, quod sicut de subiecto huius: *Homo est species*, non potest fieri descensus (id est, non potest affirmari de inferioribus per legitimam consequentiam id, quod affirmatur de superiori, nempè: *Homo est species: ergo Petrus est species: Paulus est species, &c.*) ita de subiecto huius propositionis: *Homo factus est Deus*, non possit fieri descensus, nempè: *Homo factus est Deus: ergo Petrus factus est Deus: Paulus factus est Deus, &c.* ergo verum est antecedens. Probatur consequentia: ideò de subiecto huius propositionis: *Homo est species*, non potest fieri descensus, quia restringitur ad non supponendum pro supposito; sed de subiecto huius propositionis: *Homo factus est Deus*, non potest fieri descensus: ergo quia restringitur ad non supponendum pro supposito: ergo tenet consequentia.

69 *Probat. 2. suprà positum antecedens.* Probatur secundò suprà positum antecedens: in hac propositione: *Homo factus est Deus*, est factio passiva: ergo debet habere aliquem terminum. Consequentia claret: quia hoc est de ratione omnis factionis, sed non Deus, vt patet, quia hic non fit, nec homo, vt constat ex *num.* 12: ergo talis terminus erit vnio inter Deum, & hominem; atqui vnio, vt est cum mutatione, non subiectatur in Deo: ergo in homine; tunc sic; sed non in homine, vt supponit pro persona, quia hæc non subiectat vnionem: ergo vt supponit pro individuo naturæ humanæ: ergo in hac propositione: *Homo factus est Deus*, supponit homo pro tali individuo: ergo in hac propositione: *Homo factus est Deus*, ly *homo* supponit pro individuo naturæ.

70 *Probat. 3.* Probatur tertiò dictum antecedens: nam vt suprà diximus, in tantum *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus*, supponeret pro persona, in quantum ad veritatem illius propositionis præexigeretur vnio hypostatica; sed ad veritatem illius propositionis non præexigitur vnio hypostatica: ergo *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus*, non supponit pro persona: ergo supponit pro individuo naturæ. Probatur minor: vnio hypostatica explicatur per ipsam propositionem, vt ex ipsa claret, scilicet: *Homo factus est Deus*: ergo ad veritatem istius propositionis non præexigitur vnio hypostatica. Probatur denique antecedens: datur catholica propositio, in qua *homo* non supponit pro persona, sed pro individuo naturæ: ergo nullum est inconveniens, vt *homo* non supponat pro persona, sed pro individuo naturæ: ergo sic supponit in hac propositione: *Homo factus est Deus*. Vtraque consequentia claret, & antecedens patet in hac propositione: *Deus factus est homo*, quam omnes adversarij fatentur. *Probat. 4.*

71 *Probat. 5. conclusio ad hominem contra Ill. Godoy.* Probatur quintò conclusio ad hominem contra Ill. Godoy, & iterum occurritur suprà positæ solutioni: ideò hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis, quia *homo* iuxta ipsum supponit pro supposito: ergo hæc: *Deus factus est homo*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 22. & 23. vbi hac ratione probat suam conclusionem. Consequentia est legitima, & contra ipsum, vtpotè, expressè contra D. Thom. ex dictis *à num.* 1. Aliter formatur hæc ratio: ideò hæc propositio: *Homo factus est Deus*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis, quia *homo* supponit pro supposito: ergo hæc propositio: *Deus factus est homo*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis. Formatur etiam ab oppositio hęc ratio: in hac propositione: *Deus factus est homo*, ly *homo* non supponit pro supposito, ideòque est vera in rigore, & proprietate sermonis: ergo in illa propositione: *Homo factus est Deus*, ly *homo* non supponet pro supposito, & consequenter erit etiã vera in rigore, & proprietate sermonis. *Aliter formatur.* *Formatur ab oppositio*

72 *Respondebis pro Ill. Godoy.* Ad hanc rationem sic, vel sic efformatam nescio certè, quid possit Ill. God. respondere, nisi, quod alij Thomistæ responsum habent, scilicet, esse differentiam inter has propositiones: *Deus factus est homo*, & *homo factus est Deus*; nam in prima *homo* non supponit pro supposito; benè verò in secunda. Si autem sic respondeat Ill. Godoy, vel alius pro ipso; vnum ab eo dumtaxat quæro: cur, nempè, in hac pro-

positione: *Deus factus est homo*, ly *homo* non supponit pro supposito, & in hac: *Homo factus est Deus*, ly *homo* pro supposito supponit? Rationem certè nō invenio, nec de vna ad aliam propositionem est alia differentia, nisi quod *homo* in prima est prædicatū, in secunda subiectum. Sed ita respondendo.

73 *Contra 1. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Contra primò ad hominem contra ipsum: in hac propositione: *Deus factus est homo*, ly *homo* non supponit pro supposito: ergo falsum est, quod homo supponat pro supposito, & quod significet naturam, vt in supposito, & in habente naturam, seu quod significet eum, qui habet naturam humanā, vel quod homo sit habens humanitatem, quod totū est contra ipsum *num.* 22. *&* 23. his terminis vtentē ad probandam suam conclusionem. Contra secundò: ideò iuxta differentiam prędictarum propositionum *homo* suppo nit pro supposito in hac propositione: *Homo factus est Deus*, quia est subiectū illius; & pro supposito non supponit in hac: *Deus factus est homo*, quia est huius prædicatum: ergo ideò hæc est falsa in rigore sermonis: *Homo factus est Deus*, & hæc vera: *Deus factus est homo*, quia in illa *homo* est subiectum, & in hac est prædicatum. Consequentia claret: nam quod quælibet ex his propositionibus sit in rigore vera, vel falsa, cōsistit solum in eo, quod homo supponat, vel non supponat pro supposito. Sumo nunc: atqui in hac propositione: *Verbum assumpsit hominē*, *homo* est prædicatum, & in hac: *Homo assumptus est à Verbo*, *homo* est subiectū: ergo hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, erit vera in rigore, & proprietate sermonis, & hæc falsa: *Homo assumptus est à Verbo*, quod est contra Ill. God. Omnia mihi apparent, sed claritatis gratia probatur sumpta: istæ propositiones convertuntur: *Verbum assumpsit hominem. Homo assumptus est à Verbo*; sed nequit esse cōversio vnius propositionis in aliam, quin sit transmutatio subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum; hoc enim est de ratione essentiali conversionis: ergo in hac propositione: *Verbum assumpsit hominem*, *homo* est prædicatum; & in hac: *Homo assumptus est à Verbo*, *homo* est subiectum.

Contra 2.

Contra 3.

Contra tertiò: quod *homo* in propositione sit subiectum, vel quod sit prædicatum, non tollit ab homine, quod homo habet ex natura sua; sed homo ex natura sua habet supponere prò persona: ergo sivè sit subiectum, sivè sit prædicatum, supponet pro persona: ergo quod *homo* in hac propositione: *Deus factus est homo*, supponat pro persona, non habet ex eo, quod sit subiectum, nec quod homo in hac propositione: *Deus factus est homo*, sit prædicatum, tollet, quod pro persona supponat: ergo si hæc propositio: *Homo factus est Deus*, est falsa in rigore sermonis; falsa etiam erit hæc: *Deus factus est homo*, quod non admittunt oppositæ sententiæ Sectatores: nulla ergo est solutio.

Contra 4.

Contra quartò, & vrgetur ad hominem contra Ill. Godoy: homo ex sua natura supponit pro persona: ergo si in hac propositione: *Deus factus est homo*, ly *homo* supponit solum pro humanitate, ab aliquo determinatur, vt solum pro humanitate supponat. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 26. & ex ibi ab ipso dictis claret consequentia; quia tunc terminus supponit pro aliquo, pro quo ex natura sua non supponit, quando determinatur ab aliquo, vt pro alio supponat. Sumo nunc: atqui in hac propositione: *Deus factus est homo*, ly *homo* à nullo determinatur, vt solum pro humanitate supponat: ergo *homo* in dicta propositione supponit pro persona. Ex quo duplex absurdum sequitur contra Ill. Godoy. Primum est: quod etiam homo, quando est prędicatum, supponat pro persona, quod est contra solutionem datam. Secundum est: quod hæc propositio: *Deus factus est homo*, sit in rigore falsa, quod est contra ipsum ex toties dictis. Sumpta probatur: subiecta non determinant prædicata, quin potius prædicata determinant subiecta ad supponendum pro alio, pro quo termini de se non supponunt, vt ait Ill. Godoy *num.* 26. *citat.* iuxta commune axioma: *Talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*; sed in hac propositione: *Deus factus est homo*, ly *homo* est prædicatum: ergo in dicta propositione ly *homo* à nullo determinatur, vt solum pro humanitate supponat.

74 *Probat. 6. concl. ad hominē cōtra Ill. Godoy.*

Probatur sextò conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: hęc propositio: *Deus factus est homo*, est vera in rigore, & proprietate sermonis: ergo

&

& multo melius hæc: *Homo factus est Deus*. Probatur consequentia: si adest maior ratio, vt *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus*, supponat solum pro humanitate, quam in hac: *Deus factus est homo*, multo melius, quam hæc propositio: *Deus factus est homo*, hæc: *Homo factus est Deus*, erit vera in rigore, & proprietate sermonis; sed est maior ratio, vt *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus*, supponat solum pro humanitate, quā in hac: *Deus factus est homo*: ergo si hęc propositio: *Deus factus est homo*, est vera in rigore, & proprietate sermonis, multo melius hæc: *Homo factus est Deus*. Probatur minor: maior ratio ad est, vt subiectum determinetur à prædicato, ad supponendum pro aliquo pro quo subiectum ex natura sua non supponit, quam quod prædicatum determinetur à subiecto, ad supponendum pro aliquo, pro quo prædicatū ex natura sua non supponit; sed *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus* est subiectum, & in hac: *Deus factus est homo*, est prædicatum: ergo maior est ratio, vt *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus*, supponat solum pro humanitate, quam in hac: *Deus factus est homo*. Consequentia liquet; quia *hominem* supponere solum pro humanitate, est supponere pro aliquo, pro quo ex natura sua non supponit, vt fatetur Ill. Godoy asserens: hominem ex natura sua supponere pro persona.

Minor est evidens. Maior autem, in qua posset stare difficultas, si aliqua esset, probatur ab Ill. Godoy *num.* 26. *citat.* dupliciter. Primò: quia prædicata aliquando determinant subiecta ad standum pro aliquo, pro quo de se termini non supponunt; subiecta verò non determinant prædicata, vt constat ex axiomate: *Talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*. Secundò: quia prædicatum in propositione se habet vt forma; subiectum verò vt materia; sed forma determinat materiam; non verò materia formā: ergo maior ratio adest, vt subiectum determinetur à prædicato, ad supponendum pro aliquo, pro quo subiectum ex natura sua non supponit, quam quod prædicatum determinetur à subiecto, ad supponendum pro aliquo, pro quo prædicatum ex natura sua non supponit.

§. IV.

Paritate ad hominem contra Ill. Godoy, & paritate contra alios adversarios, probatur nostra conclusio.

PRobatur septimò conclusio nostra paritate ad hominem contra Ill. Godoy: hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, absolutè prolata, & sine addito, est vera in rigore, & proprietate sermonis: ergo hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem* absolutè prolata, & sine addito, est vera in rigore, & proprietate sermonis. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 3. in 3. part. disp. 55. num. 169.* Consequentia verò probatur: ideò hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, absolutè prolata, & sine addito, est vera in rigore, & proprietate sermonis, quia *Christus* ratione prædicati determinatur, vt in illa propositione solum supponat pro natura humana; sed in hac propositione: *Verbum assumpsit hominem*, potest ly *homo* ratione prædicati determinari, vt in illa solum pro natura humana supponat: ergo hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, absolutè prolata, & sine addito, est vera in rigore, & proprietate sermonis Consequentia legitimè infertur. Minor probata manet per rationes, quibus nostram probavimus conclusionem §. *antecedent. per tot.* & vltra probabitur, dum solutionem Ill. God. ad hanc paritatē impugnemus. 75 *Probat. 7. conclusio.*

Maior autem est Ill. Godoy *citat.* sic probans, illā propositionem: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, esse veram absolutè, seu in rigore, & proprietate sermonis: nam quando prædicatum habet vim appellandi, licèt ex parte subiecti non exprimatur signum specificativum, facit subiectum stare, nō pro materiali absolutè, sed ratione significati formalis; sed participium *prædestinatus*, vt potè, rationis actum significans, habet appellandi vim: ergo quamvis particula *in quantum homo*, non addatur ex parte subiecti, potest hæc propositio concedi: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*. Patet consequentia; nam ex vi prædicati, fit sensus: *Christus in quantum homo prædestinatus est Filius Dei naturalis*, in quo sensu vera est; & consequentèr etiam absolutè est vera. 76

77 *Ab oppoſito formatur.*

Ab oppoſito etiam formatur paritas contra Ill. Godoy: hæc propoſitio: *Homo factus eſt Deus*, eſt falſa in rigore, & proprietate ſermonis: ergo hæc propoſitio: *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*, eſt falſa in rigore, & proprietate ſermonis. Conſequentia eſt contra Ill. Godoy *citat.* & probatur: ideò hæc propoſitio: *Homo factus eſt Deus*, eſt falſa in rigore, & proprietate ſermonis, quia *homo* ſupponit pro ſuppoſito; ſed Chriſtus ſupponit pro ſuppoſito: ergo hæc propoſitio: *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*, eſt falſa in rigore, & proprietate ſermonis. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt Ill. Godoy *in diſput. præſent. per totam.* Minor autem probatur eiſdem rationibus, quibus ipſe probat, quod *homo* ſupponit pro ſuppoſito, pro quo probationes illius referam, & poſtea contra ipſum ſuſſùmam. Primò itaquè probat, quod *homo* ſupponit pro ſuppoſito hac ratione quia licèt *homo* de formali ſolum ſignificet humanitatem; de materali tamen, & indiſtinctè ſignificat ſuppoſitum, habens humanitatem. Sic Ill. Godoy *num.* 22.

Minor probatur rationibus Ill. Godoy.

Prima ratio.

78 *Secunda.*

Secundò id probat ex Angelico Doctore, qui *in* 1. *diſtinct.* 4. *quæſt.* 1. *artic.* 2. *in Corpore.* 1. *part. quæſt.* 39. *artic.* 4. *in Corpore. Et in præſent. quæſt.* 4. *artic.* 3. quibus locis, & *alibi* paſſim docet: ly *homo* ſignificare naturam per modum perfecti, & cum natura ſuppoſitalitate compleatur, & perficiatur, illā ſignificat, vt in ſuppoſito, & in habente naturam, & indè provenire, vt nomen *homo* poſsit ex modo ſuæ ſignificationis ſupponere perſonam in ſingulari. Sic Ill. Godoy *num. citat.* Tertiò probat ex Damaſceno relato à D. Thoma *in præſenti artic.* 3. *cap.* 4. *in principio, & cap.* 11. *circa finem*, vbi docet: quod ſicut hoc nomen *Deus*, ſignificat eum, qui habet Divinam naturā; ita hoc nomen *homo*, ſignificat eum, qui habet naturam humanam: ergo iuxta Damaſcenū nomen *homo*, idemque de alijs nominibus concretis dicendum, ſignificat humanitatem, vt in habente, & de materiali importat ſuppoſitum. Sic ipſe *num.* 23.

Tertia.

79 *Quarta.*

Probat quartò: nam homo eſt habens humanitatem, & è converſo, habens humanitatem eſt homo: ergo homo, & habens humanitatem ſupponunt pro eodem: ſed habens humanitatem ſupponit pro ſuppoſito humanę naturę: ergo homo pro eodem ſupponit, & conſequentèr illud de materiali, & ſimpliciter ſaltim ſignificat; terminus namquè non poteſt ſupponere, niſi pro eo, quod de materiali ſaltim ſignificat. Quintò: nam iſtæ propoſitiones ſunt veræ: *Petrus eſt homo*, *Paulus eſt homo*; ſed ſi homo non ſupponeret pro ſuppoſito habente humanitatem, non poſſent eſſe veræ; quo circa iſtæ propoſitiones: *Petrus eſt humanitas*, *Paulus eſt humanitas*, veræ non ſunt, quia humanitas non ſupponit pro habente naturam, ſed pro natura ipſa: ergo homo ſupponit pro habente humanitatem, & conſequentèr, ſaltim de materiali, importat ſuppoſitum. Sic Ill. Godoy *num. proximè citato.*

Quinta.

Iſtæ ſunt probationes Ill. Godoy. Suſſùmo nunc contra ipſum. Primò: atqui licèt Chriſtus de formali ſolum humanitatem, & Deitatem ſignificet; de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificat ſuppoſitum habens humanitatem, & Divinitatem: ergo Chriſtus ſupponit pro ſuppoſito. Suſſùmo ſecundò: atqui ly *Chriſtus* ſignificat naturam per modum perfecti: ergo cū natura ſuppoſitalitate compleatur, & perficiatur, illam ſignificat, vt in ſuppoſito, & in habente naturam: ergo idem quod prius. Suſſùmo tertiò: atqui hoc nomen *Chriſtus*, ſignificat eū, qui habet naturam humanam, & Divinam, & eſt nomen concretum: ergo ſignificat humanitatem, & Divinitatem, vt in habente, & de materiali importat ſuppoſitum. Quartò: ſed Chriſtus eſt habens humanitatem, & è converſo, habens humanitatem, & Divinitatem eſt Chriſtus: ergo Chriſtus, & habens humanitatem, & Divinitatem ſupponunt pro eodem; ſed habens humanitatem, & Divinitatem ſupponit pro ſuppoſito vtriuſque naturæ: ergo Chriſtus pro eodem ſupponit, & conſequentèr illud de materiali, & implicitè ſaltim ſignificat.

80 *Suſſumo* 1. *contra Ill. Godoy.*

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quintò deniquè ex ipſa probatione Ill. Godoy probationem pro noſtra minori formo: iſta propoſitio eſt vera: *Hic homo Deus eſt Chriſtus*; ſed ſi Chriſtus non ſupponeret pro ſuppoſito habente humanitatem, & Deitatem, non poſſet eſſe vera, quo circa iſta propoſitio: *Hic homo Deus eſt humanitas, & Divinitas*, vera non eſt, quia humanitas, & Divinitas non ſuppo-

81 *Quintò.*

nunt

nunt pro habente naturas, sed pro ipsis naturis : ergo Christus supponit pro habente humanitatem, & Deitatem,& consequentèr saltim de materiali importat suppositum.

82 *Vrgetur cõtra ipsum paritate dicta.*

Vrgetur contra ipsum eadem paritate:eadem inconvenientia,vel saltim æqualia,quę deducit Ill.Godoy ex eo, quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, sit vera in rigore, & proprietate sermonis , secuntur ex eo, quod hæc propositio:*Christus prædestinatus est Filius Dei*,sit vera in rigore, & proprietate sermonis : ergo vel vtraque vera,vel vtraque falsa Consequentia est legitima. Antecedens probandum est duplici inconvenienti ab Ill.Godoy deducto. Probatur itaque pro primò : inconveniens , quod infert Ill.Godoy ex eo,quod hęc propositio : *Verbum assumpsit hominem*, sit vera in rigore, & proprietate sermonis,est,quod Verbum assumpsisset nò solum humanitatem , sed etiam humanum suppositum ; sed ex eo,quod hæc propositio:*Christus prædestinatus est Filius Dei*,sit vera in rigore,& proprietate sermonis,sequitur,quod non solum homo , sed etiam Verbum, sit prædestinatum Filius Dei , quod est idem absurdum , vel saltim æquivalens,vt omnes Theologi fatentur: ergo eadem inconvenientia, &c. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *num.*22.

Probatur minor.

Minor, in qua potest esse difficultas , probatur : ideò ex eo, quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, sit vera in rigore , & proprietate sermonis , infert Ill. Godoy , quod non solum humanitatem , sed etiam humanum suppositum , assumpsisset Verbum , quia *homo* in dicta propositione supponit pro supposito ; at qui omnes rationes, quibus hoc ipse probat, manifestè probant , vt probatum habemus , quod *Christus* in propositione allata supponit pro supposito: ergo ex eo , quod propositio hæc: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, sit vera in rigore , & proprietate sermonis, sequitur,quod non solum homo, sed etiam Verbum sit prædestinatum Filius Dei.

83 *Vrgetur amplius.*

Probatur antecedens pro secundò: secundum inconveniens , quod infert Ill. Godoy ex eo , quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, sit vera in rigore,& proprietate sermonis,est, quod Verbum assumpsisset hunc hominem; sed ex eo,quod hæc propositio:*Christus prædestinatus est Filius Dei*, sit vera in rigore , & proprietate sermonis,sequitur, quod hic Christus sit prædestinatus Filius Dei,quod est ide, vel saltim æquale inconveniens in ipsius doctrina: ergo idem,quod antea. Minor , in qua potest esse difficultas, probanda est eadem ratione , qua Ill. Godoy supra dictum inconveniens deducit,& vt probatio clareat,hęc est ipsius probatio *num.* 30. *hæc est bona consequentia : Verbum Dei assumpsit hominem: ergo assumpsit hominem,vel hunc hominem in singulari;consequens non potest admitti : ergo nec antecedens in rigore,& proprietate sermonis.Consequentia est bona.Minorem Recentiores admittunt, & meritò;nam hic homo est humana persona : ergo si Verbum assumpsit hunc hominem,assumpsit personam,quod est Hæreticum. Antecedens probatur : nam si Verbum hominem assumpsit, non assumpsit hominem in vniversali:ergo in singulari , & consequentèr assumpsit hominem singularem ; sed homo singularis est hic homo: ergo benè valet: Verbum assumpsit hominem : ergo assumpsit hunc hominem, vel hunc hominem.*Quam rationem fatetur deduxisse ex Div. Thoma *in* 3. *dist.*6.*quæst.*1.*artic.*2.*in* 2.*argument.sed contra,& in corpor.artic.*

Verba Ill. Godoy.

84 *Ex his contra ipsum probatur minor.*

Ex his itaquè probatur nostra minor:hæc consequētia est bona: *Christus prædestinatus est Filius Dei: ergo hic Christus in singulari prædestinatus est Filius Dei* : ergo ex eo,quod hæc propositio:*Christus prædestinatus est Filius Dei* , sit vera in rigore, & proprietate sermonis,sequitur, quod hic Christus sit prædestinatus Filius Dei. Atqui hoc non potest admitti : ergo nec antecedens in rigore, & proprietate sermonis. Hæc consequentia est bona. Sussumptam concedere tenetur Ill. Godoy ; nam sicut in eius doctrina hic homo est persona humana,ita in eius opinione hic Christus debet esse persona Verbi: ergo si hic Christus prædestinatus est Filius Dei , Verbum est prædestinatum Filius Dei , quod est contra omnes. Prima consequentia ex antecedenti infertur. Antecedens autem probatur:nam si Christus prædestinatus est Filius Dei, non Christus in vniversali : ergo Christus in singulari prædestinatus est Filius Dei ; sed Christus singularis est hic Christus:er-

go benè valet: *Christus prædestinatus est Filius Dei: ergo hic Christus in singulari prædestinatus est Filius Dei.*

85 *Respondet Ill. Godoy.*

Ad hæc omnia respondet Ill. Godoy *tom. 3. citat. disput. 55. num. 166.* negando paritatem rationis, cuius disparitatem dedit D. Thomàs *in præsenti artic. 1. ad 3.* his verbis: *Et est considerandum, quod licèt hoc participium* prædestinatus *importet antecessionem, sicut & hoc participium* factus, *alitèr tamen, & alitèr; nam* fieri, *pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est*: prædestinari *autem pertinet ad aliquem, secundum quod est in apprehensione alicuius præordinantis: id autem quod subest alicui formæ, vel naturæ secundum rem, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel etiam absolutè, & quia absolutè non convenit personæ Christi, quod incæperit esse Filius Dei; convenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana existens (quia, scilicet, hoc aliquando incæpit esse, quod in natura humana existens, esset Filius Dei) ideò magis est hæc vera, Christus est prædestinatus Filius Dei, quam ista, Christus est factus Filius Dei.* Vbi ly *magis* non *comparativè*, sed *adversativè* sumitur.

Quam doctrinam (vt ait *num. 167.*) sic intelligendam existimat: ideò istā non concedi: *Hic homo factus est Filius Dei*: benè autem istam: *Hic homo prædestinatus est Filius Dei*; quia in prima fit sensus, quod Christus ratione suppositi factus sit Filius Dei: in secunda autem non ita; sed quod ratione naturæ prædestinatus est Filius Dei. Et ratio est: nam terminus ex parte subiecti positus *materialitèr* tenetur, videlicèt, pro supposito, quod de materiali importat; non *formalitèr* pro natura; vbi docuit D. Thom. *suprà quæst. 16. artic. 7. ad 4. & artic. 9. in corp.* quod intelligendum est, nisi prædicatum impellet suprà formale significatum; nam quandò prædicatum habet appellandi vim, facit accipi subiectum, non pro eo, quod de materiali importat ratione materialis, sed pro illo ratione formalis, vt ex Summulis supponit. Est autem hæc differentia inter participium *factus*, & participium *prædestinatus*, quod primum non habet vim appellandi; secundum autem huiusce modi vi gaudet; vt docent dialectici: *Nomina significantia actum animæ interiorem appellant suprà formale significatum subiecti*; secus autem illa, quæ actiones exteriores significant: *fieri* autem significat exteriorē actionem, *prædestinari* interiorem, & ideò participium *prædestinatus* enunciatū de hoc homine, facit stare pro supposito Verbi, vt homine: participium autem *factus* non ita, sed enunciatur de illo supponēte *materialitèr*: & quia de supposito Verbi ratione sui non potest verificari, quod sit factus Filius Dei, de illo autem ratione humanæ naturæ verificari potest, quod incæperit esse Filius Dei, vt subsistens in illa, fit consequens, vt ista concedatur: *Hic homo prædestinatus est Filius Dei*; ista verò non concedatur: *Hic homo factus est Filius Dei.*

86 *Insurgo 1. contra solutionem Ill. Godoy.*

Cæterum contra hanc disparitatem insurgo primò: quod participiū *factus* significet actionem exteriorē, non tollit, quod habeat vim appellandi: ergo nulla est disparitas. Probatur antecedens: quod Verbum *fieri* significet actionem exteriorem, nō tollit, quod habeat vim appellandi: ergo quod participium *factus* significet actionem exteriorem, non tollit, quod habeat vim appellandi. Probatur antecedens: quod Verbum *est* significet actionem exteriorem, nō tollit, quod habeat vim appellandi: ergo quod Verbum *fieri* significet actionem exteriorem, nō tollit, quod habeat vim appellandi. Probatur antecedens: in his propositionibus: *Album est disgregativum visus, Calidum est accidens*, ly *est* significat actionem exteriorem; atqui ly *est* habet vim appellandi: ergo quod Verbum *est* significet actionem exteriorem, non tollit, quod habeat vim appellandi. Consequentia est legitima. Maior patet: nam album, & calidum in illis propositionibus, nec significant actionem secundæ intentionis, nec actionem interiorem. Minor est manifesta: nam in dictis propositionibus album, & calidum supponunt solum pro formali significato, scilicet, pro albedine, & calore, vt ex se apparet, & toties dictum est.

87 *Insurgo 2.*

Insurgo secundò contra dictam solutionem: quod participium *factus* significet actionem exteriorem, & Verbum *fieri* pertineat ad ipsam rem secundum quod est in se, nullatenùs obest, vt participium *factus*, & Verbum *fieri* habeant vim appellandi: ergo ruit disparitas. Probatur antece-

dens:

dens: participium *factus* in hac propositione: *Deus factus est homo*,& verbum *fieri* in hac: *Deum fieri hominem*, habet vim appellandi:ergo quod participium *factus* significet actionem exteriorem,& verbum *fieri* pertineat ad ipsam rem secundum quod est in se,nullatenùs obest,quod habeāt vim appellandi. Probatur antecedens: si participium *factus*, & verbum *fieri* non haberent vim appellandi,*homo* in prædictis propositionibus supponeret pro suppolito;sed hoc est falsum;alio quin hæc propositio: *Deus factus est homo*, non esset vera in rigore,& proprietate sermonis, quod est expræsè contra D.Thomā, vt claret ex dictis: ergo habent vim appellandi.

88 *Insurgo 3.* Insurgo tertiò: quod participium *prædestinatus* significet actionē interiorem; verò participiū *factus* significet actionem exteriorem, nō tollit,quod subiectum huius propositionis: *Homo factus est Deus*, restringatur ad non supponendum pro supposito, sicut restringitur subiectum huius propositionis:*Christus prædestinatus est Filius Dei*: ergo disparitas non tollit, quod participium *factus* habeat vim appellandi, & consequenter solutio est nulla. Probatur antecedens:quod participium *prædestinatus* significet actionem interiorem;participium verò *factus* significet actionem exteriorē, non tollit,quod sicut de subiecto huius propositionis:*Christus prædestinatus est Filius Dei*, non potest fieri descensus (id est, non potest affirmari de inferioribus per legitimā consequentiam id, quod affirmatur de Christo, vt superiori, v.g. *Christus,qui est homo prædestinatus est Filius Dei*; *sed Petrus est homo*: *ergo Petrus prædestinatus est Filius Dei*) ita de subiecto huius: *Homo factus est Deus*,non possit fieri descensus:v g. *Homo factus est Deus*; *sed Petrus est homo:ergo Petrus factus est Deus*: ergo quod participium *prædestinatus* significet actionem interiorem;participium verò *factus* exteriorem, non tollit,quod subiectum huius propositionis:*Homo factus est Deus*,restringatur ad non supponendum pro supposito, sicut restringitur subiectum huius:*Christus prædestinatus est Filius Dei*. Patet consequentia:quia ideò de subiecto huius propositionis: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, non potest fieri descensus, quia restringitur ad non supponendum pro supposito;sed de subiecto huius propositionis:*Homo factus est Deus*,non potest fieri descensus: ergo quia restringitur ad non supponendum pro supposito: ergo consequentia tenet.

89 *Insurgo 4.* Insurgo quartò:participium *factus* determinat subiectum propositionis, ad supponendum pro eo, quod est subiectum factionis dumtaxat: ergo participium *factus* habet vim appellandi; ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: participium *factus* determinat subiectum propositionis ad supponendum pro eo, de quo factio passiva prædicatur; sed factio passiva prædicatur de subiecto factionis dumtaxat:ergo participium *factus* determinat subiectum propositionis, ad supponendum pro eo, quod est subiectum factionis dumtaxat. Consequentia est legitima. Minor claret in quacumque propositione cū participio *factus*,v.g.in his:*Homo factus est albus*:*Homo factus est Deus*;*aqua facta est calida*; in quibus nec albus, nec Deus prædicantur absolutè de homine,nec calidum de aqua, sed ipsa factio passiva prædicatur de illis. Maior verò probatur:nam participiū *factus* est ipsa factio passiva:ergo participium *factus* determinat subiectū propositionis ad supponendum pro eo, de quo factio passiva prædicatur. Hoc claret ex dictis *num.* 11.

90 *Insurgo 5.* Insurgo quintò contra dictam solutionem: iuxta regulam absolutam, & vniversalem Dialecticorum, *talia sunt subiecta,qualia permittuntur ab eorum prædicatis*:ergo sivè prædicatum significet actionem interiorem, sivè exteriorem,habet vim determinandi subiectum ad standum pro aliquo, pro quo termini de se non supponūt: ergo sivè prædicatum significet actionem interiorem, sivè exteriorem, habet vim appellandi: nulla ergo est disparitas Ill. Godoy. Omnes consequentiæ sunt legitimæ. Antecedens patet:nam regula prædicta à Dialecticis limitata non est; vndè illam limitare,vt limitat Ill.Godoy, ad nomina significantia actum animæ interiorem dumtaxat, & cum exclusione ad nomina significantia actum exteriorem, omninò voluntarium videtur, vtpotè, in nulla regula Dialecticorum inventum.

Insurgo sextò: cum hoc,quod par- 91

ti-

Insurgo 6. ticipium *factus* habeat vim appellandi, ſtat ſufficiens differentia inter participium *prædeſtinatus*, & participiũ *factus*, circa has propoſitiones: *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*: *Homo factus eſt Deus*: ergo tradita diſparitas non facit ad intentum. Probatur antecedens: cum hoc, quod participium *factus* habeat vim appellandi, ſtat, quod participium *factus* in dicta propoſitione: *Homo factus eſt Deus*, non determinet ſubiectum, vt pro aliquo formali ſignificato non ſupponat; ſed hoc ſtante, ſtat ſufficiens differentia inter participium *prædeſtinatus*, & participium *factus*: ergo, &c. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt certa; nam participium *prædeſtinatus* in hac propoſitione: *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*, ita determinat ſubiectum, ſcilicet, *Chriſtum*, vt non ſupponat pro aliquo formali ſignificato, ſcilicet, pro natura Divina, quam dicit de formali. Maior etiam patet: nam cum hoc, quod participium *factus* habeat vim appellandi, ſtat, quod determinet ſubiectum, vt ſolum pro ſuppoſito non ſuppoſat, vt claret exemplis allatis.

92 *Insurgo 7.* Inſurgo ſeptimò vrgentiùs contra Ill. Godoy: quod verbum *fieri* ſignificet actionem exteriorem, non obeſt, vt verbum *fieri* habeat vim appellandi: ergo nulla eſt ratio diſparitatis. Probatur antecedens: verbum *incipio* ſignificat actionem exteriorem: ſed quod verbum *incipio* ſignificet actionem exteriorem, non obeſt, vt habeat vim appellandi: ergo quod verbum *fieri* ſignificet actionem exteriorem, non obeſt, vt habeat vim appellandi. Conſequentia eſt evidens. Maior certa; nam *incipere eſſe*, nec pertinet ad aliquem, ſecundum quod eſt in apprehenſione, nec ſignificat actum animæ interiorem; quia nec eſt actus intellectus, nec voluntatis. Minor autem probatur: quod verbum *incipio* ſignificet actionem exteriorem, non obeſt, vt hæc propoſitio: *Chriſtus incæpit eſſe Filius Dei*, ſit vera in rigore, & proprietate ſermonis; ſed talis propoſitio nequit eſſe in rigore vera, quin verbum *incipio* habeat vim appellandi: ergo quod verbum *incipio* ſignificet actionem exteriorem, non obeſt, vt habeat vim appellandi. Conſequentia eſt legitima. Minor patet: nam niſi verbum *incipio* determinaret Chriſtum, vt ſolum pro natura humana ſupponeret, propoſitio prædicta non eſſet in rigore vera; alioquin illę propoſitiones eſſent veræ: *Verbum incæpit eſſe Filius Dei. Natura Divina incæpit eſſe Filia Dei*, cum *Chriſtus* dicat pro formali naturam Divinam, & de materiali ſuppoſitum Verbi. Maior eſt Ill. Godoy in ſolutione, cuius verba adduximus *numer.* 85. vbi ex veritate huius propoſitionis: *Quod Chriſtus incæperit eſſe Filius Dei*, infert veritatem huius: *Hic homo prædeſtinatus eſt Filius Dei*, vt claret ex vltimis verbis illius.

93 *Insurgo deniquè.* Inſurgo deniquè contra ſolutionem: quod participium *prædeſtinatus* ſignificet actionem interiorem, non eſt ratio, quarè participium *prædeſtinatus* habeat vim appellandi: ergo de primo ad vltimum ruit ſolutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: ſi quod participium *prædeſtinatus* ſignificet actionem interiorem, eſſet ratio, quarè haberet vim appellandi, D. Petrus, & Iudas in his propoſitionibus: *D. Petrus eſt prædeſtinatus ad gloriam. Iudas reprobatus eſt ad pœnam*, ſupponerent ſolum pro humanitate; ſed hoc eſt falſum: ergo quod participium *prædeſtinatus* ſignificet actionem interiorem, non eſt ratio, quarè habeat vim appellandi. Minor eſt Ill. Godoy *tom. 3. in 3. part. diſput. 55. num. 178.* vbi aſſerit: humanitatem Chriſti non poſſe dici propriè, prædeſtinatam ad gloriam, quod probat hac ratione: nam prædeſtinari ad gloriam ſolum convenit propriè ei, de quo cum proprietate dicitur operari; ſed operari vt *quod* ſolum attribuitur propriè ſuppoſito, vt communiter docent Philoſophi ex illo communi axiomate: quod *operari tantum eſt ſuppoſitorum*: ergo prædeſtinari ad gloriam non poteſt cum proprietate de humanitate enunciari. Vera igitur eſt apud Ill. Godoy prædicta minor.

Probatur minor.

Probatur maior. Maior verò probatur: ideò *Chriſtus* in hac propoſitione: *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*, ſupponit ſolum pro humanitate, quia participium *prædeſtinatus* ex eo, quod actionem interiorem ſignificet, habet vim appellandi: ergo ſi quod participium *prædeſtinatus* ſignificet actionem interiorem, eſſet ratio, quarè haberet vim appellandi, D. Petrus, & Iudas in his propoſitionibus: *D. Petrus eſt prædeſtinatus ad gloriam. Iudas reprobatus ad*

pœnam, supponerent solum pro humanitate. Consequentia liquet,& antecedens est Ill. Godoy in solutione ab ipso tradita ad nostram paritatem suprà positam, in cuius faborem arguo,solutionem illius evertendo.

94 *Nullitates solutionis Ill. Godoy. ostẽdũtur.*

Atque hinc se se apperit nullitas disparitatis, quam ponit Ill. Godoy inter participium *factus*,& participiũ *prædestinatus*.Primò:quia falsum omnino est,quod participium *factus* non habeat vim appellandi.Secundò:quia etiam falsum est, quod nomina significantia actionem exteriorem non habeant vim appellandi. Tertiò:quia falsum est etiam, quod participium *prædestinatus* habeat vim appellandi eo, quod actionem interiorem significet. Quartò denique : quia adhuc concessa vi appellandi participio *factus*, stat sufficiens differentia inter ipsum, & participium *prædestinatus*, quantum ad has propositiones: *Homo factus est Deus. Christus prædestinatus est Filius Dei*, etiam si vtraque sit vera in rigore, & proprietate sermonis. Quæ omnia apperta sunt ex dictis *à num.*86. Tùm rationibus; tùm exemplis ; & tùm denique ad hominem contra Ill.Godoy.

95 *Probat. 8. conclusio ad hominẽ contra adversarios.*

Vltimò iam probatur conclusio paritatibus ad hominem contra plures adversarios : non minus nomen *Christus* supponit pro supposito, quã hoc nomen *homo* ; sed quod nomen *Christus* supponat pro supposito, non tollit,quod istæ propositiones: *Christus est creatura.Christus incæpit esse*, sint veræ in rigore, & proprietate sermonis : ergo quod hoc nomen *homo* supponat pro supposito,non tollit, quod hæc propositio: *Homo factus est Deus*, sit vera in rigore, & proprietate sermonis.Consequentia est vndequaque legitima. Maior est notoria, & ita manifesta, quod nulla est, nec potest esse ratio, quare *homo* supponat pro supposito, quæ non convincat, quod *Christus* pro supposito supponat, vt omnibus, & singulis rationibus, tàm Ill. Godoy, quam omnium adversariorum,evidenter convincitur, & vltrà contra eosdem, contra quos arguo,ostenditur hac paritate:hæc propositio:*Christus est prædestinatus Filius Dei*,non est vera in rigore, & proprietate sermonis iuxta adversarios;atqui non alia ratione,nisi,quia*Christus* supponit pro supposito : ergo non minus nomen *Christus*, quam nomen *homo*, pro supposito supponit.

Minor autem pro hac propositione : *Christus est creatura*, est Caietani *quæst.* 16. *artic.* 8. & 10. Valentia ibi *punct.*2. Vazquez *disput.*65. & Hurtado *disput.*11.*difficult.*11. Pro secunda verò propositione,scilicet,*Christus incæpit esse*, est opinio Vazquez *disp.*67. &Hurtado *disput.*11.*difficult.*12.eamque subsistere videtur Ill.Godoy *tom.* 3.*in* 3.*part.disput.*55.*num.*167. *in fine*, vt diximus *num.*92. Atqui Authores isti in difficultate præsenti nobis contrariantur,illosque, vt nobis adversarios *citat.*Ill.Godoy *num.*5 : ergo apud nobis adversarios in veritate huius propositionis : *Homo factus est Deus*, vera est suprà posita minor, scilicet, quod nomen *Christus* supponat pro supposito, non tollit, quod istæ propositiones:*Christus est creatura. Christus incæpit esse*, sint veræ in rigore, & proprietate sermonis.

96

§. V.

Argumentum Ill. Godoy ex consensu Scholasticorum solvitur.

97 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

ARguit primò Ill. Godoy *num.*6: omnes Scholastici cum Magistro *in* 3.*dist.*5.*&* 6. Et Theologi cum D.Thoma *in hac quæstion.artic.*3.prædictæ propositionis veritatem negãt in rigore,& proprietate sermonis,sed à Communi Scholasticorũ,& Theologorum sententia,in re Theologica, & gravi discedere fas non est : ergo dicta propositio in rigore,& proprietate sermonis nequit defendi.

98 *Solutio aliquorum.*

Ad hoc argumentum respondent aliqui : concedendo maiorem, & negando minorem, quia plus authoritatis PP.& Concilijs deferendum esse, quam omnibus Scholasticis ; dicta autem propositio apud Concilia, & PP.habetur;vndè,tametsi illius locutionis proprietas à Communi Scholasticorum negetur, nihilominus est substinenda, quia minor argumenti solum est vera, cum pro sententia Scholasticis opposita PP. & Concilia non extant.

99 *Impugnat Ill. Godoy.*

Hanc solutionem impugnat Ill. Godoy *num.*8.sic: PP.& Concilia etsi asserant:*Verbum Dei assumpsit hominem*; nullus tamen ex Patribus,& Concilijs asseruit, veram esse prædictam propositionem in proprietate sermonis; sed difficultas non est de veritate pro-

po-

positionis, sed de illius proprietate: ergo omninò præter rem PP. & Conciliorum authoritas contra authoritatem Scholasticorum opponitur.

100 *Reijcitur 1 impugnat. Ill. Godoy.*

Hæc tamen impugnatio nullam vim habet, & ad hominem contra ipsum reijcitur. Primò: etsi Concilia, & PP. nullatenùs asserant, hanc propositionem: *Verbum assumpsit hominem*, esse veram in rigore sermonis, explicari potest in sermonis proprietate: ergo nulla est impugnatio Ill. Godoy. Probatur antecedens primò: PP. & Concilia etsi asserant: *Personam Christi esse compositam*; nullus tamen ex Patribus, & Concilijs asseruit: veram esse prædictam propositionem de compositione propria, & rigurosa; sed hoc nō obest, vt Ill. Godoy illam explicet de compositione propria, & rigurosa: ergo etsi Concilia, & Patres nullatenus asserant, hanc propositionem: *Verbum assumpsit hominem*, esse veram in proprietate sermonis, explicari potest in sermonis proprietate. Maior, & minor tenent. Consequentia est legitima, & probatur: ideò etsi nullus ex Patribus, & Concilijs asserat hanc propositionem: *Persona Christi est composita*, esse veram de compositione propria, & rigurosa, illam de hac compositione explicat Ill. Godoy, quia prædicta propositio non semel, aut iterum, sed sæpè à Patribus, & Concilijs invenitur; atqui hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, non semel, aut iterum, sed sæpè in Patribus, & Concilijs invenitur: ergo tenet consequentia.

Antecedēs probat. 1.

101 *Reijcitur 2 & 2. probatur antecedens.*

Probatur secundò dictum antecedens, & secundò reijcitur impugnatio Ill. Godoy: etsi Patres, & Concilia asserant: *Verbum factum fuisse hominem*; nullus tamen ex Patribus, & Concilijs asseruit, veram esse prædictam propositionem in sermonis proprietate; sed hoc non obest, vt sic explicetur: ergo sic explicari potest. Tertiò: etsi PP. asserant: *Christum esse creaturā. Christum incepisse esse*, nullus tamen ex Patribus asseruit, prædictas propositiones esse veras in rigore sermonis; sed hoc non obest, vt sic explicentur iuxta dicta *num. 96*: ergo, &c. Quartò: etsi Patres, & Concilia asserant: *Verbū non venturum, Adamo non pecante*, nullus tamen ex Patribus, & Concilijs asseruit, prædictam propositionem esse veram de carne impassibili; sed hoc non obest, vt sic explicetur; nam ita à nobis, & ab alijs explicatur: ergo, &c.

Tertiò.

Quartò.

102 *Impugnat. 1. solutio allata.*

Vndè omissa hac ratione Ill. Godoy, quia per ipsam formaliter allata solutio non impugnatur, aliter cum ipso à nobis impugnatur. Primò: nam cum de sensu alicuius propositionis in Scriptura contentæ dubitatur, an, nempè, vera sit in rigore, & proprietate sermonis, an verò in sensu methaphorico, & improprio sit accipienda, standum est Communi Patrum, & expositorum iudicio, nec ab illo potest sine nota recedi: ergo cum de sensu alicuius propositionis à Patribus, & Concilijs assertæ dubium est, an proprius, an metaphoricus sit, standum est Communi Scholasticorum sententiæ, nec licebit recedere ab illa; sed quamvis omnes fateantur, hanc propositionem: *Verbum Dei assumpsit hominem*, in Patribus, & Concilijs haberi, dubium extat de sensu, in quo illam docuerint, scilicet, in rigore sermonis, an verò in sensu methaphorico, accipiendo per figuram synecdochem concretum pro abstracto, & partem pro toto: ergo standum est communi sensui Scholasticorum.

103 *Impugn. 2.*

Impugnatur secundò eadem solutio: si asserenti, Christum solum in methaphorico sensu Agnum, & Leonem dici, idque probanti ex communi Patrum, & Expositorum consensu, sic verba Scripturæ accipientium, aliquis responderet, Patres, & Expositores audiendos non esse, quia Scriptura docet oppositum, cum ait: *Vicit Leo de Tribu Iudà. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, &c.* stultus iudicaretur, & illius responsio hæretica, eo, quod Scriptura, etsi Christum Leonem, & Agnum appellet; non tamen docet: id esse cum proprietate accipiendum; & Concilia, & Patres cum docent: *Verbum Dei assumpsisse hominem*, non asserunt, hoc esse cum proprietate accipiendum: ergo respondere, standum non esse Communi Scholasticorum, prædictam propositionem explicantium in sensu non rigoroso, sed improprio, & methaphorico, quia Patres, & Concilia parti oppositæ adstipulantur, est ridicula responsio. Tertiò: nam omnes Scholasticos in sententia Concilijs, & Patribus adversa, convenire, est ad minus moralitèr impossibile: ergo eo

Tertiò.

ip-

ipso, quod Scholastici omnes conveniant in sensu improprio prædictæ propositionis, eius proprietas nequit in PP. & Concilijs haberi.

104 *Alia responsio reiecta ab Ill. Godoy.*

Si autem respondeatur: negando maiorem, nam proprietatem prædictæ propositionis præter Magistrum, Ricardum, Hugo de S. Victore, Carthusianum, Maiorem, Henricum, & Alexandrum Alensem, docent Ioannes Martinez Complutensis Primarius, & Vvadingo *disput. 4. de Incarnatione.* Insurgit Ill. Godoy *num.* 10. nam Scholasticos antiquos falsò pro prædicta sententia allegari, constat ex dictis; ex modernis autem Ioannes Martinez fuit à Tribunali Sanctæ Inquisitionis notatus, & cautè legendam esse illius propositionem indictum. Vvadingus verò vnus est, qui tametsi ingeniosus, & doctus; non tamen qui debeat pro decem millibus computari: imo, licèt alij Recentiores prædictæ opinioni adhærerent, non indè probabilitas accresceret; nam licèt tres, vel quatuor possint probabilitatem inducere, cum res aliqua de nobo agitatur, & Communi Scholasticorum adversa non est; cum autem omnes Scholastici antiqui stant pro aliqua sententia, duo, vel tres Recenciores oppositum asserentes non possunt certitudinem antiquæ sententiæ turbare, nec oppositam probabilitèr reddere; at ita in præsenti contingit, quod res, de qua agitur, inter Scholasticos est agitata, & Communis Scholasticorum sententia docet, dictam propositionem non esse in rigore accipiendam: ergo quamvis duò, vel tres Recentiores eius proprietatē tuerentur, non indè posset defendi probabilitèr.

105 *Vera solutio.*

Has responsiones ad primum Ill. Godoy argumentum, & impugnationes ad litteram ex ipso transcripsi, vt innutilitas argumenti appareat, & notum sit, Ill. Godoy deceptum fuisse, asserendo, suam opinionem esse communem Scholasticorum sententiam, cuius deceptio apperta est *n.* 15. Vndè ad argumentum respondeo, negando maiorem, & vt nulla replica locum habeat, videat Ill. Godoy, suprà tot testimonia Conciliorum, PP. & Ecclesiæ pro parte affirmativa, non tres, aut quatuor Recenciores, sed tot, quot relati manent *num.* 15. *iam cit.* Videat etiam Subtilissimum Scotum, qui etsi vnicus esset, pro decem millibus, vt fatetur ipse Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disput. 97. num. 65.* computandus esset, ob magnam authoritatem, & ingenij eximiam subtilitatem. Videat etiam sententiam nostram in primis, & præcipuis omnium Scholasticorum principijs fundatam esse. Videat etiam tot inconsequentias, quas in sua doctrina annexas habet negativa sententia. Videat etiam vltra plures in eius Schola domesticos, suum charissimum Caietanum, qui circa proprietatem huius propositionis: *Christus est creatura*, sensit, verā esse in rigore sermonis, quod etsi verum reputem, durius videtur. Plurima alia omitto, & videat denique in Magistro Subtili efficaces rationes, quas ipse fugit, vt diximus *n.* 58. & ex ab ipso adductis, & contra se obiectis, clarissimè apparet. Et quando hæc omnia sufficere sibi non videantur, vrgeat ipsum authoritas Magistri Sententiārum *in* 3. *dist.* 5. §. 4. dicentis: *Quarè non accepit personam hominis, & hominem accepit?* Nullum ergo est primum Ill. Godoy argumentum.

§. VI.

Argumenta Ill. Godoy, ex authoritate deducta, solvuntur.

106 *Arguit. 2.*

Arguit secundò Ill. Godoy *num.* 11. testimonio Felicis Papæ in Synodo Ephesina, vel Calcedonensi *cap.* 1. ibi: *De Incarnatione verò Verbi, & fide credimus in Dominum Iesum Christū ex Maria Virgine natum, quoniam ipse est Æternus Dei Filius, & Verbum, & non homo à Deo susceptus, vt alter esset præter ipsum; neque enim hominem assumpsit Dei Filius, vt alter esset præter ipsum.* Vbi, vt clarè constat, negat Pontifex, hominem à Verbo susceptum, Verbumque hominem assumptisse.

107 *Respondet Vazquez.*

Respondet Vazquez, etsi nostræ opinioni adversarius, hoc testimoniū non vrgere; non enim negat Pontifex simpliciter assumptum fuisse hominem, sed cum illo addito diminuente, nempè, fuisse assumptum, vt esset alter suppositō, cuius contrarium Nestorius, & sequaces docebant. Imò videtur, testimonium hoc oppositæ sententiæ favere, & ex illo non levitèr confirmari: qui namquè assereret: *Non dedi tibi pecunias, vt illas ludendo consumeres*, non negaret, se dedisse pecunias, sed potius illas à se datas supponeret, quamvis nō ad illum finem; sed Pontifex non negat, Verbum as-

sumpsisse hominem absolutè, sed cū additamento, asserendo, vt alter esset suppositō præter ipsum: ergo non negat hominem à Verbo assumptum, sed potiùs supponit oppositum, nam exceptio firmat regulā in contrariū.

108 *Solutio Vazquez reijcit 1. Ill. Godoy.*

Hanc solutionem reijcit primò Ill. Godoy *num.* 12. nam illud additamentum, non in sensu diminuente, sed potiùs in sensu expositivo, & causali est accipiendum, ita, vt sensus sit: *Verbum non assumpsit hominem*, quia ex hoc fieret, fore alterum præter ipsum, idest, fore aliud suppositum: vel *Verbum non assumpsit hominem*, quia hoc esset esse alterum ab ipso; sed in hoc sensu communem sententiam fovet, & oppositam excludit: ergo ex dicto testimonio rectè cōmunis sententia suadetur, efficacitèrque confirmatur. Maior ostenditur: quia testimonium Papæ potest in prædicto sensu accipi, & aliàs D. Thomas, & frequentius alij Theologi cum ipso, illud in hoc sensu acceperunt: ergo sic est accipiendum.

109 *Respondetur.*

Cæterum hæc impugnatio nobis magis displicet, quam solutio P. Vazquez displicere debuit authoribus, sententiam Ill. Godoy sequentibus. Vndè responderi potest negando maiorem, & illius probationes; vtraque namque est falsa; nā falsum est, quod testimonium Felicis Papæ posit in sensu expositivo, & causali accipi, quin contra mentem Felicis procedatur; & quando in dicto sensu posset accipi, hoc non esset absolutè, sed in aliquo tantum sensu, vt nos infrà dicemus, prædictum testimonium explicando. Deindè falsum etiam est, quod Theologi frequentius illud in sensu expositivo, & causali acceperint; nam in oppositum stant tot Theologi, quot citati manent pro nostra sententia, & v trà hoc P. Vazquez, etsi nostrę sentētiæ adversarius.

110 *Reijcit 2. Ill. Godoy. solutionem P. Vazquez*

Reijcit secundò Ill. Godoy *num.* 13. solutionem P. Vazquez: nam eadem propositio, nempè, *hominem à Verbo Dei assumptum non esse*, sine additamento habetur in Concilio Ephesino *part.* 3. ex Cyrilo *in defensione anathematismi 8. Non hominem assumptum esse dicimus à Deo Verbo; & in defensione anathematismi* 11. ibi: *Hominem verò assumptum esse à Verbo non videtur Sanctis Patribus, non sic senserunt, sed ipsum potiùs Verbum Dei Patris asserunt, factum esse hominem.* Quæ verba refert Bernal *disput.* 26. *sect.* 2. & ideò asserit, hominem propriè dictum, non esse à Divino Verbo assumptum, esse veritatem fidei: ergo non est, cur verba ex Felice relata non debeant sine limitatione, aut diminutione admitti.

111 *Si dicas.*

Si verò dicas: Cyrillum *in defensione 8. citat.* suprà verba adducta addidisse: *Et copulatum illi secundum habitudinem quandam, quæ extrinsecus intelligatur.* Ex quibus constans videtur, solum negasse Cyrillum, & cum ipso Synodum Ephesinam hominem assumptum à Verbo secundum extrinsecam habitudinem, qualitèr à Nestorio adstruebatur; non autem quod homo fuerit à Verbo assumptus per physicam coniunctionem. In contrarium obstat (inquit Ill. Godoy) nam verba illa super addita copulativè adijciuntur, ita, vt tota propositio sit hæc: *Non hominem assumptum esse à Deo Verbo dicimus, & copulatum illi secundum habitudinem quandam, quæ extrinsecus intelligatur*; quæ propositio copulativa est; sed vna pars propositionis copulativa non limitat aliam: ergo ex eo, quod in secunda parte neget coniunctionem extrinsecam, non sequitur, quod in prima parte, qua negat, hominem assumptum à Verbo, de extrinseca coniunctione loquatur.

Replicat Ill. Godoy.

Hoc tamen non obest; quia responderi potest: prędictam propositionem non esse copulativam, quia hoc non erat intentum Cyrilli. Vndè ly *&* non habet vim coniunctionis, sed gerere vices ly *vt*, ita, vt sensus sit: *Non hominem assumptum esse à Deo Verbo dicimus, vt copulatum illi secundum habitudinem quandam, quæ extrinsecus intelligatur*; alioquin Cyrillus à mente Concilij, & intento illius deficeret, quod non est dicendum.

112 *Respondetur.*

Reijcit tertiò *num.* 15. solutionem P. Vazquez: nam Eustarius Episcopus Betitensis in Concilio Calcedonensi *actione* 2. absolutè, & absque vllo addito diminuente, negavit, Verbum assumpsisse hominem, his verbis: *Hominem non assumpsit, sed homo factus est.* Quæ verba referunt Granadus, & Bernal à Concilio Calcedonensi approbata: ergo non est, cur verba, quæ ex Felice Papa adduximus, cum dicta limitatione accipiamus, ita, vt illud additum, *vt esset alter prætèr ipsum*, sumatur diminutivè, sed potiùs expositivè, exponendo, nempè, causam, cur

113 *Reijcit 3.*

non

non sit dicendum: *Verbum hominem assumpsit, sed homo factus est*, quia cum homo importet suppositum, dicendo: *Hominem assumpsit*, si in rigore, & proprietate accipiatur, denotatur suppositorũ distinctio, vt rectè notarunt, explicaruntque Suarez, & Lorca *in præsenti*; quod clariùs explicuit Maxentius *dialogo* 1. *contra Nestorium*, dicens: *Ego à Deo susceptum hominem nullatenus dicere audeo, sed Deum sine diminutione divinitatis suæ factum hominem fateor, ne, si susceptum hominem dixero, duas videar in Filio Dei prædicare personas.* Vbi verbum *nullatenus*, non excludit, quod possit aliquomodo dici, sed quod dici possit propriè. Vndè post illa verba subiunxit: *Melius ergo est susceptum à Deo naturam humanam, quam susceptum hominem dicere*, vbi, vt clarè constat, non omnino locutionẽ excludit, sed alteri locutioni postponit, & rectè, nam locutio propria, impropriæ locutioni præfertur.

114 *Respondetur.*

Sed nec hoc infirmat solutionem P. Vazquez: nam licèt in Concilio Calcedonensi absolutè, & absquè vllo addito diminuente negetur: *Verbum assumpsisse hominem*; semper tamen intelligitur cum addito diminuente, vt traditur in eodem Concilio. Et ratio est manifesta. Primò: quia si Concilium sentiret: prædictam propositionem esse absolutè veram, nunquam illam diminueret, alioquin sibi contradiceret; sed illam diminuit, vt constat ex verbis eiusdem Concilij ab Ill. Godoy in argumento traditis, & quibus vtitur P. Vazquez in responsione: ergo licèt absolutè in dicto Concilio negetur: *Verbum assumpsisse hominem*; semper tamen intelligitur cum addito diminuente, ab ipso Concilio tradito. Secundò: quia semel quod à Concilio aliqua propositio cum addito diminuente proferatur, locus non adest, vt absolutè intelligatur, etsi aliquando absolutè proferatur; alioquin sibi Concilium contradiceret; sed dubium nõ est, quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, proferatur à Concilio cum addito diminuẽte, vt ex ipso patet: ergo locus non adest, vt absolutè intelligatur, cum aliquando absolutè profertur. Tertiò: nam propositio cum addito diminuente nequit ascendere ad veritatem absolutam; vt patet in hac propositione, & ex hac in qualibet alia: *Homo albus secundum dentes*; sed hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, est in Concilio cum addito diminuente: ergo nequit ascendere ad veritatem absolutam.

Hęc dicta sunt in favorem solutionis P. Vazquez, qui re vera respondet iuxta intentum Concilij, vltra quod respondeo ad prædictum Ill. Godoy argumentum: Pontificem loqui contra Nestorium, & eius sequaces asserentes: Verbum assumpsisse hominem in proprio supposito subsistentem secundum aliquam vnionem accidentalem. Vndè in forma explico Pontificẽ: non homo, in proprio supposito subsistens, à Deo susceptus concedo; præcisè à supposito nego. Et quod hæc sit mens, & intentũ Pontificis, est luce clarius, hacque explicatione explicantur omnia ab Ill. God. adducta. Nec obest probatio, quam ex Maxentio adducit Ill. Godoy, & in qua magis fidere videtur; quia ex sequentibus verbis Maxentij (quæ silentio Ill. Godoy prætermittit) oppositum evidenter demonstrat, & nostram opinionẽ tuetur, vt optimè notavit P. Vazquez *in præsenti num.* 5. Maxentius itaquè paulo inferius ad verba, quæ adducit Ill. God, subiungit: *Dei verò, & hominis nomen naturis, & personis commune est, denique sicut totam Trinitatis Divinitatem significat nomen Dei, & ita vnamquamque personam ex Trinitate*; & post pauca: *Rursus homo, sicut personam, ita significat naturam, vndè & nonnulli Patres Sancti non quidem ad personam, sicut vos* (nempè, ò Nestoriani) *sed ad naturam potius respicientes, hominem assumptum à Deo dicere comprobantur.*

115 *Respondeo ad argumentum Ill. Godoy.*

Ex quibus constat: Maxentium non ideò negasse prædictum loquendi modum, quia re vera secundum proprietatem sermonis falsa sit, siquidem ingenuè fatetur nomen *homo* esse nomẽ naturæ, & personæ; vndè si sumatur pro natura, vt à multis Patribus sumitur, rectè dictum existimat: *Hominem fuisse assumptum à Verbo.* Et ideò dixisse: se non audere, vti prædicto modo loquendi, ne alicui videretur, eo nomine denotare personã, & ita in Nestorianum errorem incidere. Fatetur igitur nomen *homo* rectè accipi posse pro natura, & hoc modo acceptum rectè etiam dici: *Hominem assumptum fuisse à Verbo*, & in hoc sensu nonnullos Sanctos Patres aliquando fuisse locutos. Quare Maxentium dicere

Ego à Deo ſuſceptum hominem nullatenus dicere audeo: melius ergo eſt, ſuſceptam à Deo naturam humanam, quam ſuſceptum hominem dicere, non tollit, quod hæc locutio: *Verbum aſſumpſit hominem*, ſit vera in rigore ſermonis, præcipuè cũ ſuprà tot Conciliorũ, Patrum, & Eccleſiæ teſtimonia, ſit rationibus ſtabilitum; ſed ſolum deſervit ad oſtendendum contra Neſtorium, Verbum non aſſumpſiſſe hominem in proprio ſuppoſito ſubſiſtentẽ. Nec etiam obſtat, quod ſint aliæ authoritates aſſerẽtes: *Hominem non eſſe factum Deum*; quod vltrà explicationem datam, ſic explicantur: homo non eſt factus Deus per converſionem humanitatis in Deitatẽ concedo; ſine tali converſione nego; nam Patres, & Concilia propoſitione prædicta vtuntur contra alios Hæreticos tenentes: naturam humanam converſam eſſe in Deitatem, de quo diximus *num.* 13.

116 *Arguit 3. Ill. Godoy.* Arguit tertiò Ill. God. *num.* 16: nam commentarium Ludovici Vives *in cap.* 17. *lib.* 9. *de Civit. Dei*, vbi propoſitionẽ iſtam: *Verbum hominem aſſumpſit*, eſſe in rigore veram, aſſeruit, iuſſu Supræmi Senatus Inquiſitionis *anno Dñi.* 1584. abraſſum eſt. Et eadem propoſitio aſſerta à Ioanne Martinez, vel Gonçalez de Caſtilla, ab Vniverſitate Salmantina, Valliſ-Oletana, & Complutenſi, aliqua ex cenſuris Theologicis notata; quo circa iuſſu Toletani Sanctæ Inquiſitionis Tribunalis prædictæ propoſitioni *in lib. de Generatin.* aſſertę additum fuit in margine *cautè lege*: ergo illa propoſitio in proprietate ſermonis non poteſt tuto defendi.

117 *Reſpondetur.* Hoc argumentũ alia ſolutione non indiget, niſi, quod Ill. God. dicat, & exprimat ſenſum, & modum, quo Ludovicus Vives (quem ad manus non habeo) prædictam propoſitionẽ defendebat, ex eo namquè apparebit fundamentum, & ratio Supręmi Senatus Inquiſitionis, vt à commentario illius abraſa ſit. Et quod exprimat etiã modum, & ſenſum, in quo prædicta propoſitio aſſerta fuit à Ioanne Martinez, vel Gonçalez de Caſtilla (quem ſimiliter ad manus non habeo) vt videatur fundamentum, & ratio, quare ab Vniverſitate Salmantina, Valliſ-Oletana, & Complutenſi, aliqua ex cenſuris Theologicis notata ſit, quo circa iuſſu Toletani Sanctæ Inquiſitionis Tribunalis prædictæ propoſitioni *in lib. de Generation.* aſſertæ additum fuit in margine: *Cautè lege.*

Et quod hoc ſit neceſſariũ, eſt mihi evidens, nam durũ, & duriſsimum eſt, credere, quod commentariũ Ludovici Vives eo, præciſsè, quod in illo iſtã propoſitionẽ: *Verbum aſſumpſit hominẽ*, eſſe in rigore veram, aſſeruiſſet, iuſſu Supræmi Senatus Inquiſitionis abraſſum ſit; quod manifeſtè oſtendo. Primò: nam Ill. & RR. Rada, Archiepiſcopus Epiſcopus Pactenſi Typis mãdavit 3. *part. Controverſ. anno Dñi.* 1614. Philipus Faber Typis mandavit ſua opera *anno Dñi.* 1620. Franciſcus Felix opera de Incarnatione Typis mandavit *anno Dñi.* 1641. atqui iſti, vt relatũ eſt *num.* 15. habent, & defendunt: prædictam propoſitionem eſſe veram in rigore ſermonis, quin talis propoſitio ab eorum ſcriptis abraſa ſit: ergo durum eſt, credere, quod commentarium Ludovici Vives eo, præciſsè, quod in illo iſtam propoſitionem: *Verbum aſſumpſit hominem*, eſſe in rigore veram, aſſeruiſſet, iuſſu Supræmi Senatus Inquiſitionis abraſſum ſit.

118 *Firmatur ſolutio 1.*

Oſtenditur ſecundò: multo namquè ante *annum Domini* 1584. opera Subtilis Magiſtri in lucem edita ſunt; ſed hic habet, & defendit: prædictam propoſitionem eſſe veram in rigore, & proprietate ſermonis, quin hæc, ſicut & nulla alia de omnibus, ab ipſo traditis in eius ſcriptis, abraſa ſit: ergo idem quod prius. Omito alios Authores, qui eandem propoſitionem eſſe veram in rigore ſermonis defendunt, quin iuſſu nullius Tribunalis propoſitio prędicta ſit abraſa, nec ab Vniverſitate aliqua aliqua ex cenſuris Theologicis ſit notata. Et meritò illos omitto, quia tàm relati *numer. antecedent.* quàm omnes, quos referre poteram, neceſſarij non ſunt, cum ſolus ſufficiat Scotus.

119 *Firmatur 2.*

Tertiò oſtenditur: nam ſi hæc propoſitio: *Verbum aſſumpſit hominem*, abraſa eſſet in commentario Ludovici Vives iuſſu Supræmi Senatus Inquiſitionis, & ab vniverſitatibus prædictis aliqua ex cenſuris Theologicis notata eſſet, eo præciſsè, quod dicatur, eſſe veram in rigore ſermonis; abraſa deberet eſſe in Concilijs, Patribus, & Eccleſia, aliquaque ex cenſuris Theologicis notata ex Communi Theologorum conſenſu; atqui hoc eſt durum, & duriſsimum: ergo idem

120 *Firmatur 3.*

quod

quod antea. Probatur maior: hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, debet esse vera in rigore sermonis iuxta Communem Theologorum consensum; sed hæc propositio traditur in Concilijs, Patribus, & Ecclesia: ergo si dicta propositio abrasa esset in commentario Ludovici Vives, iussu Inquisitionis, & ab Vniversitatibus prædictis aliqua ex censuris Theologicis notata esset, eo præcisè, quod dicatur esse veram in rigore sermonis; abrasa deberet esse in Concilijs, Patribus, & Ecclesia, aliqua ex censuris Theologicis notata ex consensu Communi Theologorum. Probatur maior: propositio, quę non semel, aut iterum, sed sæpè in Concilijs, Patribus, & Ecclesia absolutè profertur, debet esse vera in rigore sermonis ex Communi Theologorum consensu; sed dicta propositio non semel, aut iterũ, sed sæpè in Concilijs, Patribus, & Ecclesia absolutè profertur: ergo dicta propositio debet esse vera in rigore sermonis iuxta Communem Theologorum consensum. Consequentia est legitima. Minor probata manet *num.* 16. & concessa ab Ill. Godoy, vt vidimus *num.* 19. Maior verò, in qua potest esse difficultas, probata manet ad hominem contra ipsum *à num.* 22. *vsque ad num.* 54.

121 *Firmatur* 4. Firmatur quartò: si hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, abrasa esset in commentario Ludovici Vives iussu Supræmi Senatus Inquisitionis, & ab Vniversitatibus prædictis aliqua ex censuris Theologicis notata esset, eo præcisè, quod dicatur, esse veram in rigore sermonis; abrasa deberet esse in Caietano, Valentia, Vazquez, Hurtado, & quod magis est in Div. Bonaventura, hæc propositio: *Christus est creatura*, & in Fabro, Vazquez, & Hurtado, abrasa deberet esse hæc: *Christus incæpit esse*, eo, quod prędictas propositiones esse veras in rigore sermonis, tenent Authores prædicti; & vltrà vtraque propositio deberet esse ab Vniversitatibus aliqua ex censuris Theologicis notata; atqui hoc fatendum non est: ergo, &c. Probatur maior: eadem est de omnibus ratio: ergo si prima abrasa est; aliæ etiam abrassæ deberent esse. Probatur antecędens: si hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, abrasa esset, esset propter periculum incidendi cum Nestorio, & Hæreticis asserentibus: *Verbum assumpsisse hominem*, in proprio supposito subsistentem; sed in his propositionibus: *Christus est creatura. Christus incæpit esse*, est periculum incidendi cum Arrianis dicentibus: *Verbum fuisse creaturam, & creatum*: ergo eadem est de omnibus ratio. Probatur minor: ideò in hac propositione: *Verbum assumpsit hominem*, est periculum incidendi cum Nestorio, & Hæreticis asserentibus: *Verbum assumpsisse hominem*, in proprio supposito subsistentẽ, quia *homo* supponit pro supposito; atqui æquè *Christus* pro supposito supponit: ergo in his propositionibus: *Christus est creatura. Christus incæpit esse*, est periculum incidendi cũ Arrianis dicentibus: *Verbum fuisse creaturam, & creatum.* Consequentia legitimè infertur ex præmissis. Præmissæ autem sunt notoriæ.

122 *Respondetur in forma ad argument.* Ex his itaquè ad argumentum Ill. Godoy potest in forma responderi negando antecedens: nam non constat, quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, abrasa sit iussu Supræmi Senatus Inquisitionis eo, quod, esse veram in rigore sermonis, asseruisset Ludovicus Vives, & fortè hoc erit idem cum illo, quod dixit Caietanus de proprietate huius propositionis: *Christus incæpit esse*, scilicet, quod damnata fuit Parisijs, & famam fuisse, etiam fuisse damnatam ab Alexandro VI. ad quem fuit appellatum, cuius damnatio non constat. Nec similitèr constat; prædictam propositionem ab Vniversitate Salmantina, Vallis-Oletana, & Complutensi aliqua ex censuris Theologicis notatam fuisse; cum quotidiè in prædictis Vniversitatibus defendatur, prædictam propositionẽ esse veram in rigore, & proprietate sermonis, vt ipsa docet experientia.

123 Quod autem iussu Toletani Sanctę Inquisitionis Tribunalis prædictæ propositioni in libris de Generatione assertæ à Ioanne Martinez, vel Gonçalez de Castilla, additum fuisse in margine: *Cautè lege*, nullatenùs obest, vt propositio prædicta sit in rigore vera; quia hoc idem, etsi alijs terminis, prius animadvertit Scotus de his propositionibus: *Christus est creatura. Christus incæpit esse*, de quibus ait: quod licèt in rigore sermonis veræ sint; ab eis tamen abstinendum est, ne habeamus verba communia cũ Arria-

nis, qui dicebant, Christum esse creaturam, & incæpisse esse, ad significandum, quod Verbum secundum quod Verbum est, est creatura, & incæpit esse, quod absit à nobis. Similiter igitur de ista propositione: *Verbũ assumpsit hominem*; licèt enim ab ea abstineamus, ne habeamus verba communia cum Nestorio, & eius Sequacibus dicentibus: Verbum assumpsisse hominem, in proprio supposito subsistentem; hoc tamen non tollit, vt prædicta propositio sit vera in rigore, & proprietate sermonis.

124 *Retorqueo argument. contra Ill. Godoy, & Thomistas omnes.*

Deniquè retorqueo argumentum contra Ill. Godoy, & omnes Thomistas: hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, nequit in rigore, & proprietate sermonis defendi; quia ab Vniversitate Salmantina, Vallis-Oletana, & Complutensi, aliqua ex censuris Theologicis notata est: ergo hęc propositio: *Angeli non possunt solum numero multiplicari*, nequit defendi. Atqui est contra rigidiores Thomistas asserentes: repugnare multiplicitatem tantum individualem, seu numericam Angelorum: ergo argumentum, quod contra nos desumunt ex censura à prædictis Vniversitatibus data, procedit etiam contra ipsos, ab ipsisque consequentèr solvi debet. Omnia sunt vera, si vera est consequentia prima. Prima verò consequentia probatur: hæc propositio: *Angeli nequeunt solum numero multiplicari*, damnata fuit Academia Parisiensi, & Episcopo suo Estephano, vt habetur in fine lib. Magistri Sententiarum inter errores de Angelo, seu intelligentiæ: ergo dicta propositio nequit defendi. Antecedens est certum, & consequentia legitima, vltrà quod hoc demonstratur syllogismo: ideò iuxta Ill. Godoy hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, nequit in rigore, & proprietate sermonis defendi, quia ab Vniversitatibus Salmantina, Vallis-Oletana, & Complutẽsi, aliqua ex censuris Theologicis est notata; atqui hæc propositio: *Angeli nequeunt solum numero multiplicari*, damnata fuit Academia Parisiensi, & Episcopo suo Estephano: ergo dicta propositio, quia damnata, nequit defendi.

****

§. VII.

Rationibus Theologicis Ill. Godoy occurritur.

125 *Arguit ratione Theologica. 1.*

DVplici ratione Theologica arguit Ill. Godoy contrá nostram conclusionem, quarum primam tradit *num.* 22. & in hunc modum formatur: si namquè huiusmodi propositio: *Verbum Dei assumpsit hominem*, esset vera in rigore, & proprietate sermonis, sequeretur, Verbum assumpsisse non solum humanitatem, sed etiam humanum suppositum: consequens est erroneum: ergo dicta propositio non est vera in proprietate sermonis. Consequentia tenet. Minor est certa; aliàs essent in Christo duę hypostases, & duo suppositа; nam assumptum manet in assumente, & consequentèr, si suppositum humanum fuit a Verbo Dei assumptum; mansit in Christo, ac per consequens in illo sunt duæ hypostases, & duo suppositа, vt aliqui antiquiores dixerunt, proximè adhærentes Nestorio, quorum sententiam refert D. Thomàs *suprà quæst. 2. art. 3* & reijcit, vt erroneam *ibi, & in hac quæst. artic. 3. in corpore.* Maior autem probatur: homo namquè licèt de formali solum humanitatem significet; de materiali tamen, & indistinctè significat suppositum habens humanitatem, & pro illo supponit: ergo Verbum hominem assumere propriè, & in rigore, est, assumere suppositum, & consequentèr ex proprietate prædictæ propositionis sequitur, Verbum assumpsisse, non solum humanitatem, sed etiam humanum suppositũ. Consequentia tenet. Antecedens traditur à D. Thoma *in 1. dist. 4. quæst. 1. artic. 2. in corpor. 1. part. quæst. 39. artic. 4. in corpor. & in præsenti quæst. 4. artic. 3.* quibus locis, & *alibi* passim docet: ly *homo* significare naturam per modum perfecti, & cum natura suppositalitate compleatur, & perficiatur, illam significat, vt in supposito, & in habente naturam, & indè provenire, vt nomẽ *homo* posit ex modo suæ significationis supponere pro persona in singulari.

126 *Ostenditur 1. ex Damascen.*

Et ostenditur primò ex Damasceno relato à D. Thoma *in præsenti artic. 3. in corpor. lib. 3. cap. 4. in principio, & cap. 11. circa finem*, vbi docet: quod sicut hoc nomen *Deus*, significat eum, qui habet Divinam naturam: ita nomen *homo* significat eum, qui habet naturã

hu-

humanam : ergo iuxta Damascenum nomen *homo*, idemque de alijs nominibus concretis dicendum, significat humanitatem, vt in habente, & de materiali importat suppositum. *Secundò.* Secundò probatur : nam homo est habens humanitatem, & è converso, habens humanitatem est homo : ergo homo, & habens humanitatem supponunt pro eodem; sed habens humanitatem supponit pro supposito humanę naturę: ergo homo pro eodem supponit, & consequentèr illud de materiali, & implicitè saltim, significat; terminus namquè non potest supponere, nisi pro eo, quod de materiali saltim significat. *Tertiò.* Tertiò: nam istę propositiones sunt veræ : *Petrus est homo. Paulus est homo*; sed si homo non supponeret pro supposito habente humanitatem, non possent esse verę; quo circa istæ propositiones: *Petrus est humanitas. Paulus est humanitas*, verę non sunt, quia humanitas non supponit pro habente naturam, sed pro natura ipsa: ergo homo supponit pro habente humanitatē, & consequentèr, saltim de materiali, importat suppositum.

127 *Respondeo 1. ad arg.* Respondeo primò ad argumentum negando maiorem; ad cuius probationem distinguo antecedens quoad secundam partem: homo non determinatus, vt pro individuo naturæ supponat, significat suppositum habens humanitatem, & pro illo supponit concedo antecedens; determinatus, vt pro individuo naturæ supponat nego antecedens, & consequentiam. Vel alitèr distinguo antecedens: homo regularitèr loquendo significat suppositum habens humanitatē, & pro illo supponit concedo antecedens; semper nego antecedens, & consequentiam. Ratio vtriusque solutionis habetur ex dictis; nam licèt regularitèr loquendo *homo* supponat pro supposito, potest tamen determinari à prædicato, vt pro supposito non supponat; prædicata namquè, vt habet Ill. Godoy *num.* 26. trahunt aliquando subiecta ad standum pro aliquo, pro quo de se termini non supponunt, & claret in hac propositione : *Homo est species*, in qua concedit *num.* 25. quod *homo* non pro supposito, sed pro natura communi supponit. Claret denique in his propositionibus : *Album est disgregativum visus. Calidum est accidens*, in quibus licèt regularitèr loquendo *album*, & *calidum* supponant pro subiectis, determinantur à prædicatis, vt non pro subiectis, sed pro formis supponant.

128 *D. Thomàs explicatur.* Nec probationes antecedentis, quas adducit Ill. Godoy obstant nostræ solutioni, & minus obstat, quod D. Thomàs *citat. in argumento*, doceat: ly *homo* significare naturam per modum perfecti, vt ex hoc inferat Ill. Godoy, illā significare, vt in supposito, & in habente naturam, consequentèrque ex modo suæ significationis supponere pro persona. Minus (inquam) obstat: nam si hæc illatio esset bona, eadem illatio contra Concilia facienda esset: asserunt namquè: *Filium Dei perfectum hominem assumpsisse*, vt dictum manet *num.* 16. Vndè potest distingui illud, quod vices minoris gerit, scilicet, natura suppositalitate completur, & perficitur in esse supposito omitto; in esse naturæ nego, & nihil contra nos ex ibi dictis à D. Thoma, qui sic valet explicari, & conformitèr ad Concilia.

129 *Ad 1. probationem.* Ad primam itaquè probationem ex Damascen. explico antecedens : sicut hoc nomen *Deus* regularitèr loquendo, seu non determinatus, vt pro individuo naturæ Divinæ supponat, significat eum, qui habet naturam Divinam; ita hoc nomen *homo* regularitèr loquendo, & non determinatus, vt pro individuo naturæ humanæ supponat, significat eum, qui habet naturam humanam concedo antecedens; sicut hoc nomen *Deus* semper, seu determinatus, vt pro individuo naturæ Divinæ supponat, significat eum, qui habet naturam Divinam, ita hoc nomen *homo* semper, seu determinatus, vt pro individuo naturę humanæ supponat, significat eum, qui habet naturam humanam nego antecedens, vel suppositum, & nego consequentiam ob rationem traditam.

130 *Ad 2.* Ad secundam probationem antecedentis distinguo similitèr primam partem antecedentis: homo regularitèr loquendo, & non determinatus, vt pro individuo naturæ supponat, est habens humanitatem concedo antecedens; semper, seu determinatus, vt pro tali individuo supponat nego antecedens; concedo secundam partem antecedentis, & distinguo consequēs: ergo homo, & habens humanitatem supponunt pro eodem, sumpto homine regularitèr loquendo, & non

de-

determinato, vt pro individuo naturæ ſupponat, concedo conſequentiã; ſumpto homine ſemper, ſeu determinato, vt pro tali individuo ſupponat, nego conſequentiam, & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia licèt habens humanitatem ſemper pro ſuppoſito ſupponat; non verò homo ob rationem iam dictam. Ad tertiam probationem conceſſa maiori, & minori omiſſa, diſtinguo conſequens: ergo homo ſupponit pro habente humanitatem in illis propoſitionibus: *Petrus eſt homo. Paulus eſt homo*, omitto conſequens; in hac propoſitione: *Homo factus eſt Deus*, vel *Verbum aſſumpſit hominem*, nego conſequentiam, vt ex noſtris probationibus liquet.

Ad 3.

131 *Retorqueo 1. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Et iuxta hanc ſolutionem retorqueo primò argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: prædicata aliquando trahunt ſubiecta ad ſtandum pro aliquo, pro quo de ſe termini nõ ſupponunt: ergo licèt homo de ſe nõ ſupponat pro individuo naturæ, poteſt à prædicato determinari, vt pro tali individuo ſupponat. Antecedens eſt Ill. Godoy *num.* 26. & rationem aſſignat, nempè, quia prædicatum in propoſitione ſe habet vt forma; at ſubiectum ſe habet vt materia.

132 *Retorqueo 2.*

Retorqueo ſecundò etiam ad hominem contra ipſum: licèt homo ſignificet ſuppoſitum habens humanitatem, & pro illo ſupponat, poteſt à prædicato trahi ad ſtandum, non pro ſuppoſito, ſed pro natura communi, vt claret in hac propoſitione: *Homo eſt ſpecies*: ergo licèt homo ſignificet ſuppoſitum habens humanitatem, & pro illo ſupponat, poteſt determinari à prædicato, vt pro ſuppoſito non ſupponat. Conſequentia eſt notoria. Antecedens autem eſt Ill. Godoy *num.* 25. Nec obeſt, quod reſpondere valet ipſe, ſcilicet, quod prædicatum huius propoſitionis: *Homo eſt ſpecies*, eſt ſecundæ intentionis, cuius oppoſitum contingit in propoſitione, de qua loquimur. Non obeſt certè, quia hoc præcluſum manet *num.* 68 & ampliùs præcluſum manebit per dicenda *num.* 130. *cum ſequentibus.*

133 *Retorqueo 3.*

Retorqueo tertiò: cum hoc, quod homo de formali ſolum humanitatem ſignificet; de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificet ſuppoſitum habens humanitatem, & pro illo ſupponat, ſtat, quod homo ita à prædicato determinetur, vt pro ſuppoſito non ſupponat: ergo nulla eſt probatio Ill. Godoy. Probatur antecedens: cum hoc, quod album, & calidum de formali ſolum ſignificent albedinem, & calorem; de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificent ſubiecta habentia albedinem, & calorem, ſtat, quod album, & calidum ita à prædicatis determinentur, vt pro ſubiectis non ſupponant: ergo paritèr. Antecedens patet in his propoſitionibus: *Album eſt diſgregativum viſus. Calidum eſt accidens.* Conſequentia paritate rationis videtur certa, & vltrà probatur: non minus album, & calidum pro formali ſignificant ſolum albedinem, & calorem, & de materiali, & indiſtinctè ſignificant ſubiecta habentia albedinem, & calorẽ, & pro illis ſupponunt, ac homo de formali ſolum humanitatem ſignificat, & de materiali, & indiſtinctè ſignificat ſuppoſitum habẽs humanitatem, & pro illõ ſupponit; atqui cum hoc, quod album, & calidũ de formali ſolum ſignificent albedinem, & calorem, de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificent ſubiecta habentia albedinem, & calorem, ſtat, quod albũ, & calidum ita à prædicatis determinentur, vt pro ſubiectis non ſupponant: ergo ſimiliter de homine.

134 *Retorquèo 4.*

Retorqueo quartò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: homo namque, licèt de formali ſolum humanitatem ſignificet; de materiali tamen, & indiſtinctè ſignificat ſuppoſitum habens humanitatem, & pro illo ſupponit: ergo *Deum fieri hominem* propriè, & in rigore eſt fieri ſuppoſitum, & conſequentèr ex proprietate prædictæ propoſitionis ſequitur, non ſolum Deum fieri humanitatem, ſed etiam humanum ſuppoſitum. Antecedens eſt idem, quod Ill. Godoy in argumento tradit. Conſequentia etiã eſt eadem cum conſequentia ab eo adducta, cum hoc tamen diſcrimine: quod ipſe infert contra nos abſurdũ aſſumptionis ſuppoſiti humani ex eo, quod aſſeramus, hanc propoſitionẽ: *Verbum aſſumpſit hominem*, eſſe veram in rigore ſermonis; nos autem idem abſurdum intulimus contrà ipſum ex eo, quod aſſerat, vt Thomiſtę cum Div. Thoma aſſerunt: hanc propoſitionem: *Deus factus eſt homo*, eſſe veram in rigore ſermonis.

Si verò pro ipſo dicas: aliam eſſe

135

dif-

differentiam inter propositionē contra nos illatam, & propositionē contra ipsum deductam, nempè, quod in propositione contra ipsum deducta, *homo* est prædicatum; in propositione verò contra nos illata, *homo* est subiectum. Contra primò: quia hoc effugium præclusum manet *n.* 73. & 74. de quo ibi, & vltrà ibi dicta. Contra secundò: nam iuxta Ill. Godoy *num.* 23. in his propositionibus: *Petrus est homo. Paulus est homo*, ly *homo* supponit pro supposito; sed est prædicatum in vtraque: ergo non obest, quod sit prædicatum, vt pro supposito supponat: ruit ergo solutio. Contra tertiò: nam secundum Ill. Godoy *num.* 26. in hac propositione: *Petrus est homo*, ly *homo*, qui est prædicatum, supponit pro supposito ex natura sua: ergo quod sit prædicatum non obest, vt pro supposito supponat: nulla igitur est differentia allata.

Si dicas.

Contra 1.

Contra 2.

Contra 3.

136 *Retorqueo* 5. Retorqueo deniquè argumentum: licèt homo de formali solum humanitatem significet; de materiali tamē, & indistinctè significat suppositum habens humanitatem, & pro illo supponit: ergo Verbum hominem assumere propriè, & in rigore est, assumere suppositum, quod est hæreticum: ergo Concilia, Patres, & Ecclesia non semel, aut iterum, sed sæpè prædictam propositionem proferentia, proferunt propositionem hæreticam in rigore. Atqui dissonum videtur, quod propositionem in rigore hæreticam non semel, aut iterum, sed sæpè Concilia, Patres, & Ecclesia proferant: ergo dicendum non est, quod *homo* in propositione prædicta in rigore accepta, significet suppositum habens humanitatem, & pro illo supponat.

137 *Respondeo 2. ad arg.* Respondeo secundò ad suprà positum argumentum negando maiorē, & aliter distinguendo antecedens probationis quoad secundam partē: homo de materiali, & indistinctè significat suppositum habens humanitatem, & pro illo supponit, secundum quod homo dicit de materiali, seu de connotato concedo antecedens; secundum quod homo dicit de principali significato nego antecedens, & consequentiam. Homo itaquè dicit de connotato suppositum, & de principali significato individuum naturæ humanæ; sed veritas propositionis potest attendi pœnès principale significatum, & non pœnès connotatum, vt claret per rationem traditam in prima responsione, & per exempla in retorsionibus adducta: ergo veritas huius propositionis: *Homo factus est Deus*, vel *Verbum assumpsit hominem*, potest attendi pœnès principale hominis significatum, & non pœnès connotatum. Et iuxta hanc distinctionem distinguntur probationes, ex ipsaque iterum resurgunt retorsiones factæ.

138 *Dices cum Ill. Godoy.* Nullam ex his solutionibus adducit Ill. Godoy; sed ne aliquid ex ab ipso adductis, quod nostræ posit obstare sententiæ, ommitamus; contra vtramque dices cum ipso *num.* 27: nā si homo de se supponeret solum pro humanitate, hæc propositio: *Homo est humanitas*, esset vera, imò essentialis, & æternæ veritatis: consequens est falsum: ergo ly *homo* de se non supponit pro humanitate, sed pro habente humanitatem. Consequentia tenet. Maior est certa; nam veritas propositionis pensatur pœnès terminorum significata, & illorum suppositionem: ergo si ly *homo* ex se significat solum naturam humanam, & pro illa supponit, hæc propositio: *Homo est humanitas*, vera, & essentialis erit, & æternæ veritatis; sicut hęc: *Homo est rationalis, animal, vivens, &c.* Minor autem probatur: nam ex veritate prædictæ propositionis sequitur hanc esse veram: *Petrus est humanitas*; consequens est falsum: ergo hæc propositio: *Petrus est humanitas* non est vera. Consequentia tenet. Minor est certa; cum enim Petrus sit persona humana, si hæc esset vera: *Petrus est humanitas*, hæc etiā esset vera: *Persona humana est humanitas*; & consequentèr persona nihil adderet naturæ, quod ab illa esset distinctum.

139 *Sequela probat.* 1. Sequela autem ostenditur primò ex communi Dialecticorum axiomate, in quo ars syllogistica tota fundatur, nimirum: *Quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto*, quod maximè verum tenet in prædicatione essentiali; sed hæc est essentialis, & vera: *Petrus est homo*: ergo si humanitas propositione vera essentiali prædicaretur de homine, prædicabitur etiam verè de Petro, & consequentèr hæc propositio: *Petrus est humanitas*, erit vera.

Secundò. Secundò probatur ex alia doctrina

Dialecticis etiam communi, ſcilicet, quod *in materia naturali ab indefinita valet ad vniverſalem*, v. g. quia hæc propoſitio: *Homo eſt animal*, eſt in materia naturali, tenet hæc conſequentia: *Homo eſt animal: ergo omnis homo eſt animal*, quamvis conſequentia formalis non ſit, quia inſtatur in materia contingenti; vndè hæc conſequentia, quæ cum præcedenti eſt ſimilis formæ, non valet: *Homo currit: ergo omnis homo currit*, quia antecedens eſt verũ, vno tantum homine currente: conſequens autem eſt falſum, ſi alij homines ſint, & non currant, ſed vel ſedeãt, vel ſtent; ſed hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, ſi eſt vera eſt eſſentialis, & conſequentèr eſt in materia non contingenti, ſed naturali: ergo ex illa infertur vniverſalis; & conſequentèr hæc conſequentia tenebit ratione materiæ: *Homo eſt humanitas: ergo omnis homo eſt humanitas*; ſed hæc conſequentia eſt in Dari: *Omnis homo eſt humanitas, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt humanitas*: ergo de primò ad vltimum per mediatas conſequentias infertur ex veritate iſtius: *Homo eſt humanitas*, quod hæc propoſitio ſit vera: *Petrus eſt humanitas*.

140 *Tertiò.* Tertiò probatur ſequela: nam ſuppoſitio naturalis eſt *acceptio termini pro omni eo, pro quo poteſt ſupponere*; ſed ſi hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas* eſt vera, & eſſentialis, ly *homo* in illa ſupponit naturali ſuppoſitione: ergo accipitur pro omni eo, pro quo ſupponere poteſt; ſed ly *homo* poteſt ſupponere pro Petro: ergo accipitur pro illo, & conſequentèr, ſi hæc propoſitio: *Homo eſt humanitas* eſt eſſentialis, & vera, verè humanitas affirmatur de Petro. Deiniquè probatur ſequela: nam Petrus ſuprà hominem ſolum addit ecceitatem, & conditiones individuantes; ſed ecceitas non poteſt reddere falſam prædictam propoſitionẽ; nam hæc propoſitio: *Hæc humanitas eſt humanitas*, eſt vera in communi Dialecticorum ſententia; & tamen in illa ecceitas ex parte ſubiecti importatur: ergo ſi hęc propoſitio: *Homo eſt humanitas*, eſt vera, hæc etiam: *Petrus eſt humanitas* vera erit.

Quartò.

141 *Reſpondetur.* Hæc replica Ill. Godoy falſum ſupponit: ſupponit namquè, quod ſi homo non ſupponit pro habente humanitatem, ſeu pro ſuppoſito, ſupponit ſolum pro humanitate in abſtracto, quod eſt falſum; nam ſupponit pro individuo naturæ humanæ, ſeu pro hac humanitate, vt diximus *num.* 10. & 11. & pluries in diſcurſu diſputationis, vndè dicimus, & aſſerimus: quod *homo* in iſta propoſitione: *Homo factus eſt Deus*, ſeu *Verbum aſſumpſit hominem*, ſupponit pro individuo naturæ humanæ, ſeu pro hac humanitate, quod eſt ſupponere ſuppoſitione particulari, vel individuali, & hoc modo fatetur Ill. Godoy *num.* 31. ſupponit *homo* in hac propoſitione: *Verbum aſſumpſit hominem*; ex quo adhuc omiſſis præmiſſis, negatur ſuppoſitum conſequentis pro ſecunda parte.

142 *Alitèr formatur contra nos replica Ill. Godoy.* Sed licèt hæc ſit noſtra doctrina, & vera ſit ſolutio data ad replicam, vt ab Ill. Godoy efformatam; vim tamẽ illius, ſi vim habet, ſolutio non tollit, ideòquè alitèr contra nos formatur replica: ſi *homo* ſupponeret pro hac humanitate, hæc propoſitio: *Homo eſt hæc humanitas*, eſſet vera, imò eſſentialis, & æternæ veritatis; conſequens eſt falſum: ergo ly *homo* non ſupponit pro hac humanitate, ſed pro habente humanitatem. Probatur minor: ex veritate prędictę propoſitionis ſequitur, hanc eſſe veram: *Petrus eſt hæc humanitas*; conſequens eſt falſum: ergo hæc propoſitio: *Homo eſt hæc humanitas*, non eſt vera. Minor, & conſequentia tenent.

143 *Maior probatur 1.* Sequela autem oſtenditur primò ex communi Dialecticorum axiomate, ſcilicet, *quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de ſubiecto*, quod maximè verum tenet in prædicatione eſſentiali; ſed hæc eſt eſſentialis, & vera: *Petrus eſt hic homo*: ergo ſi humanitas propoſitione vera eſſentialitèr prædicaretur de homine, prædicabitur etiam verè de Petro, & conſequentèr hæc: *Petrus eſt hæc humanitas*, erit vera.

Secundò. Secundò probatur ex alia doctrina etiam Dialecticis communi, ſcilicet, quod *in materia naturali ab indefinita valet ad vniverſalem*, v. g. quia hęc propoſitio: *Hic homo eſt animal*, eſt in materia naturali, tenet hæc conſequentia: *Hic homo eſt animal: ergo omnis homo eſt animal*, quamvis conſequentia formalis non ſit, quia inſtatur in materia contingenti; vndè hæc conſequentia, quæ cum præcedenti eſt ſimilis formę, non valet: *Hic homo currit: ergo om-*

nis homo currit, quia antecedens est verum, vno tantum homine currente: consequens autem est falsum, si alij homines sint, & non currant, sed vel sedeant, vel stent; sed hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, si est vera, est essentialis, & consequenter est in materia non contingenti, sed naturali: ergo ex illa infertur vniversalis; & consequenter hæc consequentia tenebit ratione materiæ: *Homo est hæc humanitas: ergo omnis homo est hæc humanitas*; sed hæc consequentia est in Dari: *Omnis homo est hæc humanitas. Petrus est homo: ergo Petrus est hæc humanitas*: ergo de primò ad vltimum per mediatas consequentias infertur ex veritate istius: *Homo est hæc humanitas*, quod hæc propositio sit vera: *Petrus est hæc humanitas*.

144 *Tertiò.* Tertiò probatur: nam suppositio naturalis est *acceptio termini pro omni eo, pro quo potest supponere*; sed si hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, est vera, & essentialis, ly *homo* in illa supponit naturali suppositione: ergo accipitur pro omni eo, pro quo supponere potest; sed ly *homo* potest supponere pro Petro: ergo accipitur pro illo, & consequenter, si hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, est essentialis, & vera, verè humanitas affirmatur de Petro. Denique sequela probatur: nam Petrus suprà hominem solum addit ecceitatem, & conditiones individuantes; sed ecceitas non potest reddere falsam prædictam propositionem; nam hæc propositio: *Hæc humanitas est humanitas* est vera in communi Dialecticorum sententia; & tamen in illa ecceitas ex parte subiecti importatur: ergo si hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, est vera, vera etiã erit hæc: *Petrus est hæc humanitas*.

145 *Respondeo 1. ad replicam.* Respondeo primò ad replicam sub prædicta forma factam, distinguendo maiorem: si homo supponeret pro hac humanitate, hæc propositio: *Homo est hæc humanitas* esset vera, in propositione, in qua homo supponeret pro humanitate concedo maiorem; esset vera in propositione, in qua homo supponeret pro persona nego maiorem; & distinguo minorem: falsum est, quod hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, sit vera in propositione, in qua homo supponit pro persona concedo minorem; in propositione, in qua homo supponit pro hac humanitate nego minorem, ad cuius probationem nego sequelam, quia homo respectu Petri semper pro persona supponit, consequenterque falsum semper est, quod *Petrus sit hæc humanitas*, per quod patet ad probationes sequelæ.

146 *Respondeo ad 1. probationem maioris.* Ad primam itaque sequelæ probationem respondeo distinguendo maiorem: *Quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto*, suppositione invariata concedo maiorem; variata suppositione nego maiorem; & distinguo minorem: sed hæc est essentialis, & vera: *Petrus est hic homo*, homine supponente personaliter concedo minorem; supponente suppositione particulari, vel individuali solũ nego minorem, & consequentiam, quia variatur suppositio; nam in hac propositione: *Petrus est hic homo*, ly *homo* supponit suppositione personali; in hac autem propositione: *Homo est hæc humanitas*, homo supponit suppositione particulari, vel individuali dumtaxat; vndè licèt hæc sit vera: *Homo est hæc humanitas*, falsa tamen semper est hæc: *Petrus est hæc humanitas*.

Ad 2. Ad secundam sequelæ probationem concessò syllogismo, distinguo sussumptam: hæc consequentia est in Dari: *Omnis homo est hæc humanitas. Petrus est homo: ergo Petrus est hæc humanitas*, variata suppositione concedo minorem; suppositione invariata nego minorem, & consequentiam, vt claret ex solutione ad primam.

147 *Ad 3.* Ad tertiam respondeo concessa maiori, negando minorem; quia ex Doctrina Dialecticis communi, suppositio naturalis est membrum dividens suppositionem personalem; hæc namque inter alias diuisiones dividitur in suppositionem naturalem, & accidentalem; cum ergo in hac propositione: *Homo est hæc humanitas*, ly *homo* non supponat personaliter, supponere nequit suppositione naturali; alioquin esset membrum dividens absque ratione diuisi, quod repugnat, & exemplum est: nam quia rationale, & irrationale sunt membra dividentia animal, repugnat, quod sit rationale, vel irrationale, quod animal non sit. Similiter igitur: quia suppositio naturalis, & accidentalis sunt mẽbra dividentia suppositionem personalem, repugnat, quod sit suppositio

naturalis, vel accidentalis, quæ non sit personalis suppositio: ergo cum *homo* in dicta propositione non supponat personaliter, supponere nequit in illa propositione suppositione naturali.

Ad 4. Ad quartam denique respondeo negando maiorem; quia Petrus suprà hominem addit personalitatem, quæ valdè ab ecceitate, & conditione individuante, seu à singularitate distinguitur; cum in nostra doctrina singularitas realiter identificetur cũ natura, à qua personalitas distinguitur realiter.

148 *Retorqueo 1.* Soluta iam replica Ill. Godoy cum omnibus suis probationibus sic, vel sic efformatis, restat nunc replicam in ipsum retorquere. Retorqueo itaque primò: si homo supponeret suppositione simplici, hæc propositio: *Homo est species*, esset vera; consequens est falsum: ergo ly *homo* non supponit suppositione simplici. Consequentia tenet. Maior est certa; nam veritas propositionis, vt ait Ill. Godoy in replica, pensatur pœnès terminorum significata, & illorum suppositionem: ergo si ly *homo* significat solam naturam humanam, vt subest secundæ intentioni, & pro illa supponit, hęc propositio: *Homo est species, vera erit.* Minor autem probatur: nam ex veritate prædictæ propositionis sequitur, hanc esse veram: *Petrum est species*; consequens est falsum: ergo hęc propositio: *Homo est species*, non est vera. Consequentia tenet. Minor probatur eadem ratione, qua suam minorem probat in replica Ill. Godoy.

149 *Probatur sequela 1.* Sequela autem ostenditur primò ex communi Dialecticorum axiomate, in quo ars syllogistica tota fundatur, nimirum, *quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto*; sed hæc est vera: *Petrus est homo*: ergo si species propositione vera prædicatur de homine, prædicabitur etiam verè de Petro, & consequenter hæc propositio: *Petrus est species*, erit vera.

Secundò. Secundò probatur: nam Petrus suprà hominem solum addit ecceitatem, & conditiones individuantes; sed ecceitas non potest reddere falsam prædictam propositionem; nam quia hæc propositio est vera: *Humanitas est humanitas*, etiam hæc: *Hæc humanitas est humanitas*, licèt ecceitas ex parte subiecti importetur: ergo si hæc propositio: *Homo est species* est vera, hæc etiã: *Petrus est species* erit vera, quod est contra omnes. Solutio ad hanc retorsionem, est, quam nos dedimus pro solutione ad replicam Ill. Godoy; vndè vel ibi locum habet, vel hic locum habere nequit.

150 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices tamen pro Ill. Godoy: hanc retorsionem nullius esse momenti; sunt enim disparitates magnæ inter has propositiones: *Homo est species. Homo est humanitas.* Prima est: nam in hac propositione: *Homo est species*, ly *homo* supponit suppositione simplici, seu rationis, quæ est acceptio termini pro suo immediato significato, vt subest secundæ intentioni; in hac autem: *Homo est humanitas*, ly *homo* non supponit suppositione simplici, seu rationis; alioquin humanitas conveniret homini per intellectum, sicut species, quod nemo dixit. Secunda disparitas est: nam hæc propositio: *Homo est species*, nec est essentialis; nec in materia naturali; at hæc: *Homo est humanitas*, si *homo* pro sola humanitate supponit, est essentialis, & in materia naturali, vt est certum. Vndè ex his differentijs oritur, quod licèt species prædicetur de homine, & non de individuis, humanitas de individuis prædicetur, si prædicatur de homine, vt si homo pro sola humanitate supponat, quę est propositio conditionalis, quam pro maiori suæ replicæ adducit Ill. Godoy, consequentèrque veras esse sequelæ probationes ab eo adductas, quod totam nostram destruit doctrinam.

151 *Contra 1.* Disparitates fateor; nego tamen ex illis sequi, quod si homo pro solâ humanitate supponat, humanitas prædicetur de individuis, si de homine prædicatur. Vndè contra primò: licèt in hac propositione: *Homo est humanitas, homo* non supponat suppositione simplici, seu rationis, sicut homo supponit in hac propositione: *Homo est species*, supponit tamen suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis, dato, quod in prædicta propositione pro sola humanitate supponat: ergo retorsio tenet, & nihil disparitas convincit. Probatur antecedens: dato, quod *homo* in prædicta propositione pro sola humanitate supponat, supponit solum pro suo immediato significato; sed sic supponere, est supponere suppositione simplici, sufficiente, vt

hu-

humanitas prædicetur de homine, & non de individuis: ergo homo in prędicta propositione supponit suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis, dato, quod in prædicta propositione pro sola humanitate supponat. Consequentia est legitima. Maior evidens. Minor probatur: hominē supponere solum pro suo immediato significato, est hominem non supponere particularitèr, nec pro significato mediato, seu pro individuis; sed sic supponere, est supponere suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis: ergo hominem supponere pro sola humanitate, est supponere suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis. Probatur minor: hominem non supponere particularitèr, nec pro significato mediato, seu pro individuis, est hominem nec particularitèr, nec personalitèr supponere; sed hominem nec particularitèr, nec personalitèr supponere, est, hominem supponere suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis: ergo hominem non supponere particularitèr, nec pro significato mediato, seu pro individuis, est supponere suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis.

152 *Probatur minor.* Probatur minor: in primis hominem non supponere particularitèr, nec personalitèr, est, supponere suppositione simplici; sed aliàs est supponere sufficientèr, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis: ergo hominē, nec particularitèr, nec personalitèr supponere, est, hominem supponere suppositione simplici sufficiente, vt humanitas prædicetur de homine, & non de individuis. Consequentia est legitima. Maior patet; nā inter particularitèr, personalitèrque supponere, & supponere simplicitèr, non est medium, vt docent Dialectici: ergo hominem non supponere particularitèr, nec personalitèr, est, supponere suppositione simplici. Minor verò probatur ex communi Dialecticorum doctrina: tunc aliquid simplicitèr supponit, quando prędicatū, quod de illo prædicatur, non prædicatur de inferioribus illius: ergo hominem simplicitèr supponere, est, supponere sufficientèr, vt humanitas prędicetur de homine, & non de individuis. Consequentia est legitima, & antecedens manifestum: nam tunc aliquid personalitèr supponit, quando prędicatū, quod de illo prædicatur, prædicatur etiam de inferioribus illius. Et ratio Dialecticorum est: tunc terminus simplicitèr supponit, quando prędicatū, quod dicitur de ipso, nō convenit alicui ex inferioribus naturæ, quam significat; & tunc personalitèr supponit, quando prædicatū, quod dicitur de ipso, cōvenit inferioribus, vel omnibus, vel aliquibus; nā ideò personalis appellatur, quia est suppositio vocis pro suppositis, vel personis sub natura contentis.

153 *Contra 2.* Contra secundò: dato, quod in hac propositione: *Homo est humanitas, homo* supponat pro humanitate; supponit suppositione simplici, quin sit suppositio rationis; sed hoc ipso, quod suppositione simplici supponat, humanitas prædicabitur de homine, & non de individuis: ergo disparitas data inter has propositiones: *Homo est species. Homo est humanitas*, scilicet, quod homo in prima supponit suppositione rationis; non verò in secunda, impertinens est ad nostram retorsionem infringendam. Consequentia est legitima. Minor certa supponitur ex impugnatione antecedenti, ex qua etiam constat maior quod ad primam partem, scilicet, quod in illa hypotesi homo supponat suppositione simplici. Quoad secundam verò, nempè, quod non sit suppositio rationis, probatur: in hac propositione: *Deus factus est homo, homo* supponit pro sola humanitate, & consequentèr suppositione simplici; atqui non est suppositio rationis: ergo, &c. Consequentia liquet. Maior est expræssa D. Thomæ, & Thomistarum ex totiès dictis. Minor est manifesta; alioquin hæc propositio: *Deus factus est homo*, solum per rationē esset vera, & consequentèr nec esset à parte rei vera, nec vera in rigore sermonis, quorum secundum est contra D. Thomam, & communē Scholasticorū consensum, & primum contra fidem.

154 *Contra 3.* Contra tertiò: quod hęc propositio: *Homo est species*, non sit essentialis, & in materia naturali; benè verò hæc: *Homo est humanitas*, dato, quod *homo* pro sola humanitate supponat, non tollit, quod si species prædicatur de

homine, & non de individuis, etiam humanitas de homine, & non de individuis, prędicetur: ergo nec hęc disparitas tollit vim nostræ retorsionis.

Probat. antecedens 1. Probatur antecedens primò: quod hæc propositio: *Homo est species*, non sit essentialis, & in materia naturali; benè verò hæc: *Homo est humanitas*, dato, quod homo pro sola humanitate supponat, non tollit, quod homo in vtraque supponat suppositione simplici: ergo nec tollit, quod si species prędicatur de homine, & non de individuis, etiam humanitas de homine, & non de individuis, prædicetur. Antecedens constat ex proximè dictis. Consequentia probatur: ideò, quod hæc propositio: *Homo est species*, non sit essentialis, & in materia naturali, non tollit, quod species prædicetur de homine, & non de individuis, quia *homo* in illa supponit suppositione simplici; sed *homo* in hac propositione: *Homo est humanitas*, supponit (vt supponitur) suppositione simplici: ergo quod hæc propositio: *Homo est humanitas*, sit essentialis, & in materia naturali, non tollit, quod humanitas prædicetur de homine, & non de individuis, dato, quod pro sola humanitate supponat.

155 *Probat. 2.* Probatur secundò idem antecedēs: quod hæc propositio: *Homo est species*, non sit essentialis, & in materia naturali; benè verò hæc: *Homo est humanitas*, dato, quod homo pro sola humanitate supponat, non tollit, quod sicut prædicatio speciei de individuis est falsa, etiam sit falsa prædicatio humanitatis de individuis: ergo idem quod antea. Probatur antecedens: ideò prædicatio speciei de individuis est falsa, quia variatur suppositio; sed etiam in prædicatione humanitatis de individuis variatur suppositio, dato, quod homo pro sola humanitate supponat: ergo dato, quod homo pro sola humanitate supponat, non tollit, quod sicut prædicatio speciei de individuis est falsa, etiam sit falsa prædicatio humanitatis de individuis. Probatur minor: ideò in prædicatione speciei de individuis variatur suppositio, quia in vna propositione *homo* supponit pro sola humanitate, & in altera supponit pro persona, vt claret in hoc syllogismo, cuius præmissæ sunt certæ, & consequentia falsa: *Homo est species. Petrus est homo: ergo Petrus est species*; atqui in prædicatione humanitatis de individuis, dato, quod homo pro sola humanitate supponat, in vna propositione *homo* pro sola humanitate, & in altera supponit pro persona, vt etiam claret in hoc syllogismo, cuius præmissæ sunt similitèr veræ, & consequētia falsa: *Homo est humanitas. Petrus est homo: ergo Petrus est humanitas*, vbi in maiori supponit *homo* pro sola humanitate, vt supponitur, & in minori supponit pro persona, in quo non est vtrum: ergo etiam in prædicatione humanitatis de individuis variatur suppositio, dato, quod homo pro sola humanitate supponat.

156 *Retorsio facta firmatur.* Ex his itaquè satis constat, & manifestum est: nostram suprà positam retorsionē in sua efficatia manere, quin disparitates prædictæ vigorem illius minuant; nos enim ad retorsionem faciendam, propositionem illam: *Homo est species*, non sumpsimus, vt in omnibus currat cum hac propositione: *Homo est humanitas*, dato, quod *homo* pro sola humanitate supponat, sed illa vsi sumus ad ostendendum, quod si *homo* solum pro humanitate supponat, ex hac propositione: *Homo est humanitas*, non sequitur, hanc esse verā: *Petrus est humanitas*, quod est intentū Ill. Godoy in eius replica, & certè ad propositum retorsio videtur convincens, eo, quod data hypotesi *homo* in vtraque propositione supponat suppositione simplici, quin contra hoc potens sit quæcumque inter illas propositiones disparitas.

157 *Retorqueo 2.* Retorqueo iam secundò replicam suprà positam Ill. God, terminis illius vtendo: si *homo* supponeret solum pro humanitate, hæc propositio: *Homo est humanitas*, esset vera, & essentialis; sed in hac propositione: *Deus factus est homo*, *homo* supponit solum pro humanitate iuxta Thomistas, vt claret ex dictis *num. 1. cum seqq.* ergo vera est, & essentialis hæc propositio: *Homo est humanitas*: ergo & hæc: *Petrus est humanitas*. Hæc cōsequentia probatur eisdē rationibus, quibus illam probat Ill. Godoy in replica contra nos facta. Sumo nunc. Atqui hoc est falsum apud Ill. Godoy: ergo & quod *homo* in dicta propositione supponat pro humanitate, contra ipsum.

Retorqueo 3. Retorqueo tertiò: si album supponeret solum pro albedine, hæc esset vera: *Album est albedo*; sed ita supponit

in hac propositione: *Album est disgregativum visus*: ergo hæc est vera: *Album est albedo*: ergo & hæc: *Nix est albedo*. Omnia sunt vera, si vera est replica Ill. Godoy. Vndè responsio ad retorsiones contra ipsum factas erit solutio ad replicā contra nos formatā.

158 *Respondeo 1. ad replicam.*

Respondeo iam secundò ad replicam suprà factam, aliter distinguendo maiorem: si *homo* supponeret pro hac humanitate, hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, esset vera in re significata cōcedo maiorē; esset vera quoad modum significandi nego maiorem, & distinguo minorē; falsum est, quod hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, sit vera quoad modum significandi concedo minorem; in re significata nego minorem, ad cuius probationem nego sequelam; quia cum in hac propositione: *Petrus est homo*, nec *homo*, nec *Petrus* supponant pro humanitate, hæc propositio: *Petrus est hæc humanitas*, nec quoad modum significandi, nec in re significata, est vera. Et ex hac differentia suppositionis harum propositionum oritur, quod vna sit vera, & altera falsa, per quod patet etiam ad probationes sequelæ.

159 *Declaratur solutio.*

Deniquè, vt tota hæc clarescat doctrina, dicimus: quod in ista propositione: *Homo factus est Deus*, vel *Verbum assumpsit hominem*, ly *homo* supponit pro individuo naturæ humanæ, seu pro hac humanitate, vt probavimus *n.* 10 Vndè licèt in rigore logico hæc humanitas non sit homo quoad modū significandi; in re tamen significata conveniunt, sicque vera est hæc propositio: *Homo est hæc humanitas*, quia etiam de hac humanitate verificatur, quod fit Deus; nam ly *fit*, cum dicat factionem de tertio adiacente, solum significat vnionem, quæ verificatur tàm de homine, quàm de hac humanitate. Totum patet in illa propositione: *Homo factus est albus*, quam pro exemplo adduximus *numer.* 12. & 13. Constat etiam ex totiès dictis in discursu disputationis.

160 *Arguit ratione Theologica 1.*

Arguit deniquè Ill. God. *n.* 30. alia ratione Theologica: nam hæc consequentia est bona: *Verbum Dei assumpsit hominem: ergo assumpsit hunc hominē*, vel *hunc hominem* in singulari; consequens non potest admitti: ergo nec antecedens in rigore, & proprietate sermonis. Consequentia est bona. Minorem Recentiores admittunt, & meritò; nā hic homo est humana persona; ergo si Verbum assumpsit hunc hominem, assumpsit personam, quod est hæreticum. Antecedens autem probatur: nā si Verbum hominem assumpsit, non assumpsit hominē in vniversali: ergo assumpsit hominē in singulari, & consequentèr assumpsit hominem singularem; sed homo singularis est hic homo: ergo benè valet: *Verbum assumpsit hominem: ergo assumpsit hunc hominem*, vel *hunc hominem*. Sic arguit D. Thom. *in 3. dist. 6. quæst. 1. art. 2. in 2. argumento sed contra, & in corpor. artic.*

Confirmatur.

Amplius confirmat Ill. God. *num.* 31. nam sub termino supponente particularitèr, licet disiunctivus descensus, & pœnès illum veritas propositionis particularis pensatur. Vndè quia in hac propositione: *Homo legit, currit, vel ambulat*, subiectum particularitèr supponit, valet benè: *ergo hic homo currit, vel hic, vel hic*. Et si consequēs disiunctivum in nullo particulari veritatem habet, antecedens cōvincitur falsum; sed in hac propositione: *Verbū assumpsit hominem*, ly *homo* non supponit simplicitèr, vt omnibus est in confessō; ergo supponit particularitèr; non suppositione vniversali: ergo suppositione particulari; & consequentèr licebit sub illo descendere disiunctivè, inferendo: *Verbum assumpsit hominem: ergo assumpsit hunc hominem, vel hunc hominem, &c.* & ex falsitate consequentis falsitatem antecedentis colligere.

161 *Respondeo ad argum.*

Respondeo: hoc argumentum nihil contra nos valere; negamus namquè minorem, quam Ill. Godoy supponit à nobis concessam, ad cuius probationem negamus antecedens, & meritò, quia hic homo non est humana persona, sed est homo singularis tantum, quod est valdè distinctū ab hoc, quod est humana persona; nam singularitas in nostra opinione, vt iam diximus, est à personalitate distincta; vndè non valet: *Assumpsit hunc hominē: ergo assumpsit personam*; quia primum concedimus, vt ex totiès dictis constat, præsertim *n.* 141. secundū tamē negamus, per quod patet ad confirmationē; omne namquè concedimus, & nihil vltrà contra veritatē nostræ conclusionis.

Ad Confirmat.

162 *Censuræ aliquorum.*

Ill. Godoy aliud contra nostram conclusionem nō adducit; de censura autem nostræ sententiæ (ait *num.* 70.) non est vna Theologorum mens. Quidam illam censent hæreticam. Alij

erroneam. Alij errori proximam. Alij denique temerariã illam existimant, eo, quod in re gravi, & Theologica communi Scholasticorum consensui adversatur. Ipse tamẽ Tribunali Sanctæ Inquisitionis remittit, censens cum D. Thom. prædictam propositionem non extendendam, sed piè esse interpretandam, & cum Hispaniç censoribus cautè legendam, nomine *hominis* subaudiendo, vel subintelligendo humanitatem.

163 *Censuræ sunt falsæ.*

Credo de fidelitate huius Doctissimi, & Sapientissimi Doctoris in aliquibus Authoribus invenisse cẽsuras, quas refert; sed veniã ab eo pro nunc præcor, vt sit mihi sub vtrum; plures namquè oppositã sententiã sequentes ex professo per legi, & nullam censurã in aliquo inveni. Testes sunt huius veritatis Caietanus, Cabrera, Lorca, Suarez, Vazquez, Lugo, Bernal, & Gonet, inter quos Vazquez fuit, qui hoc potius videtur examinasse, & tam longè abest, vt nostram sententiã censuret, quod in *præsent. disp. 35. cap. 2. n. 5.* hæc ad litteram habet: *Ex Sanctis Patribus ego sanè nullum hactenus legi, qui prædictum modum loquendi, Deus assumpsit hominem, reprehenderet, aut tamquam falsum notaret.* Hoc itaquè sic animadverso, & censuris, quia ab Ill. Godoy relatis; creditis.

164 *Innutilitas censurarũ ostenditur.*

Plura ad eas respondere poteram, & ne solita deficiat modestia, Authores, qui in nostram sententiam censuras fulminant, Authoritates Conciliorũ, Patrum, & Ecclesiæ numerent, & reperiẽt, quod pro vna authoritate suæ sententiæ favente, stant mille nostræ opinioni patrocinantes. Explicationes authoritatum contemplentur, & invenient, nos, suas explicando, veram mentem illorum proferre; ipsos verò nostras explicando, parum Concilia, Patres, & Ecclesiam honorare. Rationes Scoti meditentur, & efficatiam agnoscent. Et si motivũ ad censuras sumpserunt ex eo, quod existimaverint, nostram opinionem in re Theologica, & tam gravi communi Scholasticorũ consensui adversari, vt contingit Ill. Godoy hoc fatenti, & hac de causa iudicium Tribunali Sanctæ Inquisitionis remittenti (à quo nullatenùs discedo, quin potius in hoc, & in omnibus, sine censura in aliquam contrariorum opinionem à me prolata, me summito) inspiciant, se valdè deceptos fuisse, quorum deceptio luce clariùs apparet per dicta *num.* 105. Denique, vt ex hoc in posterum à censura abstineant, & vsque nunc prolatæ, tanquam innutiles, & sine fundamẽto reputentur, simul cum dictis intueantur, nullum ex nostra opinione inconveniens deduci, quod apparet ex solutionibus datis ad argumenta Ill. God & patebit etiã, aliorũ argumenta solvendo. Pro quo, & vt videatur, nos nullã rationẽ adversariorũ fugere, sicut de rationibus Scoti fecit Ill. God. Sit.

§. VIII.

Aliorum argumentis occurritur.

165 *Arguit. 1. ex Caietan.*

ARguitur primò ex Caietano: hoc subiectum *homo* nequit supponere pro natura humana: ergo supponit pro supposito: ergo si hæc propositio: *Verbum assumpsit hominẽ*, est vera in rigore, & proprietate sermonis, hęc etiam erit vera: *Verbum assumpsit hominem subsistentem*, quod est contra fidẽ. Secunda consequentia ex prima legitimè infertur. Prima verò ex antecedenti. Antecedens autem probatur primò: natura humana non est *homo*: ergo hoc subiectũ *homo* nequit supponere pro natura humana. Secundò: natura humana nõ fit Deus: ergo, &c. Tertiò: actiones sunt circa singularia determinata: ergo verũ est antecedẽs.

166 *Respondeo.*

Respondeo ad argumentum distinguendo antecedẽs: hoc subiectũ *homo* nequit supponere pro natura humana, præcisa à singularitate concedo antecedens; pro natura humana singulari nego antecedens, & consequentiã, & hac distinctione distinguo antecedens primæ, & secundæ probationis. Ad tertiam concesso antecedenti distinguo consequens distinctione data, ex quo nihil contra nostram doctrinã; docemus namquè, & doctum habemus *n.* 139. *& alibi*, vt ibi refertur, quod homo supponit pro natura singulari, quæ natura singularis est homo, & fit Deus, vt ex ibi dictis apparet. Et vltrà hoc retorqueo primò argumentum Caietani.

167 *Retorqueo 1. argum.*

Non minus *homo* supponit pro supposito, quam *album*, & *calidum* supponunt pro subiectis; sed album, & calidum possunt ita à prædicatis determinari, vt supponant pro individuis albedinis, & caloris: ergo similiter: homo potest ita à prędicato determinari, vt supponat pro individuo naturæ

hu-

humanæ : ergo falsum est, quod hoc subiectum *homo* semper pro supposito supponat. Consequentiæ sunt legitimæ. Minor claret in his propositionibus : *Album est disgregativum visus. Calidum est accidens.* Maior probatur probationibus ipsius Caietani, & primò sic: albedo non est album, nec calor est calidum: ergo non minus *homo* supponit pro supposito, quam *album*, & *calidum* supponunt pro subiectis. Secundò : albedo non fit album, nec calor fit calidum : ergo, &c. Tertio: actiones sunt circa singularia determinata: ergo idem quod prius.

168 *Retorqueo 2. ad hom. contra Caietanum.*

Retorqueo secundò ad hominem contra Caietanum : *homo* nequit supponere pro natura humana: ergo supponit pro supposito: ergo si hæc propositio : *Deus factus est homo*, est vera in rigore, & proprietate sermonis, hęc etiam erit vera : *Deus factus est homo subsistens*, quod est contra fidem. Omnia videntur vera vi antecedentis Caietani, qui cum D. Thoma expressè concedit, quod hæc propositio : *Deus factus est homo*, est vera in rigore, & proprietate sermonis.

169 *Retorqueo 3. etiam ad hom. contra ipsum.*

Retorqueo tertiò etiam ad hominem contra ipsum : hoc subiectum *Christus*, nequit supponere pro natura humana : ergo supponit pro supposito: ergo si hæc propositio: *Christus est creatura*, potest esse vera in rigore, & proprietate sermonis; hæc etiam poterit esse vera: *Verbum Divinum est creatura.* Sumo nunc; atqui iuxta Caietanum hæc propositio : *Christus est creatura*, potest esse vera in rigore, & proprietate sermonis: ergo in rigore, & proprietate sermonis vera poterit esse hæc: *Verbum Divinum est creatura.* Hæc vltima consequentia est contra fidem. Sumpta est Caietani *quæst.* 16. *artic.* 8. & 10. asserentis : absolutè posse dici: *Christum esse creaturam.* Secunda consequentia ex prima infertur, & prima ex antecedenti; alioquin vtraque consequentia Caietani nulla esset. Antecedens verò probationibus Caietani probatur. Primò: natura humana non est Christus. Secundò: natura humana non fit Christus. Tertiò: actiones sunt circa singularia determinata, ex quibus legitimè infertur pro consequentia antecedens, quod probatur, scilicet, ergo hoc subiectum *Christus* nequit supponere pro natura humana; alioquin probationes Caietani nullæ essent, vltrà quod est alia ratio, nempè, quod impossibile videtur, quod hoc subiectum *homo* nequeat supponere pro natura humana, & quod hoc subiectum *Christus* possit pro natura humana supponere, vt liquet ex terminis: nullum ergo est Caietani argumentum.

170 *Arguit. 2. ex Suario, & Vasquio.*

Arguitur secundò ex Suario, & Vasquio : in hac propositione : *Homo factus est Deus*, supponitur, quod hic homo priùs fuerit homo, quam fuerit Deus; sed hoc est falsum: ergo falsa in rigore est hæc propositio : *Homo factus est Deus.* Respondeo distinguendo maiorem: in hac propositione: *Homo factus est Deus*, supponitur, quod hic homo priùs fuerit homo, priorItate naturæ, quam fuerit Deus concedo maiorem; prioritate temporis nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Certum enim est, quod hic homo priùs natura fuit homo, quam fuerit Deus, imò hoc fuit necessarium. Primò: quia est propositio de tertio adiacente, in qua priùs saltim natura est, subiectum esse simplicitèr, quam esse vnitum cum prædicato ex dictis *num.* 12. Secundò: quia per Incarnationem nec creatur anima, nec producitur natura singularis: ergo supponuntur producta; sed posteà vniuntur Deo : ergo priùs est, hunc hominem esse hominem, quam esse Deum; atqui non prioritate tęporis: ergo prioritate naturę.

Respondeo.

171 *Retorqueo contra Vasquium.*

Deindè retorqueo contra Vasquium: hæc propositio : *Homo factus est Deus*, est falsa in rigore, & proprietate sermonis : ergo hæc : *Christus est creatura*, est falsa in rigore, & proprietate sermonis. Consequentia est contra Vasquium *disput.* 65. asserentem: quod hęc propositio: *Christus est creatura*, est absolutè vera, & idem videtur dicere *disput.* 67. de hac propositione: *Christus incæpit esse.* Consequentia autem probatur: ideò hæc propositio : *Homo factus est Deus* est falsa in rigore, & proprietate sermonis, quia *homo* supponit pro hoc homine, seu quod idem est apud ipsum, pro persona; atqui non minus *Christus* supponit pro hoc homine, seu pro persona: ergo hæc propositio: *Christus est creatura* est falsa in rigore, & proprietate sermonis. Idem namquè iudicium de vtraque videtur esse faciendum.

Arguitur tertiò ex Arriaga: quan-

172

Arguit. 3. ex Arriaga

do ponitur ex parte subiecti terminus aliquis includens totum, quod dicit prædicatum, non potest rectè affirmari: factum esse illud prædicatum, quia nihil fit ipsum, quod est, ideòque non potest dici: *Hoc album est factus Petrus*, quia iam in albo includitur Petrus; benè verò è contra: *Petrus factus est albus*, quia Petrus sub hoc conceptu non includit albedinem; atqui *homo* positus pro subiecto in hac propositione: *Homo factus est Deus*, includit illud prædicatum *Deus*, quia supponit pro Verbo, quod est essentialiter Deus: ergo nequit rectè affirmari hęc propositio: *Homo factus est Deus*: ergo non est vera in rigore sermonis. Respondeo negando minorem, quia ex toties dictis *homo* in illa propositione supponit pro individuo naturæ humanæ, quod Deitatem non includit. Deindè: in illa propositione non prædicatur *Deus* absolutè de homine, sed factio passiva, ideòquè *homo* supponit pro individuo naturæ humanæ, quod propriè fuit subiectum vnionis, vt totiès diximus.

Respondeo.

173

Arguit. 4 ex Rada.

Arguitur quartò ex Rada, qui, etsi conclusione prima nostram sententiã tueatur; conclusione tamen secunda probabilem reputat sententiam oppositam, sicque in eius favorem arguit: quando alicui tribuitur fieri non absolutè, sed cum aliqua determinatione, opus est, quod præexistat factioni saltim secundum naturam; sed *homo*, nec natura præexistit factioni, quæ est hominem fieri Deum: ergo dici nequit, quod *homo factus est Deus*, & consequenter falsa absolutè est talis propositio. Probatur minor: nam licèt humanitas fuerit priùs ordine naturæ, quàm vnita Verbo; non tamen priùs fuit homo, quam hominem esse Deum: ergo homo nec natura præexistit factioni. Probatur antecedens: homo est nomen suppositum: ergo licèt humanitas fuerit priùs ordine naturæ, quam vnita Verbo; non tamen priùs fuit homo, quam hominẽ esse Deum. Confirmatur ab eodem: omnis propositio vera de præterito, fuit aliquando vera de præsenti; sed ista: *Homo factus est Deus* est de præterito, cui de præsenti correspondet ista: *Homo fit Deus*, quæ nunquam fuit vera: ergo neque illa de præterito: *Homo factus est Deus*. Probatur secunda pars minoris: homo est nomen suppositi;

Confirmatur.

sed nullum suppositum factum est Deus, quia ibi non est, nisi vnicum suppositum æternum, quod de se, & ab æterno est Deus: ergo hæc propositio: *Homo fit Deus*, nunquã fuit vera.

174

Respondeo ad argum.

Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens, & ad huius probationem nego etiam antecedẽs; quia licèt *homo* concernat suppositũ; potest tamen in propositione à prædicato ita determinari, vt supponat pro individuo naturæ humanæ, vt probatum, & exemplificatum est *num.* 10. & pluriès posteà in discursu disputationis. Ad confirmationem respondeo negando minorem quoad secundam partem; quia ista propositio de præsenti: *Homo fit Deus*, fuit vera in eo instanti, in quo humanitas fuit vnita Deo in eodem supposito. Nec probatio indiget alia responsione, quam ad argumentum allata. Deindè fieri possunt contra Radam retorsiones factæ contra Ill. Godoy *num.* 131. *& seqq.* vbi videndas relinquo.

Ad confirmation.

Retorqueo.

175

Arguit. 5.

Arguitur quintò: hæc propositio: *Homo factus est Deus*, facit hunc sensum: *Humanitas est Deificata*; sed hæc est falsa in rigore; quia naturæ in Christo permanserunt distinctæ, & impermixtæ: ergo falsa est in rigore hæc propositio: *Homo factus est Deus*. Probatur maior: hæc propositio: *Homo factus est Deus*, facit hunc sensum: *Natura humana est facta Deus*: ergo facit hunc sensum: *Humanitas est Deificata*. Respondeo negando maiorem, & ad probationem distinguo antecedens: hæc propositio: *Homo factus est Deus* facit hunc sensum: *Natura humana est facta Deus*, per conversionem humanitatis in Deitatem nego antecedens; sine tali conversione concedo antecedens, & nego consequentiam. Solutio claret ex *num.* 13.

Respondeo.

176

Arguit. 6.

Arguitur sextò: ex his propositionibus: *Deus factus est Christus. Christus factus est Deus*, prima est vera, & secunda falsa: ergo ex his: *Deus factus est homo. Homo factus est Deus*, prima erit vera, & secunda falsa. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est: nam Christus supponit pro subiecto Verbi, quod non est factum Deus, ipsum namquè est Deus; at homo supponit pro individuo naturæ humanę, quod factum est Deus.

Respondeo.

177

Arguitur septimò: ex nostra con-

clu-

Arguit. 7. clusione sequitur; quod hæc propositio sit vera : *Christus factus est Deus*; sed hoc est falsum : ergo falsum est, quod hæc propositio: *Homo factus est Deus* sit vera in rigore, & proprietate sermonis. Minor claret: quia Christus dicit totum hoc, scilicet, *Deus, & homo*, & Deus homo non est factus Deus; alioquin Verbum factum esset Deus. Maior probatur hoc syllogismo: *Hic homo est Christus*; *sed hic homo factus est Deus*: *ergo Christus factus est Deus*: ergo ex nostra conclusione sequitur, quod hæc propositio sit vera: *Christus factus est Deus.* *Respondeo.* Respondeo: quod committitur fallacia æquivocationis; nam ly *hic homo* in maiori supponit concretivè pro toto illo, quod est in Christo, scilicet, pro personalitate, & pro naturis in illa vnitis; at in minori solum potest supponere pro individuo naturæ humanæ; vndè sunt quatuor termini in syllogismo, scilicet, *Christus*, *Deus*, & *hic homo* diverso modo captus.

178 *Arguitur deniquè specialitèr.* Arguitur deniquè specialitèr: in hac propositione: *Homo est Deus*, ly *homo* supponit pro supposito Verbi: ergo etiá in hac: *Homo factus est Deus.* Antecedens patet: nam in illa propositione: *Homo est Deus*, debet concerni vnio hypostatica, quæ est fundamentum veritatis illius. Consequentia paritate videtur certa. *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur: ltat, quod hæc propositio: *Deus est homo* sit vera in rigore, & proprietate sermonis, & similitèr hæc: *Homo est Deus*, etiam si in hac secunda propositione *homo* supponat pro supposito: ergo stabit etiam, quod hæc propositio: *Deus factus est homo*, sit vera in rigore, & proprietate sermonis, & similitèr hæc: *Homo factus est Deus*, etiam si in hac secunda propositione *homo* supponat pro supposito. Atqui hoc est contra fidem, & contra toties à nobis dicta: ergo hæc propositio: *Homo factus est Deus*, seu *Verbum assumpsit hominem*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis. Hoc argumentum petit examinare veritatem harum propositionum:

Deus est homo. Homo est Deus.

Pro quo Sit.

***

§. IX.

Occasione vltimi argumenti examinatur: quomodo sint veræ hæ propositiones: Deus est homo. Homo est Deus.

179 *Vtraque propositio est per se, & per accidens.* CErtum est primò: quod vtraque hæc propositio: *Deus est homo. Homo est Deus*, est propositio per se, & in materia necessaria methaphisicè loquendo; logicè autem loquendo, est propositio per accidens, & in materia contingenti. Sic Scotus *in 3. dist. 7. quæst. 1. §. 5. videndum*, qua opinione concordes manent opiniones illorú, quorum aliqui dicunt, esse per se, & in materia necessaria, de quorum numero est D. Thomas *in præsenti art. 1.* Alij verò esse per accidens, & in materia contingenti, de quorum numero sunt Durandus, & Paludanus, quos secuntur Vazquez, & Hurtado. Vtram que partem probat Scotus citatus.

180 *1. Pars probatur.* Et primam sic: id dicitur accidens methaphisicum, quod alteri accidit, eique vnitur per accidentalem vnionem, & inhærentiam *ex 5. methaphisicæ cap. de Ente, & vno*; sed in hoc misterio *Deus*, & *homo* non sunt huiusmodi, quia sunt substantiæ, & substantialitèr vnitæ in eodem supposito, constituuntque Christum per se vnum modo inneffabili ex dictis *tom. præcedenti disput. 10*: ergo vtraque propositio est propositio per se, & in materia necessaria methaphisicè loquendo.

181 *2. Probat.* Probat secundam sic: in propositione per se prædicatum, vel est de essentia subiecti, vel subiectum includit intrinsicè causam inhærentiæ prædicati; sed nec homo est de essentia Dei, nec Deus includit intrinsicè causam inhærentiæ prædicati, quod est homo, & similitèr nec Deus est de essentia hominis, nec homo includit intrinsicè causam inhærētiæ prædicati, quod est Deus: ergo vtraque propositio: *Deus est homo. Homo est Deus*, logicè loquendo, est propositio per accidens, & in materia contingenti. *Confirmatur 1.* Confirmatur primò: illa propositio logicè est per accidens, quando prædicatum, licèt sit substantia, potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione; sed sic se habet homo respectu Dei, & Deus respectu hominis: ergo vtraque propositio, logicè loquendo, est propositio per accidens, & in materia

con-

Secundò. contingenti. Secundò confirmatur: propoſitio per ſe, præſertim in primò modo, ita eſt vera, vt nullomodo poteſt eſſe falſa; ſed prædictæ propoſitiones poſſunt eſſe falſæ, quia potuit Verbum humanitatem non aſſumere, & modò eam dimittere: ergo idem quod antea.

182 Ex his patet: quod illæ propoſitiones: *Deus eſt homo. Homo eſt Deus*, ſunt eſſentiales, methaphiſicè loquendo; loquendo verò logicè, ſunt accidentales; meliùs tamen dicentur prædicationes ſubſtantiales; nam ſicut illa vnio, nec eſt eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis, ſic illæ prædicationes dici poterunt ſubſtantiales. Hæc de alijs ad has prædicationes poteſt fieri comparatio, cum non ſit vnio ſimilis iſti, per quod patet diſparitas ad omnia, quæ contra hanc Scoti veritatem obijci poſſunt.

183 *Vtraque propoſitio eſt vera, & formalis.* Secundò certum eſt apud omnes: quod vtraque prædicta propoſitio eſt vera, & formalis. Primum patet ex locis Scripturæ traditis *num.* 3. Secundum verò probatur de hac propoſitione: *Deus eſt homo*; ſuppoſitum ſubſiſtens in aliqua natura, dicitur formaliter tale ab illa; ſed Verbum Dei ſubſiſtit in natura humana, vt ſuppoſitũ eius: ergo eſt formaliter homo per illam: ergo eſt formalis prædicatio: *Deus eſt homo*. Maior probatur: quælibet natura prædicatur formaliter de ſuppoſito, vt claret in hac: *Petrus eſt homo*: ergo ſuppoſitum ſubſiſtens in aliqua natura, dicitur formaliter tale ab illa. Et ex hoc probatur de iſta propoſitione: *Homo eſt Deus*; quælibet natura prædicatur formaliter de ſuo ſuppoſito; ſed in hac propoſitione: *Homo eſt Deus*, prædicatur natura Divina de ſuo ſuppoſito: ergo formalis eſt prædicatio prædicta. Maior, & conſequentia tenent. Minor verò, in qua eſt difficultas, probatur: in hac propoſitione: *Homo eſt Deus*, *homo* ſupponit pro ſuppoſito Divinæ naturæ; ſed in hac propoſitione prædicatur natura Divina de homine: ergo in hac propoſitione: *Homo eſt Deus*, prædicatur natura Divina de ſuo ſuppoſito. Probatur denique de vtraque: prædicatio identifica eſt, quando idem prædicatur de ſe ipſo, ſivè explicitè, ſivè implicitè; ſed in his propoſitionibus: *Deus eſt homo. Homo eſt Deus*, idem non prædicatur de ſe ipſo, nec explicitè, nec implicitè: ergo non ſunt propoſitiones identicæ: ergo ſunt formales. Maior cum conſequentijs tenet. Minor autem ex dictis conſtat; nam in prima propoſitione *homo* prædicatur de ſuppoſito Divino, & in ſecunda *Deus* de ſuo ſuppoſito prædicatur.

184 Vndè in hac propoſitione: *Deus eſt homo*, ly *Deus*, qui eſt ſubiectum ſupponere poteſt pro ſolo Verbi ſuppoſito, & etiam pro communi individuo Deitatis, vt hoc perſonaliter ſupponit. Primò modo prædicta propoſitio eſt immediatè vera ratione vnionis. Secundò modo eſt vera mediatè, quia mediante ſuppoſito verificatur; & formalis, ſicut hæc: *Homo eſt albus*, eſt formalis, & mediata, quia verificatur mediante iſta immediata: *Petrus eſt albus*. In hac autem propoſitione: *Homo eſt Deus*, ly *homo*, qui eſt ſubiectum, ſupponit pro ſuppoſito Verbi, quod eſt ſuppoſitum, & perſona naturæ humanæ, ideòque eſt immediatè, & formaliter vera, ſicut hæc: *Petrus eſt albus*.

185 *Vtraque propoſitio eſt in rigore vera.* Iam ex his apparet: quod vtraque hęc propoſitio: *Deus eſt homo. Homo eſt Deus*, eſt vera in rigore, & proprietate ſermonis. Hoc fatentur omnes Theologi contra Durandum, & de vtraque probatur ex Concilio Epheſino, & Lateranenſi, in quibus diffinitum eſt: Beatiſsimam Virginem Mariam eſſe veram Matrem Dei, & propriè genuiſſe Deum; atqui ſi vtraque hæc propoſitio: *Deus eſt homo. Homo eſt Deus*, non eſſet vera in rigore, & proprietate ſermonis, Beatiſsima Virgo Maria non eſſet vera Mater Dei, nec propriè Deum genuiſſet, quod eſt contra Concilia: ergo vtraque eſt vera in rigore, & proprietate ſermonis. Claret hæc veritas hoc ſyllogiſmo expoſitorio: *Verbum eſt Deus. Verbum eſt homo: ergo homo eſt Deus*, in quo prima propoſitio, ſcilicet, *Deus eſt homo*, eſt in minori, & ſecunda, nempè, *Homo eſt Deus*, eſt ipſa conſequentia.

Probatur de vtraque ſimul.

186 *Probatur de vtraque in particulari.* Probatur etiam de qualibet in particulari: *Homo* propriè, & in rigore prædicatur de perſona naturæ humanæ: ergo Verbum eſt propriè, & in rigore homo. Atqui hæc propoſitio: *Verbum eſt Deus*, eſt propriè, & in rigore vera: ergo vera propriè, & in rigore eſt hæc: *Deus eſt homo*. Omnia ſunt vera, ſi vera eſt maior. Maior oſtenditur manifeſtè: nam quælibet natura

pro-

propriè, & in rigore prædicatur de suo supposito, vel persona, vt patet in hac: *Petrus est homo*, & ex hac in omnibus alijs: ergo *homo* propriè, & in rigore prædicatur de persona naturæ humanæ. Ex quo idem de secunda propositione ostenditur: quælibet natura propriè, & in rigore prædicatur de suo supposito, vel persona; sed in hac propositione: *Homo est Deus*, prædicatur natura Divina de suo supposito, quia vt diximus *num.* 183. *homo* in allata propositione supponit pro supposito naturæ Divinæ: ergo vera est in rigore hæc propositio: *Homo est Deus.*

187 *Oppones 1.* Oppones tamen primò: vbi est maior identitas inter prædicatum, & subiectum, est maior veritas, & proprietas prædicationis; sed maior identitas est inter Petrum, & hominem, quam inter Deum, & hominem: ergo & maior proprietas prædicationis. Atqui *Petrus est homo* est propriè, & in rigore vera: ergo *Deus est homo*; & *homo est Deus*, non sunt ita propriè, & in rigore veræ. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem; quia ad proprietatem prædicationis nihil facit identitas; alioquin *Petrus est albus* non esset propriè vera. Solum ergo identitas infert maiorem necessitatem vnionis prædicati cum subiecto; non verò maiorem proprietatem.

188 *Oppones 2.* Oppones secundò: hæc propositio: *Petrus est homo*, est per se, & essentialis; sed hæ propositiones: *Deus est homo. Homo est Deus*, sunt quasi denominativæ: ergo non ita propriè. *Respondeo.* Respondeo, quidquid sit de minori, negando consequentiam. Ratio est: quia ad proprietatem propositionis nihil facit, quod propositio sit in materia necessaria, sivè contingenti; alioquin hæc non esset propria: *Homo est albus*, quod est falsum, quia ita propria est, ac hæc: *Homo est animal*, licet nō ita necessaria

189 *Oppones 3.* Oppones tertiò: Deus dicitur propriè humanatus ex Damasceno, & alijs, & homo Divinizatus: ergo propriè, & in rigore non dicitur, Deus homo, nec homo Deus: ergo neutra propositio est vera propriè, & in rigore. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: si ly *humanatus*, & *Divinizatus* sumatur, vt participium Verbi *humanor*, & *Divinor* concedo antecedens; ficque significat esse hominem, & esse Deum, quo sensu loquitur Damascenus. Si sumatur, vt adiectivum humanitatis, & Deitatis nego antecedens; quia sic significat vnionem accidentalem, quam negavit Concilium Francfordiense, & nego consequentiam, quia sapit errorem Nestorij.

190 *Declaratur vis argum. suprà positi* Declaratur vis argumenti suprà positi *num.* 178. Supposito ergo quod *homo*, in hac propositione: *Homo est Deus* supponat pro supposito, vt constat ex dictis, & in quo prætèr Durandum conveniunt omnes Theologi; manet vis argumenti, cuius occasione hęc difficultas examinata est, nempè, quod si *homo* in hac propositione: *Deus est homo* supponit pro supposito; pro supposito etiam supponat in illa propositione: *Homo factus est Deus*, quod concedere non possumus, ne in errorem Nestorij, & eius sequaces incidamus.

191 *Respondeo ad prædictum argumentum.* Ad quod respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est: quia in hac propositione: *Homo est Deus*, *Deus* prædicatur de homine per verbum substantivum, consequentèrque absolutè, & cum prædicatio ista sit quædam identitas, necessario debet involui causa veritatis illius, quæ est vnio ad suppositum, ideòque pro supposito in illa supponit. At in hac propositione: *Homo factus est Deus*, ly *Deus* non prædicatur de homine per verbum substantivum, & consequentèr nec absolutè, sed quod prædicatur, est factio ipsa passiva, ideòque ad veritatē illius non prꝛexigitur vnio hypostatica, sed per ipsā hæc vnio explicatur, quare suppo nere potest pro individuo humano.

192 *Ex argum. probatur nostra conclusio.* Imò ex ipso argumento ipsum reijcio, & nostram probo conclusionem: ideò in hac propositione: *Homo est Deus*, ly *homo* supponit pro supposito, quia ad veritatem illius prꝛexigitur vnio hypostatica; sed ad veritatem huius propositionis: *Homo factus est Deus*, non prꝛexigitur vnio hypostatica: ergo *homo* in hac propositione: *Homo factus est Deus*, non supponit pro supposito. Maior constat ex probatione antecedentis ipsius argumenti. Minor claret ex responsione ad illud, & ex totiès dictis in discursu disputationis, præsertim *num.* 11. Consequentia legitimè infertur.

193 His itaquè pro veritate propria, & rigurosa huius propositionis: *Verbum assumpsit hominem*, seu *Homo factus est Deus*, statutis, quę absque dubio nostrā

ſententiam ſatis probabilem reddunt, & fortè probabiliorem conſtituunt, attentis authoritatibus, & rationibus, ſimul cum alijs, iam ex principijs Dialecticorum deſſumptis, iam ad hominem contra Ill. Godoy, cæteroſque adverſarios, deductis; reſtat nunc duplicem reſolvere difficultatem, vt ex vtraque appareat (paritate facta) noſtram ſententiam non eſſe contra communem Scholaſticorum conſenſum, & conſequenter nulla eſſe cenſura dignam, & ſi hoc concedere renuunt adverſarij, adſtricti erunt aliqui ad cēſuras imponendas opinionibus, quæ à cenſura ſunt immunes, & alij adstricti erunt ad proprias opiniones cenſurandas. Sit ergo.

§. X.

Prima difficultas reſolvitur.

194 1. *Difficultas proponitur.* *Suppono* 1.

PRima difficultas, ad intentum prædictum conducens, eſt: an hæc propoſitio: *Chriſtus eſt creatura*, abſolutè prolata ſit vera in rigore ſermonis? Circa quam primò advertendum eſt: quod hæc difficultas, ſicut & difficultas præſentis diſputationis, eſt purè nominalis, & de ſolo modo loquendi; nam de re ipſa planè conſtat: Chriſtum quoad perſonalitatem, & naturam Divinam non eſſe creatum, & è contra, naturam humanam eſſe creatam. Pro intelligentia verò.

195 *Suppono* 2.

Advertendum eſt ſecundò cum Scoto *in* 3. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. vbi hanc tractat quæſtionem, quod Verbum *creari* poteſt dupliciter accipi. Primò ſtrictè, propriè, & ſimpliciter, & hoc modo dicitur ſolum de illo, qui ex nihilo producitur. Secundò: latiori, & communiori vocabulo, quo pacto dicitur de quocumque in tempore producto. In primò ſenſu certum eſt, Chriſtum non eſſe creatum, ait Doctor, quare difficultas ſtat in ſecundò ſenſu. Tertiò denique advertendum eſt: Scotum in præſenti eſſe problematicum; nam *in* 3. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. & 2. magis inclinatur in negativam, vtpotè, intendit oſtendere improbabilitatem illius propoſitionis: *Chriſtus eſt creatura*; tamen *quæſt.* 3. adducit doctrinam pro parte affirmativa. Vndè in præſenti non Scoti authoritatibus, ſed rationibus ſtandum eſt.

Suppono 3.

196 1. *Sententia.*

In qua difficultate duplex ex diametro verſatur oppoſita ſententia. Prima abſolutè negat: Chriſtum dicendum eſſe creaturam. Ita Paludanus, & ex Thomiſtis Medina, Cabrera, Alvarez *quæſt.* 16. *art.* 8. Lorca *diſput.* 64. Et ex noſtris Rada 3. *part. controv.* 8. *artic.* 2. Faber *diſput.* 24. *cap.* 2. quibus fabet Scotus *quæſt.* 1. & 2. *citat.* Secunda ſententia tenet: poſſe dici abſolutè: *Chriſtum eſſe creaturam.* Sic D. Bonaventura *in* 3. *diſt.* 11. *artic.* 2. *quæſt.* 1. eamque tenet Pontius *diſp.* 40. *quæſt.* 1. Maſtrius *diſput.* 2. *quæſt.* 11. *artic.* 4. eſſeque in Scoto probabilem, fatentur Scotiſtæ oppoſitum aſſerentes. Ex alienis autem, eam tuentur Caietanus *quæſt.* 16. *artic.* 8. & 10. Valentia *ibi punct.* 2. Vazquez *diſput.* 65. Hurtado *diſput.* 11. *difficul.* 11. quam ſententiam amplector, quia non eſt contra Scotū, & eſt D. Bonaventuræ *citat.* Vndè ſit.

Paludanus *Medina.* *Cabrera.* *Alvarez.* *Lorca.* *Rada.* *Faber.* 2. *Sentent.* *D. Bonav.* *Pontius.* *Maſtrius.* *Caietanus.* *Valentia.* *Vazquez.* *Hurtado.*

197 *Concluſio.*

Concluſio: hæc propoſitio: *Chriſtus eſt creatura, eſt vera in rigore, & proprietate ſermonis.* Huic concluſioni fabent plures, & præcipui PP. Eccleſiæ, ex quibus probatur primò: nam Leo Pap. *ſerm.* 3. *Pentecoſt.* ait: *Si homo legem Dei ſervaſſet, creator hominum creatura non fieret.* Naziancen. *Orat.* 34. *Qui eſt ſit, & qui non creatus, creatur.* Auguſt. *in Enchiridion. cap.* 38. *Illam creaturam, quam Virgo concepit.* Hieronym. *in Epiſt. ad Epheſ. cap.* 2. *Multi timore trepidant, ne Chriſtum creaturam dicere compellantur; nos autem liberè proclamamus: non eſſe periculum, eum dicere creaturam, quem vermen, & hominem, & crucifixum confitemur*: ergo iuxta Patres: hæc propoſitio: *Chriſtus eſt creatura*, eſt vera in rigore, & proprietate ſermonis.

Probatur 1. *authorit.* *PP.*

198 *Probat.* 2. *ex Scoto.*

Probatur ſecundò ex Scoto: nam ipſe *quæſt.* 3. *citat.* diſtinguens ſenſum illius propoſitionis: *Chriſtus incæpit eſſe*, ait: poſſe intelligi, vel de primò eſſe, vel de quocumque eſſe ſimpliciter, & inquit, quod ſi primò modo, iſta propoſitio eſt falſa, ſicut illa: *Chriſtus eſt creatura*: ergo de mente Scoti idem dicendum eſt de vtraquè. Atqui iuxta Scotum, & ex dicendis difficultate ſequenti, hæc propoſitio: *Chriſtus incæpit eſſe*, eſt vera in rigore ſermonis: ergo & iſta: *Chriſtus eſt creatura.*

199 *Probat.* 3. *ad homin. contra Scotiſtas.*

Probatur tertiò ad hominem contra Scotiſtas: illud propriè dicitur creatura, quod à Deo accipit, vel eſſe totale, & adæquatum, vel eſſe partiale partis principalis; ſed licèt Chriſtus non accipiat à Deo eſſe partiale partis principalis, quia hoc eſt eſſe Verbi, quod eſt æternum; accipit tamen eſſe

totale, & adæquatum: ergo propriè Christus dicitur creatura. Probatur minor: Christus secundum Scotum *in 3. dist. 6. quæst. 2.* est vnum per se ex dictis *disput. 10. tom. antecedenti.* quamvis non resultet per veram compositionem: ergo habet suo modo esse totale; sed hoc accipit à Deo: ergo à Deo accipit esse totale, & adæquatum.

200 *Probat. 4. paritate.* Probatur quartò paritate: hęc propositio: *Christus incæpit esse*, est vera in rigore, & proprietate sermonis: ergo etiam hæc: *Christus est creatura.* Antecedens est Scoti, & Scotistarum, aliorumque, quos citabimus difficultate sequenti, vbi ex professo id probabimus. Consequentia verò ostenditur: omne, quod incipit esse, est creatura: ergo eo modo, quo de aliquo verificatur, quod incipiat esse, verificatur de illo, quod sit creatura; atqui ita verificatur de Christo, quod incæpit esse, quod hæc propositio: *Christus incæpit esse*, sit vera in rigore, & proprietate sermonis iuxta dicta: ergo ita verificatur de Christo, quod sit creatura, quod hæc propositio: *Christus est creatura*, sit etiam vera in rigore, & proprietate sermonis. Probatur antecedens: omne, quod incipit esse, non est Deus, & est ens à Deo in tempore productum; atqui omne tale est creatura, vt creatura sumitur in præsenti iuxta dicta *num. 195.* ergo omne, quod incipit esse, est creatura.

201 *Probatur deniquè conclusio.* Deniquè probatur conclusio rationibus, quibus probabimus difficultate sequenti: veram esse in rigore, & proprietate sermonis hanc propositionem: *Christus incæpit esse*, vbi responsiones, quas Scotistæ, in hoc nobis adversarij, adducere possunt, impugnabimus; advertendo tamen, quod specialis disparitas, quam assignant inter has propositiones: *Christus incæpit esse. Christus est creatura*, impugnata manet per probationem, quam ad hominem contra ipsos *num. 199.* declaravimus. Argumenta contra nostram conclusionem proponamus, & solvamus, vt firmior maneat statuta conclusio.

202 *Arguit. 1.* Arguitur primò: plura sunt Patrum testimonia negantium, Christũ esse creaturam: ergo hæc propositio: *Christus est creatura*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis. *Respondeo 1.* Respondeo primò: Patres loqui contra Nestorium asserentem: Christum esse puram creaturam, & solum accidentaliter Verbo vnitum per affectum, & gratiam, & contra Arrianum asserentem; Christum secundum totum suum esse, esse creaturam, consequenterque, & ipsum Verbum. *Secundò.* Respondeo secundò: Patres loqui de Christo, vt Deo, in quo non est dubium, & consequenter ad rem non faciunt Patrum authoritates.

203 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: creatura in sua ratione formali includit esse ens dependens, finitum, limitatum, & participatum; sed hæc prædicata nequeunt enunciari de Christo: ergo hæc propositio: *Christus est creatura*, non est vera in rigore; & proprietate sermonis. *Respondeo 1.* Respondeo primò: negando minorem, quia enuntiantur de Christo formaliter ratione naturæ humanæ, & de persona etiam Christi denominativè per communicationem idiomatum, vt clarebit ex dicendis difficultate sequenti. *Secundò.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: creatura in suo conceptu formali includit esse finitum, mortale, passibile, & temporaliter genitum; sed hęc prędicata nequeunt de Christo enuntiari: ergo Christus non est finitus, mortalis, passibilis, & temporaliter genitus. Responsio ad retorsionem erit solutio ad argumentum.

204 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: ex hoc, quod Etiops sit albus secundum dentes, nō valet inferre, quod sit simpliciter albus: ergo ex eo, quod humanitas Christi sit creatura, non valet inferre, quod Christus sit creatura: ergo hæc propositio: *Christus est creatura*, non est vera in rigore, & proprietate sermonis. Hoc argumentum patitur retorsionem, quam fecimus ad argumentum præcedens, quo supposito, & animadverso. *Respondeo 1.* Respondeo primò: negando paritatem. Ratio est: quia ad esse simpliciter album, requiritur, quod sit album secundum aliquam partem principalem, imò & secundum plures partes ex Scoto *dist. 11. quæst. 2.* quod cum non habeat Etiops, non valet illa illatio; at humanitas in Christo est pars principalis, licèt non principalior, vndè in illo valet illatio prædicta.

205 *Respondeo 2.* Respondeo secundò ad argumentum distinguendo antecedens: ex hoc præcisè, quod Etiops sit albus secundum dentes, non valet inferre, quod

sit

sit simpliciter albus nego antecedens; ex hoc, quod Etiops sit albus secundū dentes, & ex hoc, quod albedo nata est, convenire etiam secundum totū, quomodo ipsi non convenit, non valet inferre, quod sit simpliciter albus concedo antecedens, & nego consequentiam. Hæc doctrina est Scoti *in 3. dist. 11. quæst. 1. ad 1.* quæ, quia valdè est necessaria, illam explico. Quando enim prædicatum natum est convenire subiecto secundum totum, & secundum partem, non determinat subiectum absolutè, nec sic de eo prædicatur, si inest subiecto tantum secundum partem, vt constat in exemplo de Etiope albo secundum dentes, & ratio est: quia albedo nata est convenire, non solum dentibus, sed etiam alijs partibus corporis. Ast quando prædicatum natum est convenire subiecto secundum partem tantum, tunc prædicari potest de eo simpliciter, & absolutè, vt patet in hac propositione: *Petrus est Crispus*, quæ simpliciter, & absolutè est vera, etiam si Crispus sit tantum secundum caput; & ratio est: quia hoc prædicatum *Crispus* natum est convenire subiecto secundum partem tantum. Sic similiter in præsenti; nam creatura non est prædicatum natum convenire Christo, tàm secundum totum, quàm secundum partem, quia non potest immediatè competere toti Christo, vt est subsistens in vtraque natura; sed tantum secundum partem, scilicet, humanitatem; vndè potest simpliciter, & absolutè dici de Christo, sicut Crispus dicitur de Petro; imò potiori ratione, quia humanitas non est minima pars Christi constituens, sicut est capillus respectu Petri.

Explicatur solutio.

206

Arguitur quartò ex Scoto *cit.* illud propriè dicitur creatura, quod accipit esse totale, vel esse partiale principale; sed Christus neutrum accipit: ergo dicta propositio non est vera in rigore, & proprietate sermonis. Probatur minor: nullum tertium resultat ex natura, & Verbo; sed aliàs esse partiale principale, quod est esse Verbi, est Æternum: ergo Christus non accipit esse totale, nec partiale principale.

Arguit. 4.

Respondeo 1.

Respondeo primò negando maiorē; quia sufficit, quod accipiat aliquod esse simpliciter ratione alicuius partis, vt constabit ex dicendis difficultate sequenti per probationes nostræ conclusionis. Respondeo secundò: omissa maiori, negando minorem, & distinguendo probationem: nullum tertium resultat per compositionem strictam concedo antecedens; per compositionem admirabilem nego antecedens, pro quo videantur dicta *disput. 10. tom. antecedent.* Itaquè cum Christus sit vnum per se, quomodocumque ponatur, est in illo aliquod esse totale, quod ab æterno non fuit, sed solum in tempore; consequentèrquè accepit hoc esse totale, vt probavimus *num. 199.* Respondeo tertiò retorquendo argumentum, vt in *n. 203.*

Secundò.

Retorquet.

207

Arguitur quintò ex eodem: illud denominativum, quod natum est denominare multa, vt totum, & partes, accidens, & subiectum; non denominat vnum per aliud; v. g. quia vnum natum est denominare subiectum, & accidens, non denominat subiectum per accidens, seu mediò accidente; atqui creatura est denominativum, quod natum est denominare, tàm suppositum, quàm naturam: ergo non denominabit suppositum per naturam, nisi suppositò conveniat sub propria ratione. Tunc sic; sed esse creaturam repugnat omninò suppositò Christi: ergo Christus nequit dici creatura, & consequentèr hæc propositio: *Christus est creatura*, nō est vera in rigore, & proprietate sermonis.

Arguit. 5.

208

Respondeo primò negando maiorem: est enim vniversaliter falsa. Nec obest, quod probatio sit vera, quia in multis alijs falsificatur; v. g. esse mortale, finitum, passibile, materiale, corruptibile, sunt prædicata nata denominare suppositum, & naturam; sed hoc non obstante, in Christo denominant suppositum ratione naturę; quia istæ sunt veræ: *Christus est mortalis, passibilis, &c.* ergo falsa est vniversaliter maior argumenti. Respondeo secundò distinguendo maiorem: non denominat vnum per aliud, si vtrumque est immediatè denominabile concedo maiorem; si vtrumque non est sic denominabile nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Solutio claret exemplis adductis.

Respondeo 1.

Secundò.

209

Arguitur sextò: Scotus *distinct. 11. quæst. 2.* ex instituto probat: hanc propositionem non esse veram: *Christus, in quantum homo, est creatura*, accipiendo ly *in quantum* reduplicativè: ergo

Arguit. 6.

illa

illa propositio neque ratione naturæ humanæ potest verificari iuxta Scotum. Respondeo: Scotum ibi non absolutè dicere : illam propositionem esse falsam ; sed quod si ea propositio cum reduplicatione sumatur , idem iudicium de ea fieri debet , quod de absoluta; vndè si hæc: *Christus est creatura* est vera, etiã illa; & si falsa, vtraque est falsa, quod non est contra nos.

Respondeo.

210 *Arguit. 7.*

Arguitur septimò: Christus ex parte subiecti supponit pro supposito; sed suppositum Christi non est creatura: ergo Christus nequit dici creatura, & consequentèr hæc propositio : *Christus est creatura* , est falsa in rigore , & proprietate sermonis. Hoc argumentum simul cum alijs declarabimus, & contra nos obijciemus difficultate sequenti , ibique illud simul cum alijs solvemus. Vndè sit.

Respondebitur infrà num. 223.

§. XI.

Resolvitur secunda difficultas.

211 *2. Difficultas proponitur.*

SEcunda difficultas , ad intentum suprà positum conducens, est: an hæc propositio : *Christus incæpit esse*, absolutè prolata , sit vera in rigore sermonis ? Circa quam certum est: difficultatem esse purè de nomine , & modo loquendi , cum de fide sit: Christum includere naturam Divinam, & humanam, quarum prima est æterna, & secunda temporalis. Vndè non quæritur : an Christus secundum naturam Divinam, vel humanam reduplicativè incæpit esse, quia sic nulli dubium, quod prima sit falsa, & secunda vera; sed an absolutè, & sine addito sit verum dicere : *Christus incæpit esse*?

212 *1. Sentent. D. Thom. Caietanus. Suarez. Lorca. 2. Sentent. Scotus. Faber. Vazquez. Hurtado. Ill. Godoy.*

In qua duplex etiam circunfertur sententia. Prima asserit : prædictam propositionem esse falsam de rigore sermonis. Ita D. Thomas *quæst. 16. articul. 9.* Caietanus , Suarez, Lorca , & quidam ex nostris. Secunda per oppositum affirmat : prædictam propositionem esse veram de rigore sermonis. Sic Scotus *in 3. dist. 11. quæst. 3.* Faber *disput. 26.* Vazquez *disput. 67.* Hurtado *disput. 11. difficult. 12.* in qua videtur inclinare Ill. God. *tom. 3. in 3. part. disput. 55. num. 166.* & nos dictum reliquimus *num. 92.* Quam sententiam, vt veriorem existimo, ideòque sit.

213 *Conclusio.*

Conclusio: hæc propositio: *Christus incæpit esse absolutè prolata est vera in rigore sermonis.* Sic Authores pro secunda sententia relati , & probatur primò authoritate Patrum: nam Augustinus *tract. 10. in Ioann.* ait : *Ante quam mundus fieret, nec nos eramus, nec ipse mediator Christus.* Fulgentius *lib. de Incarnation. cap. 10. Verbum incæpit esse Christus; Verbum tamen mansit æternum, & caro in ipso sumpsit initium.* Nazianzenus *Oration. 35. Christum esse factum.* Leo Papa *sermon. 3. Pentecost.* vocat Christum temporalem. Atqui omnia hæc exprimunt veritatem illius propositionis absolutè prolatæ: ergo hæc propositio: *Christus incæpit esse*, absolutè prolata, est vera in rigore sermonis.

Probat. 1. authoritat. PP.

Probatur secundò ratione: vt prædicatum absolutè enuntietur de subiecto composito, sufficit, quod prædicatum conveniat alicui parti subiecti; sed Christus in prædicta propositione est subiectum compositum ex natura humana , & Divina , & prædicatum convenit alicui parti illius, scilicet, naturæ humanę: ergo prędicatum illius propositionis absolutè enuntiatur de Christo : ergo dicta propositio absolutè prolata est vera in rigore sermonis. Probatur maior: hæc sunt propositiones absolutè veræ : *Animal rationale est risibile; homo albus est coloratus;* sed subiecta illorum sunt composita, & prædicata solum conveniunt alicui parti subiecti, scilicet, risibile rationali, & coloratus albo: ergo vt prædicatum absolutè enuntietur de subiecto composito, sufficit, quod prędicatum conveniat alicui parti subiecti. Confirmatur: quia ad hoc, vt prędicatum: *Incæpit esse*, verificetur, sufficit, quod aliqua pars subiecti incipiat esse ; sed humanitas incæpit esse in Christo: ergo de Christo verificatur, quod incæpit esse: ergo dicta propositio absolutè prolata est vera in rigore sermonis. Probatur maior: quando Petrus incępit esse albus, dicitur, album incępisse; sed solum incipit albedo : ergo ad hoc, vt prædicatum: *Incæpit esse*, verificetur, sufficit, quod aliqua pars subiecti incipiat esse.

214 *Probat. 2. ratione.*

Confirmatur.

Respondent ad probationem contrarij : esse disparitatem : nam in illis propositionibus prædicata , scilicet, *risibile*, & *coloratum*, conveniunt parti formali subiecti, scilicet, rationali, & albo; at in nostra propositione prædicatum *incipere* convenit parti materiali subiecti , scilicet , humanitati.

215 *Respondẽt contrarij.*

Contra: hæc propositio est vera: *Homo albus est animal* ; sed prædicatum

Contra.

convenit parti materiali subiecti, scilicet, homini: ergo quod prædicatum conveniat parti materiali subiecti, non tollit veritatem propositionis: ergo quod prædicatum huius propositionis: *Christus incæpit esse*, conveniat parti materiali subiecti, non tollit veritatem illius: ergo nulla est solutio.

216 *Probat. 3. conclusio.* Probatur tertio conclusio paritatibus desumptis ex proprietatibus: proprietates creaturæ dicuntur verè de Christo ratione humanæ naturæ per communicationem Idiomatum, vt esse finitum, passibile, mortale, &c; sed *incipere esse* est proprietas naturæ humanæ: ergo dicta propositio absolutè prolata est vera in rigore sermonis. Maior est certa; nam de fide est, quod ex vnione hypostatica naturæ Divinæ, & humanæ in eodem supposito, oritur inter Deum, & hominem vera, & propria communicatio Idiomatum, tam naturarum, quam proprietatum, & ratio pro naturis est: nam ratione prædictæ vnionis Divina, & humana prædicata de eadem persona prædicantur; verum enim est dicere, vt docet Scriptura: *Deus est homo, & homo est Deus.* Ratio secundi est: nam ratione dictæ vnionis attributa Divina verè prædicantur de homine, & proprietates humanæ verè prædicantur de Deo; iuxta Scripturam namquè verum est dicere: *Homo est æternus, immortalis, immensus, &c. Deus est mortalis, crucifixus, &c*; sed illa sunt attributa Divina, & hæc sunt proprietates humanæ: ergo proprietates creaturæ dicuntur verè de Christo, ratione humanæ naturę per communicationem Idiomatum, quæ est maior nostræ probationis. Minor est absquè dubio certa. Consequentia ratione paritatis vrget: nam licèt Christus secundum naturam Divinam sit infinitus, impassibilis, & immortalis, quia tamen secundum naturam humanã, est finitus, passibilis, & mortalis, de ipso dicitur absolutè, & sine addito, quod sit finitus, passibilis, & mortalis: ergo pariter: licèt Christus secundum naturam Divinam sit æternus, quia tamen secundum naturam humanam est temporalis, de ipso dicetur absolutè, & sine addito, quod incipiat esse.

217 *Probat. 4. conclusio.* Probatur quartò conclusio alia duplici paritate. Prima est: eodem modo dicitur de Christo hoc prædicatum: *Incipit esse*, ac illud, *genitus est generatione temporali*; sed hoc prędicatum verè, & absolutè dicitur de Christo: ergo & illud. Probatur maior: generatio temporalis involuit inceptionem in esse: ergo eodem modo dicitur de Christo hoc prædicatum: *Incæpit esse*; ac illud: *Genitus est generatione temporali.* Secunda est: eodem modo dicitur de subiecto hoc prędicatum: *Incæpit esse*, ac illud: *Desinit esse*; sed hoc prædicatum dicitur verè, & absolutè de Christo: ergo & illud. Maior claret: nam illud *esse*, quod ponit primum prædicatum, secundum destruit. Minor constat; nam cum dicitur: Christus est mortuus, intelligitur, quod esse humanum amiserit. Consequentia paritate videtur certa.

218 *Respondet adversarij* Adversarij respondent negando vtramque paritatem; quia generari non est incipere esse; sed accipere de nobo aliquod esse in tempore, ratione cuius Christus dicitur absolutè generari. Similitèr dicunt: non esse idem: *Christus mortuus est*, & *Christus desinit esse*, quia prima est vera, & facit hunc sensum: Christus amisit aliquod esse substantiale. Secunda verò est falsa, quia illud dicitur desinere esse, quod omninò desinit, sicut illud dicitur incipere, quod omninò incipit; neutrum tamen convenit Christo.

219 *Contra.* Contra: illud absolutè dicitur incipere esse, quod secundum esse totale incipit esse, licèt secundum nullum esse partiale incipiat esse, & similitèr de desinere esse; sed Christus est totum substantiale, imò verè, & propriè copositum ex humanitate, & Divinitate iuxta adversarios texte Ill. Godoy *tom. præcedent. disput.* 10. ergo secundum totalitatem suam incipit esse in generatione, & desinit esse in morte: ruit igitur solutio. Maior patet: nam si post mortem Petri, anima, & corpus eius reunirentur, verè, & absolutè diceretur Petrus incipere; & similitèr, quando Petrus moritur, absolutè dicitur, desinere esse, licèt remaneant corpus, & anima separata. Minor est certa. Consequentia verò prima probatur: illud esse totale Christi nec fuit ante generationem, nec in triduo mortis: ergo Christus secundum totalitatem suam incipit esse in generatione, & desinit esse in morte.

220 *Probat. 5. conclusio.* Et ex hoc probatur quintò conclusio efficacitèr: Christus propriè, & formalitèr supponit pro toto: sed totum

tum Christi non fuit ante generationem: ergo totum Christi incepit esse: ergo & Christus, qui pro toto supponit: ergo hæc propositio: *Christus incæpit esse*, absolutè prolata est vera in rigore sermonis.

221 *Probatur deniquè conclusio ad hominē contra Thomistas.*

Probatur deniquè conclusio ad hominem contra Thomistas: iuxta hos in hac propositione: *Deus est homo*, subiectum determinatur à prædicato, vt stet pro supposito, quatenus subsistat humanitati, vt illa propositio sit per se: ergo melius in hac: *Christus incæpit esse*, trahetur subiectum per prædicatum, vt stet pro supposito, quatenus humanitati subsistat. Probatur consequentia: illa suppositio est magis aliena ab illo subiecto *Deus*, quam à subiecto *Christus*: ergo in hac propositione: *Christus incæpit esse*, trahetur subiectum per prædicatum, vt stet pro supposito, quatenus humanitati subsistat. Probatur antecedēs: *Deus* nullo modo includit humanitatem: *Christus* verò illam includit: illa ergo suppositio est magis aliena ab illo subiecto *Deus*, quā à subiecto *Christus*.

222 *Arguit. 1.*

Arguitur primo: *ad Hæbreos* 13. dicitur: *Iesus Christus heri, hodie, ipse, & in sæcula*, sicque locuntur Patres: ergo Christus non incepit esse.

Respondeo.

Respondeo: Paulum loqui de Christo, vt Deo, seu secundum Divinitatem, quomodo intelligendi sunt Patres, dum docent: Christum semper fuisse. Et hęc est vera, & catholica Patrum intelligentia, quin ex hoc aliquid contra conclusionem statutam deduci valeat.

223 *Arguit. 2.*

Arguitur secundò: quando Christus ponitur pro subiecto propositionis, semper pro supposito Divino supponit; sed suppositum Divinum non incepit esse: ergo nec Christus: ergo falsa absolutè est hęc propositio: *Christus incæpit esse*. Hoc est argumentum, quod contra nos obiecimus *difficultate antecedenti numer.* 210. cuius solutionem promisimus in præsenti præbere, & vt promissum adimplcamus, triplicem solutionem assignabimus.

Respondeo 1.

Respondeo itaquè primo negando maiorem; quia Christus potest supponere pro toto, vt proximè dicebamus, qua solutione omninò ruit argumentum.

224 *Respondeo 2.*

Respondeo secundò distinguendo maiorem: quando Christus ponitur pro subiecto propositionis, semper supponit pro supposito Divino, nudè sumpto, vel vt subsistente in natura humana concedo maiorem; nudè sumpto præcisè nego maiorem; distinguo minorem: suppositum Divinum nudè sumptum non incepit esse concedo minorem; vt in natura humana subsistens nego minorem, & consequentiam. Itaquè quando de Christo dicuntur prædicata Divina, supponit pro supposito Divino nudè sumpto, vt in hac: *Christus est æternus*; quando verò de illo dicuntur prædicata naturæ humanæ, supponit pro supposito Divino, vt subsistente in humana natura, vt in hac: *Christus est mortuus*, & in hac: *Christus incæpit esse*; vndè sicut illa est vera; ita & hæc.

225 *Respondeo 3.*

Respondeo tertiò retorquendo argumentum: quando Christus ponitur pro subiecto propositionis, semper supponit pro supposito Divino; sed suppositum Divinum absolutè, & sine addito non est finitum, mortale, passibile, temporalitèr genitum, nec mortuum: ergo nec Christus erit finitus, mortalis, passibilis, temporalitèr genitus, nec mortuus. Atqui omnia hæc sunt contra adversarios argumenti factores: ergo solvere tenentur argumentum, ad cuius solutionem nos præmunt. Et cum hoc sit præcipuum illorum argumentum, solutionē, quā à nobis petunt, petimus ab illis.

226 *Arguit. 3.*

Arguitur tertiò: hęc locutio: *Christus incæpit esse*, denotat, personam Verbi incæpisse esse; sed hoc est falsum: ergo falsa est prædicta locutio: ergo & hæc propositio: *Christus incæpit esse*. Probatur maior: illa locutio denotat, quod Christus absolutè incæpit esse: ergo denotat, personam Verbi incæpisse esse.

Respondeo.

Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Primò: quia vt diximus *num.* 214. vt prædicatum absolutè enuntietur de subiecto composito, qualis est Christus, sufficit, quod prædicatum conveniat alicui parti subiecti. Secundò: quia potest Christus supponere pro toto, vt diximus *num.* 220. Vel distinguo consequens: hæc locutio: *Christus incæpit esse*, denotat, personam Verbi incæpisse esse, sumpta persona Verbi, vt subsistente in natura humana concedo consequentiam; persona Verbi nudè sumpta nego consequentiam. Solutio constat ex dictis *num.* 214. De-

Aliter respondetur.

Retorqueo argum.

niquè retorqueo argumentum: hæc locutio: *Christus est genitus temporali generatione, & est mortuus*, denotat, personam Verbi esse genitam temporali generatione, & esse mortuam; sed hoc est falsum: ergo falsa est prædicta locutio: ergo & hæc propositio: *Christus est genitus temporali generatione, Christus est mortuus.* Probatur maior eadē ratione, qua contra nos probant argumenti factores: illa locutio denotat, quod Christus absolutè est genitus temporali generatione, & est mortuus: ergo hæc locutio: *Christus est genitus temporali generatione, & est mortus*, denotat, personam Verbi esse genitam temporali generatione, & esse mortuam.

227 *Arguit. 4.*

Arguitur quartò: de Christo dicitur simpliciter, quod sit æternus: ergo nequit dici simpliciter, quod incipiat esse. Probatur consequentia: esse æternum, & incipere esse, sunt contradictoria; sed iuxta concessa de Christo dicitur simpliciter, quod sit æternus: ergo nequit dici simpliciter, quod incipiat esse. *Respondeo* primò negando consequentiam, & distinguendo probationem: esse æternum, & incipere esse, sunt contradictoria respectu eiusdem esse concedo antecedens; respectu diversi esse negò antecedens, & consequentiam, quia vtrumque dicitur de Christo secundum diversas naturas, quas habet. *Respondeo 1.* secundò retorquendo, vt in *num. antecedenti.*

Secundo.

228 *Arguit. 5.*

Arguitur quintò: quæ verificantur de Christo, verificantur de Verbo per communicationem Idiomatum: ergo verum est dicere: Verbum *incæpit esse.* *Respondeo.* Respondeo concedendo consequentiam in sensu à nobis explicato *num.* 224. Nec hoc est inconveniens; & si esset, ipsi tenentur salvare, faciendo contra ipsos retorsiones à nobis factas *num.* 225.

229 *Arguit. 6.*

Arguitur sextò: Christus per nos incæpit esse; sed Christus est Deus: ergo Deus incæpit esse, quod est falsum. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam; quia ly *esse* in maiori supponit pro esse humano Christi, & in conclusione pro esse Divino; vndè est fallatia accidentis; esset tamen bona consequentia, si diceret: ergo ille, qui est Deus, incæpit esse. Retorqueo etiam argumentum, vt in *num.* 225.

230

Ex his clarissimè iam constat, quod hæc propositio: *Christus incæpit esse*, est vera in rigore sermonis. Advertit tamen Scotus, quod ab ea est abstinendum, ne habeamus verba communia cum Arrianis, qui dicebant: Christum incæpisse esse, ad significandum, quod etiam Verbum, secundum quod Verbum est, incæpit esse, quod absit à nobis. Et hoc idem advertit de hac: *Christus est creatura*, idemque adverti valet de hac propositione: *Verbum assumpsit hominem*, propter eandem rationem; cæterum hoc nō tollit, quod omnes prædictæ propositiones sint veræ in rigore sermonis, vt de omnibus, & de qualibet seorsim ostensum manet.

231 *Corollariū.*

Ex dictis in discursu disputationis colligitur: Authores illos, qui, fatendo, veram esse in rigore sermonis quamlibet ex his propositionibus: *Christus est creatura. Christus incæpit esse*, negant, veram esse in rigore sermonis hanc propositionem: *Verbum assumpsit hominem*, parum consequenter procedere, vt satis, & superabundanter constat ex dictis absque alio de nobo superaddito. Et hæc de illa disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 5. §. 4.* ad illa verba: *Quare non accepit personam hominis, cum hominem accepit. Et §. vltimo per totum. Et dist. 6.* *Mag. Sent.*

***

TRACTATVS QUINTUS.

DE GRATIA PERSONALI CHRISTI.

DISPVTATIO VIGESIMA PRIMA.

Vtrùm humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquid substantiale?

§. I.

Aliquibus suppositis referuntur sententiæ.

Num. 1 *Suppono* 1.

HÆc difficultas alijs terminis solet proponi, scilicet, *an gratia habitualis fuerit necessaria in Christo ad effectum Sanctificationis*? Pro cuius resolutione supponendum est primò, quod omnes Theologi fatentur, nempè, in Christo esse gratiam habitualem, vt colligitur ex verbis illis Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, & plenum gratiæ, & veritatis.* Fatentur paritèr omnes, secundum humanitatem fuisse à primo suæ Conceptionis instanti Deo gratum, Sanctum, Iustum, & Innocentem, vt constat ex Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus, &c.* & Lucæ 1. *Quod exte nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Hæbre. 7. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex Sanctus, Innocens, Impollutus, segregatus à peccatoribus.* Controvertitur itaquè, an fuerit Sanctus per solam gratiam habitualem, an etiam ratione vnionis cum Verbo; seu quod idem est, an humanitas Christi sit Sancta, & grata Deo ex vi vnionis hypostaticę, ita vt talis esset etiam sine habituali gratia.

2 *Suppono* 2. *Triplex Sanctitas distinguitur. Prima.*

Suppono secundò: quod Christus Dominus (vt notavit Rada 3. *part. controvers.* 4. *artic.* 3. *not.* 2. & post ipsum Mastrius *in* 3. *disput.* 2. *quæst.* 1. *artic.* 1. *num.* 4.) potest dici gratus, & dilectus Deo triplici gratitudine. Prima est necessaria, substantialis; & prorsus infinita, quę Christi personam, vt primum, & vltimum terminum, per se primò respicit. Estque dilectio, & gratitudo illa, qua æternus Pater, Christum, vt naturalem, & Vnigenitum Filium, diligit; eadem enim dilectione necessaria, ac naturali, & omnino infinita, qua se ipsum Pater diligit, diligit & Filium ob vnitatem Divinæ naturæ, quam cum ipso habet. Nec arbitreris, hanc dilectionem gratitudinem dici, quasi sit effectus gratiæ, & alicuius gratuiti Doni; sed dicitur gratitudo obiectivè in eo præcisè sensu, quo id totum, quod voluntati placet, ipsi gratum dicitur, & acceptum; sivè libera, sivè necessaria, ac naturali dilectione diligatur. Dicitur ergo hoc modo Christus infinitè gratus Deo, quia infinitè dilectus dilectione infinita, qua quælibet ex Divinis personis diligitur, & omnes simul.

3 *Secunda:*

Secunda gratitudo est substantialis, ac infinita, ad aliquid tamen finitū, ac limitatum terminata, scilicet, ad humanam Christi naturam, qua ex parte illa dilectio, & gratitudo libera est, & non necessaria, quia non necessario, sed merè liberè esse personale Verbi voluit humanitati assumptæ, qua etiam ratione Sanctitas Christi dici debet finita, quia licèt Sanctitas Verbi communicata humanitati assumptæ sit infinita, communicatur tamen finito modo iuxta capaeitatē naturæ, cui communicatur; & hæc est ea Sanctitas, & gratitudo, quę ad vnionis gratiam spectat, quia Deus voluit

humanitati infinitum, & ſubſtantiale bonum, ſcilicet, eſſe perſonale Divini Verbi communicare; & quia hæc communicatio perſonalis fuit, non autem formalis, ſeu per modum formæ; non enim Divinitas, vel Verbi perſonalitas, communicata eſt humanitati per modum formæ; ideò hæc gratitudo perſonalis dicitur, etſi ad naturam, cui facta fuit, gratia terminetur; & hæc gratitudine, & Sanctitate perſonali Chriſtus dicitur Sanctus, & gratus ex vi vnionis hypoſtaticæ, liquidem eſſe perſonale Diuinum, Sanctiſsimum, & Deo gratiſsimum virtute huiuſmodi vnionis naturæ aſſumptæ communicatum eſt; vnde cũ aſſerimus, Chriſtum ex vi vnionis hypoſtaticæ Sanctum eſſe, & Deo gratũ Sanctitate, & gratitudine perſonali, non intendimus, ipſam Chriſti perſonam eſſe Sanctam, & Deo gratam, id enim habet perſona Verbi ex vi ſuæ generationis æternæ; ſed loquimur de Chriſto, vt cum perſonalitate Verbi etiam naturam includit humanã, & affirmamus, illam Sanctitatem perſonæ Divinæ ex vi vnionis hypoſtaticæ humanitati communicatam eſſe, non accidentaria, ſed ſubſtantiali communicatione, quia Verbi Divini eſſe perſonale humanitati communicatum eſt, quo verè ſubſiſtit; in quo gratia vnionis formaliter conſiſtit.

4 *Tertia.*

Tertia denique Sanctitas, & gratitudo eſt accidentaria, & participata, quæ humanitati Chriſti convenit per gratiam habitualem, qua conſors, & particeps Divinæ efficitur naturæ, & conſiſtit in communicatione huiuſmodi formæ ſupernaturalis accidentalis, perficientis, & elevantis animam Chriſti; quæ quidem Sanctitas, & gratitudo partim convenit cum ſecunda, & partim differt. (vt notat Rada) Convenit quidem, quia vtraque eſt effectus liberalis, & gratuitæ dilectionis Dei.

5 *Triplex differentia inter 2. & 3. Sanctitatem.*

Differt verò tripliciter. Primò: quia illa eſt ſubſtantialis; bonum enim gratuito collatum humanitati eſt ipſamet ſubſtantialis Divini Verbi perſonalitas; hæc verò eſt accidentalis; conſiſtit namque in communicatione Divinæ naturæ per formam accidentalem, qua ſubiectum fit particeps Divinæ naturæ. Secundò: quia illa eſt perſonalis; bonum enim humanitati per ſe primò collatum eſt tantum Verbi perſonalitas, & per modum termini dumtaxat ipſi vnita; hæc verò eſt formalis, & per modum formæ actuantis, & elevantis naturam humanam Chriſti ad divinæ naturæ participationem. Tertiò denique differt: quia illa Sanctitas, & gratitudo, quæ conſiſtit ſolum in eo, quod Deus voluit humanitati eſſe perſonale Verbi Divini, non reddit ex ratione ſua formali naturam gratam, & acceptam Deo in ordine ad ſupernaturalia bona; hæc autem conſtituit animam in quodam ſupernaturali eſſe formali, eamque gratam, & Deo acceptam reddit in ordine ad ſupernaturalia bona, per ipſamque eſt Paternorum bonorum hæres, Deique amica, & ab ipſo dilecta.

6 *Suppono 3.*

Status difficultatis apperitur.

Suppono tertiò: quod ex triplici ſuprà dicta Sanctitate non eſt ſermo in præſenti de prima, qua Pater Chriſtum, vt naturalem, & vnigenitum Filium, diligit, quia hæc Sanctitas non reſpicit Chriſtum, in quantum hominem, ſed in quantum Verbum; nam vt tale ſolum diligitur à Patre dilectione neceſſaria, ſubſtantiali, & prorſus infinita. Nec eſt ſermo de ſecunda Sanctitate, quia hæc etiam reperiretur in natura irrationali, ſi eſſet aſſumpta; ſi quidem eſſe perſonale Verbi Diuini, quod Sanctiſsimum, & Deo gratiſsimum eſt, eſſet naturæ irrationali communicatum, aſſumptione ſuppoſita. Relinquitur ergo difficultas ad tertiam Sanctitatem; an ſcilicet, humanitas ex vi vnionis hypoſtaticæ reddatur grata, & accepta Deo in ordine ad ſupernaturalia bona, quæ eſt Sanctitas, quam gratia habitualis tribuit humanitati.

7 *Suppono 4.*

Amplius apperitur ſtatus difficultatis.

Et ne in æquivoco laboremus, ſuppono quartò: quod duplex eſt Sanctitas. Alia eſt propria Iuſtorum, eſtque principium morale operationum, quæ de condigno ſunt meritoriæ. Alia verò eſt in ordine ad cultum, reverentiam, & adorationem, & hæc Sanctitas reperitur in Reliquijs Sanctorum, veſtibus Sacris, &c. quam duplicem Sanctitatem in Chriſto Domino diſtingunt multi Patres, præſertim Cyrillus *Epiſt. ad ſolitariam vitam*, quæ habetur in Concil. Epheſino *tom. 1. & in declaratione ſeptimi anathiſmi ibidem tom. 5. cap. 8.* D. Bernardus *Homil. 4. in Miſſus eſt, & ſerm. 16. in Cantic.* Chriſoſtomus *Homil. de Sancto, &*

be-

benerando Spiritu. Hyeronimus *in illud Habacuc: Egressus est in salutem.* Ambrosius 1. *de Spiritu Sancto cap.* 8. Inter has autem Sanctitates, non loquimur in præsenti de secunda, quæ est in ordine ad cultum, sed de prima, quæ est propria Iustorum, & quæ constituit hominem gratum, & Deo acceptum in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia.

8 *Amplius apperitur difficultas.*

Hæc autem Sanctitas est duplex. Vna causalis, radicalis, dispositiva, seu in actu primò. Alia est formalis, sive in actu secundo. De prima non est sermo. Primò: quia absque controversia reputo verum, quod vnio hypostatica fuit saltem de congruo causa, & dispositio ad Sanctitatē animæ, quod colligit Doctor *in 3. dist. 2. quæst. 2.* ex illo Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ,* vbi dicere videtur, quod Christum esse vnigenitum Patris, est proxima ratio congruentiæ, quare Christus habeat plenitudinem gratię. Secundò: quia dubium permittere non videtur, quod vnio hypostatica reddat humanitatem amabilem in actu primo in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, illique det ius radicale ad illa, quatenus humanitatē reddit in Verbo personatam. Restat igitur difficultas de Sanctitate formali, seu in actu secundo, per quam humanitas constituitur actu, & formaliter grata, & accepta à Deo in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia.

9 *Sensus Scotistarum.*

Et certè Scotum, & Scotistas in hoc sensu loqui, firmissimè credo; quia minimè credo, Scotistā aliquem negare voluisse, humanitatem Christi ex vi vnionis hypostaticæ præcisè esse Sanctam Sanctitate personali, de qua diximus *numer.* 3. nec negare, esse Sanctam in ordine ad bona supernaturalia, Sanctitate causali, radicali, dispositiva, seu in actu primò, cuius ratio est: nam re vera negari nequit, quod humanitas ex vi vnionis hypostaticæ præcisè aliquam eximiam acquirat Sanctitatem ob intimam, & physicam coniunctionem cum Verbi personalitate, quam non haberet purus homo, quantumcumque gratia habituali perfusus; atqui hæc Sanctitas nequit esse alia, quam vtraque suprà dicta, semel negato, quod humanitas Christi actu, & formaliter sanctificetur ratione vnionis cum Verbo: ergo vtraque dicta Sanctitate Sancta fuit humanitas Christi ex vi vnionis hypostaticæ præcisè.

10 *Suppono vltimò.*

Suppono denique pro clariori huius difficultatis resolutione: quæstionem esse: an humanitas Christi, de facto, & de potentia ordinaria, sanctificetur formaliter per gratiam vnionis? Non verò est quæstio de potentia Dei absoluta; quia de hac loquendo, nihil certius in Scoti doctrina, posse humanitatem Christi per gratiam vnionis formaliter sanctificari. Primò: quia, vt docet Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 1. artic. 2.* vniversaliter de omnibus creaturis Sanctitatis capacibus, potest Deus hominem diligere in ordine ad gloriam, illamque ei conferre sine vllo habitu infusso per solam extrinsecam acceptationem, quia Deus non alligatur causis secundis, & quidquid potest his mediantibus, potest etiam sine illis. Secundò: quia sicut gratia habitualis non ex natura rei, sed ex sola ordinatione Divina, reddit hominem Sanctum, & sibi gratum formaliter, vt tenet Magister *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. de secundò. Et in 2. dist. 27. Et in 4. dist. 16. quæst. 2.* ita quoque facere potuisset, vt ipsa vnio hypostatica formaliter sanctificaret, & eodem modo, quo gratia habitualis, in quo casu ipsa sola vnio hypostatica ad hunc effectum fuisset sufficiens, nec gratia habitualis necessaria esset in Christo.

11 *1. Sententia.*

In hac disputatione duas extremè oppositas Theologorum sententias reperio. Prima affirmat: humanitatē Christi esse Sanctam, & gratam formaliter per aliquod donum substantiale à gratia habituali distinctum. Sic Ill. Godoy *num.* 4. cum omnibus, quos pro hac sententia refert *num.* 2. qui licèt in allegata sententia conveniant, in modo illam defensandi dissident, & in plures modos dicendi dividuntur: quibusdam asserentibus, sanctificari humanitatē Christi formaliter, tum, à modo substantiali vnionis, quem realiter ab extremis distingui *tom. præcedent. disput.* 11. cum Ill. Godoy, & frequentiori Recentiorum sententia docuimus. Tùm, à personalitate Verbi, quatenus à natura Divina, & à perfectionibus absolutis Dei virtualiter distincta. Tùm denique, à natura Divina sub conceptu essentiæ, & naturę.

Ill. Godoy.

Alijs è contra docentibus: à sola personalitate Verbi, provt virtualitèr à natura Divina distincta, formalitèr Sanctam constitui. Alijs denique asserentibus: à sola essentia, & natura Divina, sub conceptu essentiæ, & naturæ; non autem à modo substantialiter vnionis, nec à personalitate Verbi, sanctificari formalitèr. Et hæc est opinio Ill. Godoy *num.* 208.

12 *2. Sentent. Scotus.* Secunda, & vera sententia negat: humanitatem Christi Domini esse Sanctam, & gratam formalitèr per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum; ideòque asserit: gratiam habitualem fuisse in Christo necessariam, vt illius humanitatem redderet Sanctam formalitèr. Quæ sententia, intellecta de Sanctitate formali, seu in actu secundo, per quam humanitas Christi constituitur actu, & formalitèr grata, & accepta à Deo in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia (de qua in præsenti loquimur) est opinio, quæ communior videri debet, vtpotè, illam Antiqui defendebant, nullam Sanctitatem in ordine ad vitam æternam ex vi vnionis in Christo cognoscentes.

13 *Paludanus Ricardus. Marsil. Durand. Capreol. Medina. Ovandus. D. Bonav.* Vndè D. Thomas 3. *part. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 1. ait: quod cum anima Christi non sit Divina per essentiam, oportet, quod fieret Divina per participationem, scilicet, per gratiam (intelligè habitualem, de qua agebat.) Hanc opinionem secuti sunt Paludanus *dist.* 13. *quæst.* 2. Ricardus Taper. *artic* 8. Marsilius *quæst.* 10. *concluſ.* 1. Durandus *dist.* 12. *quæst.* 2. Capreolus *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 3. Medina 3. *part. quæst.* 7. *artic.* 1. Ovandus *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. *num.* 8. Et D. Bonaventura, qui *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. tenet expræsè: gratiã habitualem esse necessariam in Christo ad merendum, & satisfaciendum. *Scotus.* Et denique hæc est sententia Scoti *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *Et dist.* 2. *quæst.* 1. *Et dist.* 13. *quæst.* 1. & 2. eamque supponere videtur *dist.* 18. 19. & 20. & adhuc clariùs illã indicat *dist.* 10. *quæst. vnica in fine*, cum quo & ego. Pro quo sit.

§. II.

Prima conclusio statuitur, & probatur.

14 *1. Conclusio* PRima conclusio: *Humanitas Christi Domini non sanctificatur formaliter per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum.* Hanc nostram cum Scoto conclusionem probat Centinus, refutando præcipuum adversariorum fundamentum, scilicet, quod humanitas Christi substantialiter Sanctificetur per gratiã vnionis; accidentaliter verò à gratia habituali; nam hoc manifestam involuit contradictionem; repugnat namque, quod satisfactio sit substantialis, cum tam activa, quàm passiva Sanctitas, sit accidens. Cæterum hæc ratio non convincit; quia dari Sanctitatem substantialem, & humanitatem Christi esse substantialiter Sanctam per gratiam vnionis, declaratum est *num.* 3.

Ratio cuius dã refertur

Ratio prædicta non vrget.

15 *Ratio Mastrij proponitur.* Mastrius verò in præsenti *num.* 10. aliter probat conclusionem, cuius ratio ad hanc formam reducitur: id solum potest sanctificare formalitèr, ratione cuius subiectum acceptatur ad vitam æternam, & diligitur in ordine ad illam; sed ratione gratiæ vnionis non diligitur humanitas Christi in ordine ad vitam æternam, nec ad illam acceptatur: ergo per gratiam vnionis non sanctificatur formalitèr. Minor, cui inest difficultas, ostenditur. *Maior probatur* 1. Primò: potest enim Deus, gratia vnionis præsupposita, & Christo in suo esse constituto per illam, non dare illius humanitati gloriam, nec gratiam habitualem, imò potest omni supernaturali dono destitutam relinquere, loquendo de potentia absoluta; cum huiusmodi dona cum gratia vnionis, & assumptione humanitatis à Verbo, essentialem connexionem nõ habeant: ergo ex vi gratiæ vnionis nõ diligitur Christus, vt homo, in ordine ad vitam æternam, nec ad illam acceptatur. *Secundò.* Secundò probatur minor: nam potuit de potentia absoluta vnio Verbi fieri ad irrationalem naturam; sed natura irrationalis non potest diligi in ordine ad vitam æternam: ergo sic diligi, non est effectus formalis gratiæ vnionis substantialis; implicat enim formã vnitã esse subiecto, & illi suum effectum formalem non dare.

16 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 39. concessa maiori, negando minorem, ad cuius primam probationem concesso antecedenti distinguit consequens: non diligitur in ordine ad vitam æternam in iure, & quoad sufficientiam negat consequentiam; in re, & quoad efficatiam subdistinguit: attenta exigentia vnionis connaturaliter negat consequentiam; indispensabiliter at-

Ad 1. prob. minoris.

ten-

tenta potentia absoluta Dei concedit consequentiam. Nec hoc secundum necessarium est, vt gratia vnionis humanitatem Christi sanctificet, sed sufficit primum, vt constat in gratia habituali, quæ formalis Sanctitas est, & tamen, licèt constituat hominem dignum, vt à Deo acceptetur ad vitam æternam, & det ius sufficiens ad illam; non tamen constituit hominem necessario acceptatū: potest enim Deus homini in gratia habituali constituto, etiam in sensu composito gratiæ, vitam æternam negare, imò & illum in æternum punire, sua vtens absoluta potentia, in qua hypotesi talis homo esset acceptatus ad vitam æternā in iure, & quoad sufficientiam, non tamen in re, & quoad efficatiam: pariter ergo in præsenti, casu in quo Deus humanitati Verbo hypostaticè vnitæ vitam æternam negaret; maneret humanitas ex vi gratiæ vnionis acceptata ad vitam æternam in iure, idest, cum iure, vt ad vitam æternam acceptaretur, etsi in re acceptata ad illam non esset, vt quantum est de se gratia vnionis exigebat; & hoc sufficit, vt gratia vnionis sit Sanctitas formalis.

17 *Ad 2.* Ad secundam probationem concesis maiori, & minori negat consequentiam; licèt enim forma subiecto capaci vnita præbeat illi omnem suum effectum formalem; secus tamen contingit, quando in subiecto non adest ad omnes illos capacitas; vt constat in gratia habituali, quæ non dat Christo, vt homini, esse Filium Dei adoptivum; quia in illo ad hunc effectum capacitas non reperitur: constat etiam in personalitate Verbi, quæ naturæ bruti vnita, illam personatam non redderet, sed tantum suppositatam, etsi Verbi personalitas vtrumque possit præstare; quia vnius, & non alterius effectus, capax est bruti natura: quia ergo natura irrationalis est incapax iuris ad vitam æternā, & diligibilitatis in ordine ad illam: fit consequens, vt quamtumvis gratia vnionis sit potens ad prædictos effectus, non tamen illos præstet naturæ irrationali defectu capacitatis.

18 *Instat Ill. Godoy.* Et instat manifestè in nostra sententia: nam licèt nos gratiæ vnionis non concedamus vim sanctificandi formalitèr, subtinemus tamen sanctificare radicalitèr humanitatē Christi, quem effectum non præstat in genere causæ efficientis, sed in genere causæ formalis; & tamen Verbum naturæ irrationali vnitum, non sanctificaret illam radicalitèr: ergo ex eo, quod Verbum vnitum naturæ bruti, non sanctificaret illam formalitèr, nec constitueret diligibilem in ordine ad vitam æternam; perperam colligitur huiuscemodi effectus non dare naturæ rationali, cui vnitur.

19 *Objicies:* Sed dices: esto effectus secundarius possit separari à forma communicata subiecto; effectus tamen primarius à forma subiecto vnita inseparabilis est: cum effectus formalis primarius, nihil aliud sit, quam forma subiecto communicata; sed esse Sanctum, & diligibile in ordine ad vitam æternā, si præstatur à gratia vnionis formalitèr, non est secundarius, sed primarius effectus illius; sicut esse Sanctum, & gratum gratitudine accidentali, est primarius effectus gratiæ habitualis: ergo non poterit à forma substantialiter sanctificante subiecto communicata separari; & consequentèr non poterit Verbum naturæ irrationali vniri, illamque non reddere Sanctam formalitèr, supposito, quod forma sanctificans sit.

20 *Respond. 1: Ill. Godoy.* Respondet primò Ill. Godoy *num.* 42. negando maiorem; nam personā constituere, non est effectus secundarius, sed primarius personalitati Verbi, & relatum constituere effectus primarius est relationis filiationis Divinæ; & tamen subsistentia Verbi naturæ irrationali vnita personam non constitueret, sed tantum suppositum, & filiatio Verbi humanitati vnita nō constituit relatam humanitatem, sed personatam, & suppositam: ergo forma subiecto communicata, potest illi non præbere omnem suum effectum formalem, quamtumvis primarius sit, ob incapacitatem subiecti; & consequentèr quamvis esse Sanctum effectus primarius sit sanctitatis substantialis, poterit ab illa naturæ irrationali vnita non præstari; quia ad huiuscemodi effectum in natura irrationali non invenitur capacitas. Nec obstat probatio in contra; nam effectus formalis primarius non est forma vt cumque communicata, sed forma communicata subiecto capaci.

21 *Respond. 2.* Respondet secundò Ill. Godoy *num.* 43. prætermissa maiori, negando

mi-

minorem ; nam effectus primarius gratiæ vnionis est naturam suppositam, & personatam reddere, Deificatamque constituere, hoc est, Diuinitati coniunctam in eadem persona, aut suppolito ; ius autem ad vitam æternam, seu diligibilitas in ordine ad illã secundario à gratia vnionis præstatur. Nec obstat exemplum in probatione adductum; dicimus namque, etiam respectu gratiæ habitualis non primario, sed secundario effectum sanctitatis, & ius ad vitam æternam comparari; primarius autem effectus illius est, subiectum constituere particeps Diuinæ essentiæ, & naturæ.

22 *Instabis.* Instabis: ergo sic comparantur in gratia vnionis esse Sanctum substantialitèr, & esse Deificatum, sicut comparantur in gratia habituali esse particeps diuinæ naturæ, & esse Sanctum, & gratum gratitudine accidentali. Sed implicat, gratiam habitualẽ communicare alicui subiecto participium Diuinæ naturæ, & non præstare eidẽ sanctitatis effectum, & ius ad vitam æternam : ergo paritèr : implicabit communicari alicui naturæ esse Deificatam formalitèr per gratiam vnionis, quin illi communicetur esse Sanctam, & gratã gratitudine substantiali, iusque ad vitam æternam habentem.

23 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 45. distinguendo primum consequens : sic comparantur quantum ad rationem effectus primarij, & secundarij concedit consequentiam ; sic comparantur quoad omnia negat consequentiam, & concessa subsumpta, negat consequentiam. Ratio discriminis est: nam cum esse particeps Diuinæ naturæ, sit esse radicem videndi, & amandi Deũ, & implicet capacitas ad videndum, & amandum Deum, absque capacitate amabilitatis ab ipso, ideò non stat capacitas ad participium Diuinæ naturæ, absque capacitate ad Sanctitatem; & consequentèr implicat, quod à gratia habituali primum, & non secundũ præsteturesse autem Diuinitati coniunctum duplicitèr contingere potest, nempè, in vnitate personæ, vt coniungitur cum Deo rationalis creatura, & in vnitate suppositi, vt in natura irrationali contingeret: & primò modo affert secum indispensabilitèr sanctitatis effectum, secus autem secundò modo ; ideòque stare potest capacitas ad esse Deificatum, quod primario à gratia vnionis præstatur, cum incapacitate ad effectum sanctitatis, qui secundario provenit ab illa.

24 *Replicat Mastrius.* Contra totam hanc doctrinam Ill. Godoy replicat Mastrius *num.* 15 : nam potuit Verbum assumere naturam humanam in puris naturalibus; sed in hoc casu natura humana non esset grata, nec ingrata: ergo natura humana non redditur Sancta per gratiam vnionis: ergo vnio hypostatica ex sua ratione formali non affert sanctitatẽ. *Respondet Ill. God.* Cæterum ad hanc replicam qua triplicitèr valet respondere Ill. Godoy. Primò : præmissis concessis, negabit consequens ; non enim sequitur ex præmissis, sed quod sequitur est: ergo in illo casu natura humana non redderetur Sancta per gratiam vnionis, quod est verum ; cæterum hoc non tollit, quod gratia vnionis de facto sit sanctitas formalis ; in præsenti autem non est difficultas de potentia Dei absoluta, sed de potentia ordinaria, & de facto, vt fatetur ipse Mastrius in statuenda conclusione *num.* 8.

25 *Secundò. Tertiò.* Secundò respondere valet distinguendo consequens distinctione data *num.* 16. Tertiò respondere valet negando consequentiam; nam licèt potuit Verbum assumere naturam humanam in puris naturalibus, quo in casu natura humana, nec esset grata, nec ingrata, hoc non obest, vt de facto sit grata per gratiam vnionis, & ratio est: nam in data hypotesi suspenderet Deus effectum Sanctitatis ab vnione exactum, vt suspendere potest de potentia absoluta quemcumque effectũ secundarium formæ ; ast de facto, & de potentia ordinaria talem effectum non suspendit; vndè etsi in casu replicæ natura humana non esset Sancta per gratiam vnionis, de facto tamen sanctificatur per illam. *Quartò.* Quartò denique potest respondere, quod licèt natura humana in puris naturalibus nõ sit absolutè incapax sanctitatis; tamen pro illo statu est Sanctitatis incapax, & hæc est ratio, cur, si Verbum assumpsisset naturam humanam in puris naturalibus, non redderetur Sancta per gratiam vnionis.

26 *Probat. 1. conclusio.* Ob hæc itaque, Mastrij ratione in sua probabilitate relicta, aliter à nobis est probanda conclusio, & primò sic: effectus formalis, & primarius alicuius formæ, non potest ab alio, quam ab ipsa forma, præstari; sed esse gratũ,

& Sanctum formaliter, sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia supernaturalia bona, est effectus formalis, & primarius gratiæ habitualis: ergo à subsantiali dono, à gratia habituali distincto, communicari non potest: ergo humanitas Christi Domini per gratiam vnionis non sanctificatur formaliter, sed solum per gratiam habitualem redditur formaliter Sancta Sanctitate prædicta. Vtraque consequentia est legitima. Minor docetur ab omnibus Theologis iuxta Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 7.* Maior autem est notoria. Primò: quia effectus formalis primarius formæ, nihil aliud est, quam ipsa forma communicata subiecto. Secundò: nam esse hominem, & esse album, qui sunt effectus formales, & primarij humanitatis, & albedinis, à sola humanitate, & ab albedine sola præstantur.

27 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 29. concessa maiori, distinguendo minorem: esse gratum gratitudine accidentali est effectus gratiæ habitualis concedit minorem; esse gratum gratitudine substantiali, vel gratitudine sumpta in communi negat minorem, & consequentiam; vel distinguit consequens distinctione data. Itaquè esse Sanctum, vel gratum abstrahit a grato gratitudine accidentali, & à grato gratitudine substantiali. Et sumptum in communi est effectus formæ sanctificantis simili communitate gaudentis, abstrahentisque à forma substantiali, & à forma accidentali. Primum membrū à forma accidentali præstatur, nec potest ab alio, quam ab illa provenire. Secundum verò provenit à forma substantiali, ex quo solum sequitur, humanitatem Christi per gratiam vnionis non esse Sanctam, & gratam gratitudine accidentali; non verò, quod per illam Sancta, & grata substantialiter non constituatur.

28 *Reijcitur 1 hæc solutio.* Hæc tamen solutio Ill. Godoy, quę omnibus adversarijs communis est, reijcitur primò: humanitas Christi iuxta solutionem Ill. Godoy sanctificatur formaliter substantialiter per gratiam vnionis: ergo humanitas Christi non sanctificatur formaliter accidentaliter per gratiam habitualem. Atqui hoc est contra omnes Theologos, vtpotè, contra Tridentinum, & Patres: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur consequentia: humanitas Christi non potest formaliter sanctificari Sanctitate increata substantiali, & Sanctitate creata accidentali, seu substantialiter formaliter, & formaliter accidentaliter; sed humanitas Christi iuxta solutionem sanctificatur formaliter substantialiter per gratiam vnionis: ergo humanitas Christi non sanctificatur formaliter accidentaliter per gratiam habitualem. Probatur maior: tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari expleri potest per sanctitatem increatam substantialem, etsi potest, expletur; sed expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, humanitas Christi non potest sanctitate creata accidentali formaliter sanctificari: ergo humanitas Christi non potest formaliter sanctificari sanctitate increata substantiali, & sanctitate creata accidentali, seu substantialiter formaliter, & formaliter accidentaliter. Consequentia est ex præmissis legitimè illata. Præmissę autem sunt probandę.

29 *Probatur maior quoad 1. part. 1.* Probatur itaquè maior quoad primam partem primò: tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari, non excedit virtutem sanctitatis increatæ substantialis: ergo tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari expleri potest per sanctitatē increatam substantialem. Probatur antecedens: virtus sanctitatis increatæ substantialis est virtus sanctitatis infinitæ; sed tota capacitas humanitatis non excedit virtutem sanctitatis infinitæ: ergo non excedit virtutem sanctitatis increatæ substantialis. *Probat. 2.* Probatur secundò eadē pars maioris: humanitas Christi est infinitè Sancta per sanctitatem increatam; sed tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari expleri potest per sanctitatem infinitam: ergo idem, quod prius. Consequentia est legitima. Minor est certa: nam tota capacitas Verbi Divini ad formaliter sanctificari expletur per sanctitatem increatam: multo igitur meliùs tota capacitas humanitatis. Maior est omnium Thomistarum, cum quibus Ill. Godoy *num.* 18.

30 *Probat. 2. pars 1.* Ex hisque facilitèr suadetur secunda pars maioris, & primò sic: sanctitas increata substantialis communicatur humanitati, quantum communicari po-

potest: ergo tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari expletur per sanctitatem increatã substantialem. Consequentia est certa; alioquin tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari non posset expleri per sanctitatem increatam substantialem, cuius oppositum manet probatum. Suadetur secundò: sanctitas increata substantialis est infinita; sed tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari expletur per sanctitatem infinitam: ergo tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari expletur per sanctitatem increatam substantialem. Premisse sunt certæ, & consequentia eadem gaudet certitudine, ac cõsequentia precedẽs.

Secundò.

31 *Minor suprà positi syllogismi probatur.*

Minor suprà positi syllogismi sic potest probari: si expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, posset humanitas Christi formaliter sanctificari sanctitate creata accidentali, posset idem effectus à duplici forma, vel causa procedere; sed hoc est falsum: ergo expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, humanitas Christi non posset sanctitate creata accidentali formaliter sanctificari. Probatur maior: si expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, posset humanitas Christi formaliter sanctificari sanctitate creata accidentali, humanitas esset formaliter Sancta duplici sanctitate, nempè, sanctitate increata substantiali, & sanctitate creata accidentali: ergo posset idem effectus à duplici forma, vel causa procedere. Consequentia patet: nam sanctitas formalis humanitatis proveniret à duplici sanctitate, quarum quælibet esset totalis causa illius.

Si dicas pro Ill. God.

Si dicas pro Ill. Godoy: prædictum inconveniens non sequi; nam in humanitate Christi est duplex sanctitas formalis, quarum vna ab vna, & alia ab alia procedit.

Contra 1.

Contra primò: nam sic respondendo, defendi potest: quod expleta tota capacitate materiæ per vnam formam, posset per aliam informari: nam non sequeretur, quod idem effectus proveniret à duplici forma; esset namquè in materia duplex informatio, quarum vna ab vna, & alia ab alia proveniret; atqui hoc est falsum in sententia Ill. Godoy: ergo nulla est solutio pro illo allata.

Contra 2.

Contra secundò: humanitatem Christi esse formaliter Sanctam, nihil aliud est, quam esse gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia; sed hæc gratitudo, & acceptatio proveniret à sanctitate increata substantiali, & à sanctitate creata accidentali, dato, quod ab vtraque esset humanitas Christi formaliter Sancta: ergo hoc dato, sequeretur, quod idem effectus proveniret à duplici causa totali: ergo ruit solutio. Præmissæ sunt veræ; & consequentia claret: quia quælibet sanctitas esset causa totalis, tribuens humanitati Christi sanctitatẽ formalẽ.

32 *Melius probatur dicta min.*

Sed quidquid sit de hac probatione, meliùs à nobis prædicta minor probatur: implicat, quod expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatẽ increatam substantialem, posset humanitas Christi formaliter sanctificari sanctitate creata accidentali: ergo expletà tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, humanitas Christi non posset sanctitate creata accidentali formaliter sanctificari. Probatur antecedens: si expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, posset humanitas Christi formaliter sanctificari sanctitate creata accidentali, sequeretur hæc contradictio, scilicet, quod tota capacitas humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari esset expleta, & non esset expleta; atqui hoc nequit concedi: ergo implicat, quod expleta tota capacitate humanitatis in ordine ad formaliter sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, posset humanitas Christi sanctificari formaliter sanctitate creata accidentali. Probatur maior: nam in primis esset expleta, vt supponitur. Deindè non esset expleta; quia esset capacitas ad sanctificari formaliter sanctitate creata accidentali, vt est evidens; supponitur namquè sanctificari sanctitate creata accidentali, quod necessario supponit capacitatem ad sanctificari per illam:

ergo

ergo esset expleta, & non esset expleta.

33 *Reijcitur 2 solutio Ill. Godoy.*

Reijcitur secundò solutio Ill. Godoy: sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, & sanctificari per sanctitatem creatam accidentalem, sunt in eodem ordine sanctitatis respectu humanitatis: ergo nequit per vtramque humanitas Christi sanctificari, & consequentèr ruit solutio Ill. Godoy. Antecedens patet: nam sanctificari per sanctitatem creatam accidentalem, & sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, est humanitatem esse gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, de qua tantum sanctitate loquimur in præsenti, vt suppositum manet *num.* 8. Consequentia verò probatur: nequit humanitas formalitèr sanctificari per duplicem sanctitatem in eodem ordine; sed sanctificari per sanctitatem increatam substantialem, & creatam accidentalem, est humanitatem esse gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia: ergo nequit per vtramque humanitas Christi sanctificari. Probatur maior: semel, quod humanitas sit formalitèr Sancta per sanctitatem increatam substantialem, habet quidquid in ordine sanctitatis potest habere per aliam in eodem ordine; sed semel, quod humanitas habeat per vnam sanctitatem quidquid in ordine sanctitatis potest habere, nequit humanitas formalitèr sanctificari per aliam sanctitatem in eodem ordine: ergo nequit humanitas formalitèr sanctificari per duplicem sanctitatem in eodem ordine. Minor patet; alioquin humanitas per vnam sanctitatem non haberet, quidquid habere posset in ordine sanctitatis. Maior autem probatur: semel, quod humanitas per sanctitatem increatam substantialem sit grata, & Deo accepta in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, habet quidquid in ordine sanctitatis potest habere per aliā in eodem ordine: ergo semel, quod sit Sancta per sanctitatem increatam substantialem, habet quidquid in ordine sanctitatis potest habere per aliam in eodem ordine.

34 *Reijcitur 3*

Reijcitur tertiò: humanitas Christi, formalitèr sanctificata per sanctitatem increatam, nequit formalitèr sanctificari per sanctitatem creatam; sed iuxta solutionem Ill. Godoy humanitas Christi est formalitèr sanctificata per sanctitatem increatam: ergo nequit sanctificari formalitèr per sanctitatem creatam: ruit ergo solutio. Probatur maior: humanitas Christi formalitèr subsistens per subsistentiam increatam, nequit subsistere formalitèr per creatam subsistentiam: ergo paritèr. Probatur consequentia: ita humanitas in ordine sanctificabili completur per formā sanctificantem, ac in ordine subsistentiali completur per subsistentiam; sed humanitas Christi formalitèr subsistens per subsistentiam increatam, nequit subsistere formalitèr per creatam subsistentiam: ergo humanitas Christi formalitèr sanctificata per sanctitatem increatam, nequit formalitèr sanctificari per creatam sanctitatem.

35 *Reijcitur 4*

Reijcitur quartò: humanitas Christi est formalitèr Sancta per sanctitatem increatam: ergo non sanctificatur formalitèr per sanctitatem creatam, quod est contra Tridentinum, Patres, & omnes Theologos. Probatur consequentia: si humanitas Christi formalitèr Sancta per sanctitatem increatam sanctificaretur formalitèr per sanctitatem creatam, vel esset, vt humanitas Christi per sanctitatem creatam esset formalitèr, Sancta sanctitate alterius generis, seu ordinis à sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia; vel vt esset Sancta sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia; vel vt esset magis Sancta in hoc sanctitatis genere; atqui ad nihil deservit sanctitas creata in humanitate Christi, formalitèr sanctificata per sanctitatem increatam: ergo humanitas Christi non sanctificatur formalitèr per sanctitatem creatam. Consequentia est legitima. Maior notoria videtur, quia non est alius effectus potens à sanctitate provenire.

36 *1. Pars minoris probatur.*

Minor verò quoad primam partem probatur: sanctitas proveniens à sanctitate creata, est sanctitas in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, & in hoc sanctitatis genere sanctificatur formalitèr humanitas Christi per sanctitatem creatam iuxta Ill. Godoy, & omnes adversarios: ergo sanctitas creata non deservit, vt humanitas Christi sit Sancta formalitèr sanctitate alterius generis, seu or-

dinis à sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia.

Probat. 2. Quoad secundam probatur: humanitas Christi per sanctitatem increatam est formaliter Sancta sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia: ergo sanctitas creata nō deservit, vt humanitas Christi sit Sancta sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia.

Probat. 3. Quoad tertiam probatur minor: humanitas Christi per sanctitatem increatam est infinitè Sancta sanctitate in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, vt tenet cum aduersarijs Ill. Godoy; atqui infinito nihil addi potest: ergo sanctitas creata non deservit, vt humanitas Christi sit magis Sancta sanctitate in ordine ad beatitudinē, & alia bona supernaturalia.

37 *Reijcitur 5 solutio Ill. Godoy.* Denique probatur prædicta minor quoad omnes partes, & reijcitur quinto solutio Ill. Godoy: quandocumque forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr, inferiorem, & effectum illius, frustra inferior ponitur cum superiori; sed sanctitas increata est sanctitas superior, continens eminentèr, vel virtualitèr, sanctitatem creatam, & effectū illius: ergo frustra sanctitas creata ponitur cum sanctitate superiori: ergo si humanitas Christi est formaliter Sancta sanctitate increata, nullatenùs sanctitas creata deservit ad sanctificandam humanitatem Christi: ergo vera est suprà posita minor, & ruit solutio Ill. Godoy. Omnes consequentiæ sunt legitimæ, & veræ. Præmissæ autem sunt probandæ.

38 *Probatur maior.* Probatur itaquè maior: quandocumque forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr, inferiorem, & effectum illius, quidquid habetur per inferiorē, præstatur à superiori, & excellentiori modo; sed quandocumq̄ id, quod habetur per inferiorē, præstatur à superiori, & excellētiori modo, frustra inferior ponitur cum superiori: ergo quandocumq̄ forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr, inferiorē, & effectū illius, frustra inferior ponitur cum superiori. Consequentia infertur. Maior patet in anima rationali; hæc enim est forma superior, continens eminentèr, vel virtualitèr, vegetativam, & sensitivam; ideòque quidquid habetur per istas, præstatur ab illa, & excellentiori modo. Minor verò eadem paritate probatur: nam ideò in homine frustra ponerentur anima vegetativa, & sensitiva cum anima rationali, quia quidquid habetur per illas, præstatur ab anima rationali, & excellentiori modo: ergo quandocumque id, quod habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo, frustra inferior ponitur cum superiori. Consequentia est legitima. Antecedens autem est communis omnium sententia.

39 *Minor syllogismi probatur.* Minor syllogismi prædicti probatur: sanctitas increata est sanctitas substantialis, Divina, & imparticipata; sanctitas verò creata est sanctitas accidentalis, finita, & participata: ergo sanctitas increata est sanctitas superior, continens eminentèr, vel virtualitèr, sanctitatem creatā. Atqui sanctitas increata continet etiam eminentèr, vel virtualitèr, effectum sanctitatis creatæ: ergo sanctitas increata est sanctitas superior, continens eminentèr, vel virtualitèr, sanctitatem creatam, & effectum illius. Probatur sūmpta: effectus sanctitatis creatæ est reddere humanitatē formaliter sanctam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia; sed iuxta Ill. Godoy, & omnes aduersarios, sanctitas increata reddit humanitatem formaliter sanctam hoc genere sanctitatis: ergo sanctitas increata continet eminentèr, vel virtualitèr, effectum sanctitatis creatę. Præmissę constant. Cōsequentia verò patet: quia sanctitas increata non posset reddere humanitatem formaliter sanctam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, quin eminentèr, vel virtualitèr, hanc sanctitatem contineret.

40 *Respondebis.* Nullam ex his impugnationibus sibi obiecit Ill. Godoy, nec ex ab ipso in præsenti traditis invenio, quid ad eas (vltima excepta) respondere valeat, nisi quod communitèr responderi solet, scilicet, ad dignitatē Christi spectare, quod sanctificetur omnibus modis, quibus congruè potest, ideòque debuit sanctificari sanctitate, non tantum creata, & accidentali, vt nos sanctificamur, sed etiam increata, & substantiali, quæ est in Christo sanctitas peculiaris. Cæterum hæc respensio *Contra.* est, quam directè impugnant replicæ assignatæ, vt ex ipsis apparet; quarè in hoc non est immorandum.

41 Ad vltimam impugnationem respondebis ex doctrina Ill. Godoy *n.* 31.

quod

Respondebis cum Ill. Godoy.

quod licèt sanctitas increata contineat eminentèr sanctitatem creatam, non tamen potest humanitati vniri, illius effectum præstando, qui est posse radicalitèr phisicè videre, & amare Deum; sicut intellectus Divinus quamvis eminentèr lumen gloriæ contineat, non potest intellectui creato effectum formalem luminis gloriæ præstare, nec voluntas Divina voluntati creatæ potest effectum formalem habitus Charitatis præbere, quamvis illum eminentèr contineat, *vt tract. de Visione Dei, & de Charitate docuit.* Quorum omnium ratio est: nam id, quod vnitur per modum principij vitalis, sivè radicale sit, sive proximum, necessario debet intrinsicè informare subiectum, cui vnitur; hæc autem informatio perfectionibus Divinis repugnat. Deindè: nam si increata sanctitas humanitati vnita, illi effectum formalem habitualis gratiæ præberet, superflueret gratia habitualis in anima Christi Domini; consequens est falsum, vt ex omnium Theologorum sententia *disput. sequenti*, videbimus.

42 *Impugnatur solutio probando concluſ. ad hom. contra Ill. Godoy.*

Hæc autem solutio alitèr impugnanda non est, quam ex ipsa ad hominem contra Ill. Godoy nostram probando conclusionem. Probatur itaquè secundò nostra conclusio: vel effectus sanctitatis creatæ, nempè, reddere humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, est præscindibilis ab effectu, nempè, reddere humanitatem potentem radicalitèr phisicè videre, & amare Deum, vel non? Si primum: ergo increata sanctitas eminentèr continens sanctitatem creatam, vnita humanitati poterit illi præbere effectum illum formalem sanctitatis creatæ, nempè, reddere humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, quin illi præbere possit alium effectum, scilicet, reddere humanitatem potentem radicalitèr phisicè videre, & amare Deum: ergo sanctitas increata humanitati vnita, illi præstabit prædictum formalem effectum sanctitatis creatæ: ergo quantum ad hunc effectum, nempè, reddere humanitatem gratã, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, superfluit sanctitas creata in anima Christi Domini. Omnes consequentiæ sunt legitimæ; & hæc vltima est Ill. Godoy in solutione, quæ tamen sententiæ omnium Theologorum est opposita, vt ipse fatetur.

43

Si secundum: ergo reddere humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, est effectus inpræscindibilis ab hoc effectu, nempè, reddere humanitatem potentem radicalitèr phisicè amare, & videre Deum: ergo sanctitas increata nequit reddere humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia. Atqui si sanctitas increata hoc facere nequit, nequit humanitatem formalitèr sanctificare, sanctitate, de qua in præsenti loquimur: ergo humanitas Christi Domini non est Sancta, & grata formalitèr per aliquod donũ substantiale, à sanctitate creata, vel gratia habituali distinctum. Sumpta cum consequentia tenet. Prima consequentia est legitima. Secũda verò probatur: sanctitas increata nequit reddere humanitatem potentẽ radicalitèr phisicè amare, & videre Deum: ergo nequit reddere humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia probatur: reddere humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, est effectus inprescindibilis ab hoc effectu; sed sanctitas increata nequit reddere humanitatem potentem radicalitèr phisicè amare, & videre Deum: ergo sanctitas increata nequit reddere humanitatẽ gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia. Præmissæ sunt concessæ. Consequentia ita legitimè infertur, quod si aliquis eam negaret, negare tenebitur maiorem, scilicet, quod illi effectus sint inpræscindibiles, consequentèrq; in contradictionẽ incidere.

44 *Probat. 2. conclusio ad hominem contra Ill. Godoy.*

Probatur secundò conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: ex vi gratiæ vnionis non sanctificatur formalitèr humanitas Christi: ergo Christi humanitas non sanctificatur formalitèr ab aliquo dono substantiali, à gratia habituali distincto. Probatur antecedens: ideò ex vi gratiæ vnionis sanctificaretur formalitèr humanitas Christi, quia quod præstat animæ participa-

tio Deitatis, nempè, gratia habitualis, multo melius id præstabit substantialis Deitatis communicatio, scilicet, gratia vnionis; sed quod præstat animæ participatio Deitatis, non præstat substantialis Deitatis communicatio: ergo ex vi gratiæ vnionis non sanctificatur formaliter humanitas Christi. Maior est Ill. Godoy *num.* 16. vbi hac ratione suam probat conclusionem. Minor probatur: si id, quod præstat animæ participatio Deitatis, præstaret substantialis Deitatis communicatio, id, quod præstat animæ participatio Divinæ visionis, præstaret substantialis totius Deitatis communicatio; sed quod præstat participatio Divinæ visionis, non præstat substantialis totius Deitatis communicatio: ergo quod præstat animæ participatio Deitatis, non præstat substantialis Deitatis communicatio. Consequentia est legitima. Minor certa; alioquin gratia vnionis, quæ est substantialis Deitatis communicatio, beatificaret formaliter humanitatem Christi, quia hoc est, quod præstat participatio Divinæ visionis, quæ est visio beata. Maior necessario debet concedi ab Ill. Godoy, vel suam maiorem esse falsam, fateri cogitur.

45 *Probat. 3. conclus. etiã ad hominẽ cõtra ipsũ.*

Probatur tertiò conclusio etiam ad hominem contra ipsum: si gratia habitualis contineret radicaliter sanctitatem, sicut radicaliter continet gloriam, gratia habitualis non redderet animam, gratam, & Sanctam formaliter; sed gratia vnionis continet radicaliter sanctitatem: ergo gratia vnionis non reddit animam gratam, & Sanctam formaliter. Consequentia est legitima. Minor est apud omnes certa, eamque fatetur Ill. Godoy *n.* 17. in prima confirmatione asserẽs: quod gratia vnionis continet radicaliter ipsam gratiam habitualem. Maior verò in qua vnicè potest esse difficultas, probatur: gratia habitualis continens radicaliter gloriam, non reddit animam formaliter beatam: ergo si gratia habitualis contineret radicaliter sanctitatem, sicut radicaliter continet gloriam; gratia habitualis non redderet animam gratam, & Sanctam formaliter.

46 *Probat. 4. conclus. etiã ad hominẽ.*

Probatur quartò conclusio ad hominem etiam contra Ill. Godoy: id, cui debetur sanctitas, non sanctificat formaliter; sed gratia vnionis debet tur sanctitas humanitati Christi: ergo gratia vnionis non sanctificat formaliter humanitatem Christi. Consequentia infertur. Minor est apud omnes certa, illamque tenet Ill. Godoy *num.* 17. docens: gratiam vnionis continere radicaliter gratiam habitualem. Maior verò probatur: id, cui debetur gloria, non beatificat formaliter: ergo similiter: id, cui debetur sanctitas, non sanctificat formaliter. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 16. Consequentia paritate videtur nota. Ab oppositio formatur probatio: id, cui debetur sanctitas, sanctificat formaliter: ergo id, cui debetur gloria, beatificat formaliter. Atqui gratiæ vnionis debetur sanctitas, & gloria: ergo gratia vnionis sanctificat, & beatificat formaliter, quod est contra omnes.

47 *Probat. 5. conclusio paritate.*

Quintò probatur conclusio paritate: capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata; sed in Christo est capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo in Christo est capacitas ad beatificari, beatitudine increata. Atqui hoc est falsum: ergo falsum est, quod in Christo sit capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo humanitas Christi non est formaliter Sancta per gratiam vnionis. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior probatur: capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata. Antecedens est notorium; omnis namque natura sanctificabilis est beatificabilis. Consequentia certa apparet iuxta illam regulam, nempè, concessio antecedenti in illatione vt verò, conceditur consequentia illativè vera; quia si ex capacitate ad sanctificari sequitur capacitas ad beatificari, etiã ex capacitate ad sanctificari sanctitate increata, sequi debet capacitas ad beatificari beatitudine increata. Vltra quod probatur consequentia: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatẽ ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatẽ ad beatificari beatitudine increata; sed iuxta concessa, & veritatem capacitas ad sanctificari arguit capacitatẽ ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit ca-

pa-

pacitatem ad beatificari beatitudine increata. Minor, & cōsequentia tenēt.

Probatur maior paritatibus.

Maior autem probatur primò: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, ex capacitate ad sanctificari sanctitate creata sequitur capacitas ad beatificari beatitudine creata: ergo si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata. Probatur secundò dicta maior: si immaterialitas arguit intellectivum, & intellectivum volitivum, ex immaterialitate creata sequitur intellectivū creatum, & ex intellectivo creato sequitur volitivum creatum. Item ex immaterialitate increata sequitur intellectivum increatum, & ex intellectivo increato sequitur volitivum increatum: ergo idem quod anteà.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Probatur tertiò eadem maior, & formatur paritas ab oppositō: si capacitas ad beatificari arguit capacitatē ad sanctificari, ex capacitate ad beatificari beatitudine increata sequitur capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo paritèr. Probatur consequentia. Capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari sunt convertibiles; valet namquè: *Est capacitas ad beatificari: ergo est capacitas ad sanctificari. Est capacitas ad sanctificari: ergo est capacitas ad beatificari*: ergo etiam debent esse convertibiles: capacitas ad beatificari beatitudine increata, & capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo valet etiam: *Est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo est capacitas ad sanctificari sanctitate increata. Est capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo est capacitas ad beatificari beatitudine increata*: ergo si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.

Confirmatur, & vrgetur 1.

Confirmatur, & vrgetur primò: capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari, sunt convertibiles; sed quia sunt convertibiles, valet hæc cōsequentia: *Est capacitas ad sanctificari sanctitate creata: ergo est capacitas ad beatificari beatitudine creata*: ergo quia sunt convertibiles, etiam hæc debet valere: *Est capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo est capacitas ad beatificari beatitudine increata.* Atqui in Christo non est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo nec est in illo capacitas ad sanctificari sanctitate increata. Vrgetur secundò: capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari, sunt convertibiles; sed quia sunt convertibiles, valet hæc consequentia: *Est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo est capacitas ad sanctificari sanctitate increata*: ergo quia sunt convertibiles, hæc etiā debet valere: *Non est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo non est capacitas ad sanctificari sanctitate increata.* Consequentia claret vi illius axiomatis: *Quando affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis.*

Secundò.

Hæc ratio pro nostra conclusione fundatur in doctrina generali, scilicet, in eo, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari, sunt convertibiles, quam doctrinam expræsè docet Ill. Godoy *num.* 45. assignando discrimen inter effectus gratiæ vnionis, & effectus gratiæ habitualis, vbi clarissimè fatetur prædictam convertibilitatem his verbis: *Nam cum esse particeps Divinæ naturæ sit esse radicem videndi, & amandi Deum, & implicet capacitas ad videndum, & amandū Deum, absquè capacitate amabilitatis ab ipso, ideò non stat capacitas ad participium Divinæ naturæ absquè capacitate ad sanctitatem.* Huic accedit, bonam esse paritatem; cum æqualitas, quæ datur inter beatificari, & sanctificari, reperiatur etiam inter beatitudinem increatam, & increatam sanctitatem. Solutio, quam adhibere potest Ill. Godoy ad hanc paritatem assignabimus *disp.* 31. *§.* 3. vbi illam impugnabimus.

Prædicta ratio fundatur in doctrina Ill. Godoy.

48

Probatur deniquè conclusio.

Probatur deniquè conclusio alia paritate ad hominem etiam contra Ill. God: solus Deus potest esse Sanctus sanctitate increata; sed Christi humanitas Verbo hypostaticè vnita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, vt Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis nō est Sancta sanctitate increata. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior autem probatur: sanctitas increata est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædica-

tur natura, cuius eſt talis proprietas: ergo ſanctitas increata ſolum poteſt convenire, cui convenit eſſe Deum: ergo ſolus Deus eſt Sanctus ſanctitate increata. Conſequentia eſt legitima. Minor apparet in quacumque proprietate cuiuſcumque naturæ, vltra quod eſt expreſſa doctrina Ill. Godoy, & Div. Thomæ, vt proximè dicemus. Maior autem nottoria videtur.

Maior oſtenditur 1. Et oſtenditur primò: nam omne ens increatum, à ſe, & omninò independens, eſt ad minus proprietas conſequens naturam Divinam; ſed ſanctitas increata eſt ens increatum, à ſe, & omninò independens: ergo ſanctitas increata eſt proprietas conſequens naturam Divinam. *Secundò.* Probatur ſecundò: Omnipotentia, æternitas, immenſitas, increata ſapientia, &c. ſunt proprietates conſequentes naturam Divinam: ergo etiam ſanctitas increata. *Tertiò.* Tertiò: ſanctitas increata non eſt accidens naturæ Divinæ ad veniens: ergo eſt ad minus proprietas conſequens naturam Divinam: ergo vera eſt ſuprà poſita minor.

Hęc eſt paritas formata ad litteram doctrinæ, quam tradit Ill. Godoy *tom. 3. diſput. 38. num. 2.* vbi ad defenſandũ, quod humanitas Chriſti Domini ex vi vnionis ad Verbum Omnipotens ſimpliciter conſtituta non fuerit, hac vtitur ratione, deducta ex D. Thom. *3. part. quæſt. 13. artic. 1.* quod vt appareat, rationem illius tranſcribo: *Solus Deus Omnipotens eſſe poteſt; ſed Chriſti humanitas Verbo hypoſtaticè vnita, ita diſtincta à Divinitate permanſit, & impermixta cum illa, vt Dea affecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis non eſt conſtituta Omnipotens, nec dici poteſt eſſe Omnipotentem ſimpliciter. Conſequentia tenet. Minor eſt de fide. Maior oſtenditur ratione D. Thomæ in præſenti: cum enim vnumquodque agat ſecundum quod eſt in actu, & in actu conſtituatur per formam, quæ, vel eſt ipſa rei natura, vel rei naturam conſtituit, & Omnipotentia Divina ſit virtus, per quam Deus agit ad extrà, conſequenter eſt proprietas conſequens Divinam naturam; ſed proprietas naturam aliquam conſequens ſoli convenit habenti talem naturam, nec poteſt enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius eſt talis proprietas: ergo Omnipotentia ſimpliciter ſolum poteſt convenire, cui convenit eſſe Deum; & conſequenter ſolus Deus eſt Omnipotens.* Sic Ill. Godoy *citat.* ad cuius litteram formata eſt paritas noſtra, vt luce clarius ſplendet.

Neſcio certè, quid ad hanc paritatem, vt à nobis formatam, reſpondere valet Ill. Godoy, & rationem reddo: nam ſi reſpondeat: aſsignando diſparitatem, quam inter Sanctitatem, & Omnipotentiam aſsignat *in præſenti à num. 216.* & quam repetit *tom. 3. in 3. part. diſput. 38. num. 30. & 31.* Vltrà hoc, quod talem diſparitatem impugnabimus §. 8. ſemper manet contra ipſum efficatia noſtræ paritatis, quod manifeſtum facio, ſic contra ipſum inferendo; ergo ſanctitas increata convenit alteri naturæ præter Divinam. Hæc conſequentia eſt apud ipſum manifeſta. Suſſumo nunc; atqui ſanctitas increata eſt proprietas conſequens naturam Divinam: ergo proprietas conſequens aliquam naturam, poteſt alteri naturæ convenire, quod eſt contra D. Thom. & Ill. God. *tom. 3. cit.*

Declaratur deniquè efficatia noſtræ paritatis, & ſimul præcluditur illius ſolutio, aliter paritatem efformando: Omnipotentia ſoli Deo poteſt convenire: ergo ſanctitas increata ſoli Deo competere valet. Antecedens eſt Ill. Godoy *tom. 3. citat.* Conſequentia probatur: ideò Omnipotentia ſoli Deo poteſt convenire, quia Omnipotentia eſt proprietas conſequens naturam Divinam, & proprietas conſequens aliquam naturam convenire nequit, niſi illi, cui convenit talis natura; atqui ſanctitas increata eſt proprietas conſequens naturam Divinam: ergo ſanctitas increata ſoli Deo competere valet. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt evidens, & iam oſtenſa. Maior eſt D. Thomæ, cum quo Ill. Godoy, vt manet declaratum.

§. III.

Argumento Ill. Godoy ab authoritate deducto occurritur.

PRætermiſsis aliorum argumentis, quæ contra noſtram concluſionem nõ vrgere, fatetur Ill. Godoy, arguit ipſe ab authoritate *num. 8.* nam apud Patres idem eſt, eſſe vnctum, ac eſſe Sanctum formaliter, quo circa iuſti, Chriſti, ideſt, vncti appellantur; ſed Chriſtus, in quantum homo, dicitur ſubſtantialiter vnctus à Divinitate formaliter: ergo dicitur etiam ab eadem Divinitate formaliter Sanctus.

49 *Arguit Ill. Godoy ab authorit.*

Mi-

Minorem probat triplicitèr.

Minor, in qua est difficultas probatur primò ex Dionisio Alexandrino *in Epistola contra Paulum Samosetanum*, ex Basilio *in illud Psalm. 44. Propterea vnxit te Deus*, ex Athanasio *in Oratione contra Arrianos*, ex Cyrilo *lib. 4. in Ioannem cap. 29.* ex Damasceno *lib. 3. de Fide capit. 3.* ac deniquè ex Gregorio Naziancen. *Oratione 36. quæ est 4. de Theologia num. 94.* vbi de Christo loquens, sic habet: *Christus verò dicitur propter Diuinitatem, ea enim humanitatis vnctio est, non operatione, vt in alijs Christis sanctificans, sed totius vngentis præsentia.* Ex quibus verbis ostenditur minor primò: nam Christus idem est, quod vnctus; sed Christus, in quantum homo, est substantialitèr Christus: ergo est substantialitèr vnctus; & consequentèr substantialitèr Sanctus. Secundò: nam Christus dicitur vnctus à Diuinitate, non operatione, sicut alij Iusti: ergo dicitur vnctus à diuinitate formalitèr. Tertiò: quia vt expræssè docet Naziancenus, Diuinitas est vnctio humanitatis: ergo constituit humanitatem substantialitèr vnctam, & consequentèr substantialitèr Sanctã.

50 *Explicatio Patrum.*

Ad hoc argumentum ex Patribus deductum, quantum ad Patrum intelligentiam pertinet, respondet Mastrius *num. 19.* Patres eo modo loquentes, nihil aliud intendisse, quam hæresim Apollinaris, & sequatium infectari, qui negabat, Verbum humanam assumpsisse mentem, ne cum ea peccatum in Christo admitteret; ad quod principium evertendum dicebant, nullum imminere periculum, quod in illa mente locus esset peccato, quæ Verbo, & diuinitati coniuncta erat, quia diuinitatis intima præsentia, & coniunctio per dona, quæ secum affert, peccatum, & potestatem ad illud à Christi humanitate excludebat. Nõ explicant autem, an præsentia diuinitatis id faceret per se ipsam formalitèr, vel solum virtualitèr, & causalitèr per dona, quæ secum invehit in naturam assumptam; vndè adhuc benè restat nostræ explicationi locus, quod debeat intelligi virtualitèr, & causalitèr, non verò formalitèr.

51 *Alia explicatio.*

Alij Scotistæ respondent: quod Patres docentes, humanitatem Christi fuisse Deitate vnctam, & diuinitate delibutam, debent intelligi de sanctitate, quæ præstat cultum, & reverentiam, & cui debetur adoratio latriæ, non de Sanctitate propria iustorum; quam duplicem sanctitatem in Christo distinxerunt Cyrillus *in Epistol. ad solitariam vitam, quæ habetur in Ephesino tom. 1. cap. 1.* Hyeronimus *in illud*, Abacuc: *Egressus est in salutem, &c.* Et hoc etiam significat; humanitatem esse quasi ferrum ignitum, vt locuntur aliqui Patres, scilicet, quod ignis est in poris ferri, non tamen, quod illud informet; ita Diuinitas est cum humanitate, non tamen illã informat.

52 *Altera explicatio.*

Ego verò (& fortè propriùs) conformitèr ad dicta *num. 3.* sentio: Patres locutione prædictà non tribuere humanitati sanctitatem in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia; sed solum humanitati concedere sanctitatem personalem, quod satis apparet ex verbis Nazianceni ab Ill. Godoy in argumento relatis, & meliùs claret ex verbis sequentibus, subdit namquè Nazianceenus: *Cuius hic effectus est, vt id, quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat*, quę verba satis denottant sanctitatem personalem, quam explicuimus *num. 3. citat.* & quam, vt iam diximus, minimè credo, alios Scotistas negare voluisse, quia re vera negari nequit, humanitatem ex vi vnionis hypostaticè præcisè aliquam eximiam acquirere sanctitatem, ob intimam, & physicam coniunctionem cum Verbi personalitate, quam non haberet purus homo, quantacumque gratia habituali perfusus, quatenus eam entitativè ac substantialitèr complet per propriam subsistentiam.

53 *Respond. ad argum.*

Ad argumentum verò (Patribus sic, vel sic explicatis) respondeo primò distinguendo maiorem: apud Patres idem est, esse vnctum, ac esse Sanctum formalitèr; sanctitate in ordine ad cultum, vel sanctitate in ordine ad vitam æternam concedo maiorem; sanctitate in ordine ad vitam æternã præcisè nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo Christus dicitur à Diuinitate formalitèr Sanctus, sanctitate in ordine ad cultum concedo consequentiam; in ordine ad vitam æternam nego consequentiam. Vel aliter distinguo maiorem: apud Patres idem est, esse vnctum, vnctione in ordine ad vitã æternam, ac esse Sanctum formalitèr concedo maiorem; idem est, esse vnctum, vnctione in ordine ad cultum, ac esse

Sanc-

Sanctum formaliter nego maiorem; diſtinguoque minorem: ſed Chriſtus, in quantum homo, dicitur ſubſtantialiter vnctus à Diuinitate formaliter, vnctione in ordine ad cultum concedo minorem; in ordine ad vitã ęternã nego minorem, & conſequentiam.

54 *Ad probationes minoris reſpondetur.*

Et iuxta hanc reſponſionem ad probationem minoris, ex Patribus deductam, conſtat ſolutio per dicta *num.* 51. Ad primam autem probationem ratione formatam, conceſsis præmiſſis cum prima conſequentia, diſtinguo conſequens ſubillatum: & conſequenter eſt ſubſtantialiter Sanctus, ſanctitate in ordine ad cultum concedo conſequentiam; ſanctitate in ordine ad vitam æternam nego conſequentiam. Vel diſtinguo maiorem: Chriſtus idem eſt, quod vnctus, vnctione in ordine ad cultum, vel in ordine ad vitam æternam concedo maiorem; vnctione in ordine ad vitam æternam præciſsè nego maiorem, & concella minori, diſtinguo conſequens: ergo eſt ſubſtantialiter vnctus, vnctione in ordine ad cultum concedo conſequentiam; vnctione in ordine ad vitam æternam nego conſequentiam; & diſtinguo ſubillatam: ergo eſt ſubſtantialiter Sanctus, ſanctitate in ordine ad cultum concedo conſequentiam; in ordine ad vitam æternam nego conſequentiam; & hac duplici diſtinctione diſtinguo ſecundã, & tertiam probationem minoris.

55 *Explicatur ſolutio.*

Itaquè eſſe vnctum, ſicut eſſe Sanctum, duplicitèr poteſt ſumi. Primò in ordine ad cultum. Secundò in ordine ad vitam æternam, quæ eſt ſanctitas perfecta. In primò ſenſu Vaſa Sacra vncta, & Sancta ſunt. B. Virgo Maria vncta, & Sancta fuit etiam. Crux, & alia etiam vncta, & Sancta fuerunt. Et in hoc ſenſu humanitas Chriſti fuit Deitate vncta, & Sancta, ratione cuius vnctionis, & Sanctitatis humanitati debetur adoratio latriæ. In ſecundò autem ſenſu vncti ſunt dumtaxat Filij Dei, ſeu Sancti, & conſequenter Chriſtus; cæterum hæc vnctio in Chriſto, non à Diuinitate, ſed à gratia habituali prouenit, ſicut in omnibus alijs ſanctis; ſicque claret prima reſponſio, in cuius favorem aduximus dicta *num.* 7. & 51.

56 *Reſpond. 2. ad argum.*

Reſpondeo ſecundò ad argumentum, aliter diſtinguendo maiorem: idem eſt, eſſe vnctum, ac eſſe Sanctum formaliter, ſanctitate perſonali, vel ſanctitate formali, ſeu per modum formæ concedo maiorem; ſanctitate formali, ſeu per modum formæ præciſsè nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo cõſequens: ergo Chriſtus dicitur à Diuinitate formaliter Sanctus, ſanctitate perſonali concedo conſequentiam; ſanctitate formali, ſeu per modum formæ nego conſequentiam, & iuxta hanc ſolutionem conceſſo ſyllogiſmo primæ probationis minoris, diſtinguo diſtinctione data conſequens ſubillatum. Concedo ſecundam probationem, & ad tertiam, entimemate conceſſo, diſtinguo eadem diſtinctione ſubillatum conſequens. Solutio claret ex dictis *num.* 5. 9. & 52.

57 *Reſpond. 3.*

Reſpondeo tertiò diſtinguendo aliter maiorem: idem eſt, eſſe vnctum vnctione ſe habente per modum formæ, ac eſſe Sanctum formaliter concedo maiorem; vnctione non ſe habente per modum formæ nego maiorem, & diſtinguo minorem: ſed Chriſtus, in quantum homo, dicitur ſubſtantialiter vnctus à Diuinitate formaliter, Diuinitate ſe habente per modum formæ nego minorem; non ſe habente per modum formę concedo minorem, & nego conſequentiam. Iuxta quam ſolutionem ad primam minoris probationem diſtinguo maiorem: Chriſtus idem eſt, quod vnctus, vnctione ſe habente per modum formæ, & per modum formæ non ſe habente concedo maiorem; vnctione ſolum ſe habente per modum formæ nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ergo eſt ſubſtãtialiter vnctus, vnctione non ſe habente per modum formæ concedo conſequentiam; vnctione ſe habente per modum formæ nego conſequentiam, & ſubillatam, diſtinguoque hac diſtinctione ſecundam, & tertiam probationem.

58 *Explicatur ſolutio.*

Itaquè in Chriſto eſt duplex vnctio. Vna per Diuinitatem, & alia per gratiam habitualem. Vnctio per Diuinitatem non eſt vnctio ſe habens per modum formæ; repugnat namquè Diuinitati, ſicuti cuilibet Diuino prædicato eſſe actum informantem. Vnctio verò per gratiam habitualem eſt vnctio ſe habens per modum formæ, quia gratia habitualis iuxta omnes intrinſicè informat humanitatẽ.

Cum

Cum igitur non omnis vnctio sit sanctitas formalis, de qua loquimur in præsenti, sed vnctio dumtaxat se habens per modum formæ, humanitas Christi Domini non est formaliter Sãcta per vnctionẽ Divinitatis, sed solum per vnctionẽ gratię habitualis.

59 *Respond. 4.* Hanc triplicem responsionem argumento Ill. Godoy dedimus, quarũ nullam ipse adducit, & quælibet est sufficiens argumenti solutio. Sed ne videatur, nos fugere replicas, quas cõtra aliam Scotistarum solutionem tradit. Respondeo quartò ad argumentum prætermissa maiori, negando minorem, & ad probationem ex Patribus allatam, dico: Patres intelligendos esse in sensu causali, radicali, dispositivo, seu in actu primò; non vero in sensu formali, & in actu secundo, ex quo tantum sequitur, Divinitatem esse vnctionem humanitatis, non formaliter ratione sui, sed causaliter, vel originaliter, quatenus ad vnionẽ Divinitatis cum humanitate concomitatur quasi connaturaliter gratia habitualis, qua humanitas formaliter vngitur, & formaliter sanctificatur. Hæc solutio consonat cum dictis *n.* 8. & 50. per ipsamque salvatur intentũ Nazianceni, & aliorum Patrum, vt ibi dictum est, & per hoc patet ad triplicem minoris probationem.

60 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Contra hanc solutionem replicat primò Ill. Godoy *num.* 9. nam si Divinitas solum causaliter sanctificaret humanitatem Christi, sanctificaretur operatione Divina: cum gratia formaliter illam sanctificans à Divinitate per operationem efficienter causetur; sed vt ait Nazianc: *Divinitas est vnctio humanitatis Christi, non operatione, vt in alijs Christis sanctificans, sed totius vngentis præsentia*: ergo non causaliter tantum, sed etiam ratione sui formaliter Divinitas est vnctio, & sanctitas humanitatis.

61 *Replicat 2.* Replicat secundò *num.* 11. etenim Nazianc. intendit probare, dici Christum à Divinitate, & assumit pro medio, quia Divinitas est vnctio humanitatis; sed dicitur Christus à Divinitate formaliter: ergo divinitatem esse vnctionem humanitatis, accipit in sensu formali. Patet consequentia: nam Christus idem est, quod vnctus: ergo esse Christum formaliter idem est, quod esse formaliter vnctum; sed non stat, esse vnctum formaliter à Divinitate, vt vngente virtualiter: ergo non stat, esse Christum formaliter à Divinitate, vt vngente virtualiter, seu causaliter tantum. Tertiò reijcitur: nam verba Nazianceni, & aliorum Patrum cum maiori proprietate accipiuntur intellecta in sensu formali, quam in sensu causali, & ex eo; quod sic accipiantur, nullum inconveniens sequitur: ergo sic sunt accipienda. Denique: nam iuxta Nazianc. aliter comparatur Divinitas ad humanitatem Christi in ratione vnctionis, & sanctitatis, atque ad alios homines Iustos; sed aliorum est sanctitas, & vnctio causaliter; causat enim gratiam in illis, qua vnguntur, & sanctificantur formaliter: ergo respectu humanitatis Christi est sanctitas, & vnctio formalis.

Tertiò.

Quartò.

62 *Respondeo ad 1. replicam.* Respondeo ad primam replicam distinguendo maiorem: si Divinitas solum causaliter sanctificaret humanitatem Christi, sanctificaretur formaliter operatione Divina, scilicet, gratia habituali, à Divinitate efficienter causata concedo maiorem; sanctificaretur causaliter, seu radicaliter operatione Divina nego maiorem, & distinguo minorem: sed vt ait Nazianc.: Divinitas est vnctio humanitatis Christi causaliter concedo minorem; formaliter nego minorem, & consequentiam; quia vt totiès diximus, Divinitas solum causaliter est vnctio humanitatis, quia fuit causa, origo, & fons, vndè derivata fuit in humanitatem gratia habitualis, per quam Christi humanitas est formaliter vncta, seu Sancta.

63 *Ad 2. replicam.* Ad secundam replicam Ill. Godoy respondeo distinguendo maiorem: Nazianc. intendit probare, dici Christum in suo esse, vel constitutivè à Divinitate, & assumit pro medio, quia Divinitas est vnctio humanitatis concedo maiorem; intendit probare, dici Christum in ordine gratiæ à Divinitate, subdistinguo: causaliter, vel radicaliter concedo maiorem; formaliter nego maiorem, & distinguo minorem: sed dicitur Christus in suo esse, vel constitutivè à Divinitate formaliter concedo minorem; in ordine gratiæ nego minorem, & consequentiam, ad cuius probationem distinguo antecedens: Christus idem est, quod vnctus radicaliter, vel formaliter concedo antecedens; radicaliter præcisè,

vel præcisè formaliter subdistinguo: Christus in suo esse, vel constitutivè idem est, quod vnctus radicaliter, & in ordine gratiæ idem est, quod vnctus formaliter cõcedo antecedens; Christus in suo esse, vel constitutivè, idem est, quod vnctus formaliter nego antecedens, & distinguo consequens: ergo esse Christum formaliter in suo esse, vel constitutivè, idem est, quod esse formaliter vnctum nego consequentiam; esse Christum formaliter in ordine gratiæ, idem est, quod esse formaliter vnctum concedo consequentiam, & concessa minori, distinguo vltimum consequens: ergo non stat, esse Christum in suo esse, vel constitutivè formaliter à Divinitate, vt vngente virtualiter, vel causaliter tantum nego consequentiam; non stat, esse Christum in ordine gratiæ formaliter à Divinitate, vt vngente virtualiter, vel causaliter tantum concedo consequentiã, sed nego suppositũ.

64 *Explicatur solutio.* Itaquè nec replica Ill. Godoy magnam secum æquivocationem affert; facit namquè transitum de Christo in suo esse constituto, ad ipsum in ordine gratiæ, vel sanctitatis constitutũ, quæ æquivocatio tollitur per distinctiones datas, & claritatis gratia explicantur. Certum enim est, quod Christus in suo esse, vel constitutivè, dicitur à divinitate; ex hoc autem non infertur, quod Christus dicatur vnctus formaliter à Divinitate, quia Christus formaliter vnctus, est Christus formaliter constitutus in ordine gratiæ, & sanctitatis, & per aliud constituitur formaliter Christus in suo esse constitutivè, ac constituitur in ordine gratiæ, & sanctitatis. Nec valet inferre: Nazianc. *stare pro nobis ostenditur.* Naziancenum non benè probare, quin potiùs apparet expræssè, optimè probare, & nostram doctrinam validissimè confirmare. Ratio est: nam ex eo, quod divinitas sit radix, vel causa omnium, quæ ad esse Christi concomitantur in ordine Divino, nempè, gratiæ, & sanctitatis, optimè probatur, quod Christus in suo esse dicatur formaliter à Divinitate, sicut ex eo, quod rationalitas sit radix, vel causa omnium, quę ad esse hominis concomitantur in ordine naturæ, optimè probatur, quod homo in suo esse dicatur formaliter à rationalitate; atqui divinitas est radix, vel causa omnium, quæ ad esse Christi concomitantur in ordine divino, nempè, gratiæ, & sanctitatis: ergo optimè probat Nazianc. quod Christus dicatur à divinitate, assumendo pro medio, quod divinitas est vnctio radicaliter humanitatis.

Ad tertiam replicam nego, quod nullùm inconveniens sequatur ex eo, quod verba Nazianzen. & aliorum PP. accipiantur in sensu formali; secuntur namquè inconvenientia sequentia. Primum est: quod humanitas Christi non sanctificaretur per gratiã habitualem, quod est contra Tridentin. Patres, & omnes Theologos, vt constat ex dictis *numer.* 28. 29. & 30. Secundum est: quod idem effectus procederet à duplici causa totali, seu forma, vt claret ex dictis *num.* 31. Tertium est: quod anima Christi beatificaretur beatitudine increata, vt probatum manet *num.* 47. & 48.

65 *Respondeo ad 3.*

Ad vltimam respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: sed aliorum est sanctitas, & vnctio causaliter, & radicaliter nego minorem; causaliter, & purè causaliter concedo minorem, negoque consequentiam; nam absquè eo, quod divinitas sit formalis sanctitas humanitatis, salvatur alietas comparationis respectu illius, & aliorum hominum, pœnès hoc, quod alios Iustos sanctificat divinitas purè causaliter, seu purè effectivè, scilicet, causando efficienter gratiam habitualem sanctificantem illos formaliter; ast respectu humanitatis Christi non purè causaliter, vel purè effectivè se habet, sed vt fons, & origo, quatenus ad vnionem divinitatis cum humanitate concomitatur, quasi cõnaturaliter gratia habitualis, qua humanitas formaliter sanctificatur.

66 *Ad 4.*

Dices primò cum Ill. Godoy *n.* 13. nam discrimen assignatum non est sufficiens ad intentum Nazianceni, quod erat probare, Christum dici à divinitate, quia divinitas est vnctio, & sanctitas humanitatis: ergo admittendum non est. Probatur antecedens: nam intentũ erat probare, dici Christum, quod idem est, ac vnctus, à divinitate; sed à divinitate solum radicaliter sanctificante, & vngente non potest dici Christus, quod idem est, ac vnctus formaliter: ergo discrimen traditum intentum non salvat Nazianceni. Secundò: nam eo ipso, quod divinitas vnita humanitati sit radix phisica, vel moralis gratiæ habitualis,

67 *Dices 1. cum Ill. Godoy.*

Secundò.

non

non ſolum radicaliter, ſed etiam formaliter humanitatem ſanctificat: (vt inferiùs promittit oſtendere) ergo admiſſo prædicto diſcrimine, admittendum etiam eſt, diuinitatem eſſe ſanctitatem formalem humanitatis.

68 *Reſpondetur.* Reſpondetur, quod hæc non obſtant: quia primum ſolutum manet *num.63.* Secundum verò ſolvemus, quando illud probet Ill. Godoy. Adverto tamen, quod licèt ſolutione data *num.59.* ſufficienter reſpondeatur ad prædictas PP. authoritates, noſque illam aſsignavimus ob motivum *num.citat.* expreſſum, & declaratum; tamen fateor ingenuè, me potius vti triplici antepoſita reſponſione pro prædictarum authoritatum ſolutione, & ratio, quæ me movet, eſt: quia teſtimonia Nazianzeni, Damaſceni, & Athanaſij, quibus dicunt: humanitatem Chriſti fuiſſe Deitate delibutã, Deitatemque fuiſſe vnguentum, Chriſma, & vnctionem, potius cauſalitatem formalem, quam radicalem, ſignificare videntur.

Quæ ſolutio ex aſſignatis ſit præeligẽda.

69 *Retorqueo 1. argum.* Solutis iam replicis Ill. Godoy, nunc contra ipſum retorqueo primò argumentum: nam apud Concilia, Patres, & perpetuam Eccleſiæ traditionem, idem eſt, eſſe adorandũ, ac eſſe Sanctũ formaliter; ſed Beatiſsima Virgo Maria eſt adoranda ratione Maternitatis, ſeu quia eſt Mater Dei: ergo eſt etiam ratione Maternitatis formaliter Sancta. Conſequentia eſt falſa; alio quin vltra gratiam habitualem, alia eſſet forma formaliter ſanctificans B. Virginem, quod eſt contra omnes Theologos. Minor eſt omnium Catholicorum communis conſenſus, de quo videatur Lorca *diſput.97. num.8.* Maior eſt omnino certa; ideò namque Sancti omnes ſunt adoratione digni, quia ſunt formaliter Sancti; hęc enim eſt ratio, vt illis exhibeamus ſubmiſſum cultum, & honorem, in quo adoratio conſiſtit.

70 *Ex retorſione apparet veritas 1. ſolutionis.* Hæc eſt retorſio, ex qua manifeſtè apparet veritas noſtræ primæ ſolutionis ad argumentum Ill. Godoy, ex ipſaque conſtat, veram eſſe explicationem datam *num.51.* ad Patrum authoritates. Neque obeſt, ſi dicas: quod vaſa ſacra, veſtes, crux, &c. ſunt adoratione digna, quin ſint formaliter Sancta. Non, inquam, obeſt; nam dicere poſſumus, quod Ill. Godoy docet *num.40.* reſpondendo ad argumentum quoddam, ſcilicet, vaſa ſacra, veſtes, crucem, &c. non eſſe ſanctitatis formalis capacia; B. verò Virginem eſſe ſanctitatis formalis capacẽ, ideòque, ſi ratione Maternitatis eſt adoratione digna, ratione etiam Maternitatis erit formaliter Sancta, & conſequenter manet efficatia retorſionis.

71 *Retorqueo 2.* Retorqueo ſecundò argumentum Ill Godoy: nam apud Patres idem eſt, eſſe vnctum, ac eſſe Sanctum formaliter; ſed nos dicimur vncti ab Spiritu Sancto formaliter: ergo dicimur etiã ab eodem Spiritu Sancto formaliter Sancti. Minor, in qua eſt difficultas, probatur ex Scriptura omnibus illis locis, quibus dicitur, quod nos vncti ſumus Spiritu Sancto, ex quibus verò oſtenditur minor. Primò: nam nos dicimur vncti Spiritu Sancto: ergo dicimur vncti ab Spiritu Sancto. Secundò: quia Scriptura expreſsè docet: quod Spiritus Sanctus eſt vnctio noſtra: ergo conſtituit nos formaliter vnctos, & conſequenter formaliter Sanctos. Iſtæ ſunt probationes, quibus ſuam minorem probat Ill. Godoy; vndè reſponſio ad hanc retorſionem, erit ad ſuum argumentum ſolutio.

72 *Retorqueo 3.* Retorqueo tertiò: ſicut Patres ab Ill. Godoy in argumento relati aſſerunt: Diuinitatem eſſe vnctionem humanitatis Chriſti, ita Scriptura teſtatur: quod Spiritus Sanctus eſt noſtra iuſtificatio, & quod Chriſtus eſt noſtra iuſtificatio, iuſtitia, & redemptio; ſed iuxta ipſum prædictæ Patrum authoritates intelligendæ ſunt in ſenſu formali, ita, vt humanitas Chriſti ſit per diuinitatem formaliter Sancta: ergo prædicta Scripturæ teſtimonia intelligenda ſunt in ſenſu formali, ita, vt nos ſimus formaliter iuſtificati per Spiritum Sanctum, & Chriſtum, per hunc-que ſimus formaliter iuſti, & redempti. Atqui hoc eſſe falſum, neceſſario debet fateri Ill. Godoy: ergo falſum etiam eſt, quod prædictæ Patrum authoritates in ſenſu formali debeant intelligi.

73 *Retorqueo deniquè:* Retorqueo deniquè argumentum, & replicas Ill. Godoy: nam Chriſtus idem eſt, quod vnctus: ergo ab eo, quod dicitur Chriſtus, dicitur vnctus. Atqui Chriſtus dicitur formaliter, nõ ſolum à diuinitate, ſed etiam ab humanitate: ergo Chriſtus dicitur formaliter vnctus, non ſolum à diuinitate, verum etiam ab humanitate: ergo

Chriſ-

Christus dicitur formaliter Sanctus, non solum à divinitate, verum etiam ab humanitate. Hæc consequentia patet: nam idem est apud Ill. Godoy, esse formaliter vnctum, ac esse formaliter Sanctum. Cætera verò clarent, ex ipsisque apparet manifestè: Ill. Godoy non solum probare: Christum esse formaliter Sanctum per divinitatem, sed etiam per humanitatem, quod nemo vcusquè prolatus est.

74 *Objicies alia PP. testimonia.*

Sed licèt Ill. Godoy pro sua conclusione, & contra nostram, alia testimonia non adducat, alia tamen sunt, in quibus Patres asserunt: Christū fuisse vnctum, & Sanctum per naturam, & sanctitatem illius fuisse naturalem, & non acquisitam operibus, aut labore, neque fuisse externam, aut gratis collatam, sicut in alijs hominibus. Ita Hyeronimus *in Psalm.* 44. Ildephonsus *in sermon. de Purificatione Virginis.* Concilium Francforense *in Epistol. ad Episcopos Hispaniæ.* Dionisius Alexandrinus *in Epistol. contra Paulum Samosatenum*, vbi comparans Christum cum Ioanne Baptista probat, antecessisse sanctitate: *Quia in Ioanne quidem erat opus, & labor iustitiæ; in Iesu verò natura.* Et inferius, vt ostendat, quo pacto sit Christus natura Iustus, & non labore, sic ait: *Christus enim non solum nomine, sed veritate est Christus Iesus, qui est ante sæcula Verbum, ipse factus est homo ex Maria incarnatus, non enim sortitus est vnctionem externam, sicut nos sortiti sumus, qui ante non vocabamur Christi, ipse verò Christus Dominus, vt qui est.* Ita alij Patres, sed hoc testimonium pro omnibus retulisse sufficiat.

75

Alia denique sunt testimonia, in quibus Patres asserunt: Christum in ipsa conceptione fuisse vnctum, seu sanctificatum. Ita Cyrillus *de Fide ad Theodosium.* Anselmus *super* 1. *ad Hebreos.* Gregorius *lib.* 9. *Registri, Epist.* 61. Damascenus *lib.* 4. *de Fide, cap.* 6.

76 *Respondeo ad* 1. *PP. testimonia.*

Respondeo ad prima Patrum testimonia: Patres appellare vnctionem, seu sanctificationem Christi naturalem, seu à natura. Primò: non quia fuerit à natura divina forma iter, vel à persona, sed quia habuit à principio conceptionis illam, qualiter nos dicimur *natura filij iræ*, quia concepti sumus tunc in peccato originali. Secundò: quia gratia habitualis, qua humanitas Christi sanctificatur, debita erat debito, quasi connaturalitatis ratione vnionis ad Verbum propter magnam congruentiam; vnde non sortiebatur absolutè rationem gratiæ, hoc est, rationem indebitæ, neque data est ratione operum, sicut contingit in nobis, in quibus gratia recepta datur intuitu operum Christi. Tertiò: dicunt, vnctionem Christi non fuisse externam, vel ad excludendum eam, quæ olim fiebat Regibus, & Sacerdotibus, & nunc fit nobis in Baptismo, ratione cuius dicimur Christiani: hic autē homo dicitur Christus ab vnctione interna divinitatis vnitæ; vel ad excludendum nostram iustificationem, quæ supervenit nobis, cum nati sumus in peccato, & non in gratia, & sic hæc advenit rebus, quasi externè: Christus autem numquam fuit non vnctus, seu non Sanctus.

77 *Ad alia testimonia respondetur.*

Vndè ad verba Dionisij respondeo: Ioannem Baptistam indiguisse ad suam sanctificationem opere, aut labore, quia saltim indiguit merito Christi illi applicato. Iesus verò ex natura fuit Iustus, quia hoc habuit in primo instanti, & in conceptione suæ naturæ independenter à quocumque merito, neque sortitus est vnctionem externam gratiæ habitualis, sicut nos sortiti sumus per Baptismum, vel per Sacerdotium, sed fuit Christus, idest, vnctus interne, quia habuit vnctionem gratiæ debitam ratione vnionis, quæ illi erat intrinseca, & hoc ipsum confirmant authoritates secundæ. Vndè potius sunt pro nobis testimonia prædicta.

§. IV.

Occurritur argumento Ill. Godoy, à ratione deducto.

78 *Arguit à ratione Ill. Godoy.*

OMmisso argumento cum confirmationibus, quod ex D. Thomā tradit Ill. Godoy *num.* 14. & 15. quia nobis solutio non incumbit, arguit à ratione contra nostram conclusionem *num.* 16: nam ex vi gratiæ vnionis sanctificatur formaliter humanitas Christi; sed gratia vnionis est donum substantiale, à gratia habituali distinctum: ergo sanctificatur humanitas Christi formaliter ab aliquo substantiali, à gratia habituali distincto. Consecutio cum maiori tenet. Maiorem probat primò: quod enim præstat animæ participatio Deitatis, multo melius præstabit substantialis Deitatis communicatio; sed gratia

Maiorem probat. 1.

ha-

habitualis, quæ est participatio Deitatis, sanctificat animam formaliter: ergo gratia vnionis, quæ est substantialis Deitatis communicatio, sanctificat humanitatem Christi formaliter. Secundò: nam id, ex vi cuius debetur gloria humanitati Christi, sanctificat illam formaliter, cum ex vi illius diligatur à Deo in ordine ad gloriam, & consequenter amicabiliter, in quo consistit esse Sanctum formaliter; sed ex vi gratiæ vnionis debetur gloria humanitati Christi, cum ex vi illius sit debita humanitati gratia habitualis, vt nos Scotistæ fatemur, & ob hanc causam asserimus: gratiam vnionis sanctificare humanitatem Christi radicaliter, quia, nempe, ratione illius debetur animæ Christi gratia habitualis, quæ illam sanctificat formaliter: ergo ex vi gratiæ vnionis constituitur Sancta formaliter humanitas Christi.

Secundò.

79 Tertiò probat maiorem: donum in radice continens omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subiectum, cui datur, amicabiliter dilectum à Deo, in quo consistit esse gratum, & Sanctum formaliter; sed gratia vnionis est donum humanitati factum, continens radicaliter omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, vt nos fatemur; alias nec radicaliter humanitatem Christi sanctificaret, cuius contrarium affirmamus: ergo gratia vnionis ratione sui constituit humanitatem Christi amicabiliter dilectam à Deo, & consequenter non solum radicaliter, sed etiam formaliter Sanctam. Et augetur difficultas primò: quia namque gratia habitualis continet radicaliter gloriam, ideò reddit animam gratam, & Sanctam formaliter; sed gratia vnionis continet gloriam radicaliter eminentius, quam gratia habitualis, cum ipsam gratiam habitualem radicaliter contineat: ergo constituit humanitatem Christi gratam, & Sanctam formaliter. Confirmatur, & vrgetur secundò, & tacita evasio præcluditur: nam estò gratia habitualis per modũ radicis physicę contineat habitus vię, de quo plures Theologi dubitant; gloriam tamen solum moraliter continet, saltim provt est gratia viæ, & tamen provt sic sanctificat formaliter animam: ergo estò gratia vnionis, non physicè, sed tantum moraliter contineat in radice gratiam habitualem, & gloriam; erit nihilominus formalis sanctitas humanitatis.

Tertiò.

Confirmatur 1.

Confirmatur 2.

Denique probatur maior: etenim humanitas Christi est Sancta infinitè simpliciter, & consequenter per formam sanctificantem, quæ simpliciter ut infinita; forma enim finita non valet infinitum effectum præstare; sed quidquid reperitur in humanitate Christi, præter gratiam substantialem vnionis, est simpliciter finitum: ergo per gratiam vnionis sanctificatur humanitas Christi formaliter. Minor cum consequentia tenet. Maiorem probat: nam opera Christi domini sunt infinita simpliciter in ratione satisfactionis, & meriti, vt tenet Theologorum frequentior sententia; sed non stat dignitas meritoria infinita in operibus humanitatis Christi, absque infinita humanitatis sanctitate: ergo humanitas est Sancta, & grata Deo infinitè simpliciter. Probatur minor: forma namque dignificans opera est gratia gratum faciens subiectum, quæ immediatè gratificat subiectum operans, & mediatè valorat illius operationes: ergo non stat valorare operationes infinitè simpliciter, quin gratificet infinitè subiectum; & consequenter non stabit, operationes humanitatis Christi esse infinitas in dignitate meritoria simpliciter, quin humanitas sit infinitè simpliciter grata, & Sancta infinitè simpliciter.

80 *Probatur denique maior.*

Hoc est argumentum, quod est vnicum Ill. Godoy fundamentum, & omnium adversariorum præcipuum, pro cuius solutione notandum est, quod participatio Deitatis, quæ fit per gratiam habitualem, & substantialis Deitatis communicatio, quæ fit per vnionem hypostaticam, sunt in diverso ordine, seu alterius rationis. Primò: nam participatio Deitatis, quæ fit per gratiam habitualem, est in ordine sanctitatis formalis; substantialis autẽ Deitatis communicatio, quæ fit per vnionem hypostaticam, est in ordine sanctitatis personalis. Secundò: participatio Deitatis, quæ fit per gratiam habitualem, est in ordine sanctitatis formalis, & in actu secundo; substantialis verò Deitatis communicatio, quæ fit per vnionem hypostaticam, est in ordine sanctitatis radicalis, & in actu primo. Tertiò: participatio Deitatis, quæ fit per gratiam habitualem, est in ordine physico, & morali; substan-

81 *Nota pro solutione.*

tantialis verò Deitatis communicatio, quæ fit per vnionem hypostaticã, est tantum in ordine physico. Quarto: participatio Deitatis, quæ fit per gratiam habitualem, est in ordine formali; secus autem subitantialis Deitatis communicatio; alioquin Deitas informaret humanitatem, quod abiit. Totum hoc apparet manifestè ex eo, quod participatio Deitatis, quę fit per gratiam habitualem, significat, quod homo mediante gratia fit consors cum Deo, ideſt, habet eandem sortẽ, seu ius ad gloriam, quod habet Deus; subsantialis verò Deitatis communicatio, quæ fit per vnionem hypostaticam, significat solum illam Idiomatum communicationem ob intimam coniunctionem naturæ creatæ cum Divina in suppoſito Verbi.

82 Atque hinc se se apperit, quod ait Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 1. §. ad argumenta*, & nos cum ipso diximus *tomo præcedenti, disput. 11. num. 135.* scilicet, quod propriè loquendo de vnione hypostatica, vnione beatifica, & vnione per gratiam, vna nequit dici maior alia, neque fieri potest inter illas comparatio, neque ex vna licet ad aliam arguere, quia sunt vniones alterius, & alterius rationis, ideòque non sunt propriè inter se comparabiles, quia in vno genere maior est participatio Divinitatis, quę fit per vnionem hypostaticam, quam quæ fit per gratiam, quia ex illa resultat Idiomatum communicatio ob intimam coniunctionem physicam, & realem vnius naturæ cum alia in eodem suppoſito; in alio verò genere maior est participatio Divinitatis, quæ fit per grátiam habitualem, quam quæ fit per vnionẽ hypostaticam, quia secum affert formaliter, & propriè ius ad gloriam; quod vnio hypostatica non affert nisi radicaliter, causaliter ac dispositivè, modo explicato *num. 8. & 9.*

83 *Respond. 1. ad argum.* Ex his iam manifestè apparet solutio ad argumentum. Respondeo namquè negando maiorem, & ad primam probationem distinguo maiorem: quod præstat animæ participatio Deitatis, multo melius id præstabit subsantialis Deitatis communicatio in suo ordine concedo maiorem; in alio ordine nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; licèt enim in suo ordine subsantialis Deitatis communicatio melius præstet id, quod præstat animæ participatio Deitatis, numquam tamen præstabit formalem sanctificationem, quam præstat gratia habitualis, quæ est participatio Deitatis; quia est in diverso genere, & alterius rationis à gratia habituali, quin liceat ex vna ad aliam arguere, vt satis apparet ex dictis. Et ex hac generali solutione.

84 *Respond. 2.* Respondeo secundò ad argumentum aliter distinguendo primam maioris probationem: quod præstat animæ participatio Deitatis, multo melius id præstabit subsantialis Deitatis communicatio; in genere sanctitatis personalis concedo maiorem; in genere sanctitatis formalis nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam ob rationem datam. *Ad 1. & 2. probation. maioris.* Ad secundam probationem distinguo maiorem: id, ex vi cuius debetur gloria humanitati Christi, sanctificat illam formaliter, si est in genere sanctitatis formalis concedo maiorem; si est in genere sanctitatis personalis nego maiorem, & distinguo minorem: ex vi gratiæ vnionis, pertinentis ad genus sanctitatis personalis, debetur gloria humanitati Christi concedo minorẽ; pertinentis ad genus sanctitatis formalis nego minorem, & consequentiam.

85 *Ad 3. prob.* Ad tertiam maioris probationem distinguo maiorem: donum in radice continens omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, spectans que ad genus sanctitatis formalis, reddit subiectum, cui datur, amicabiliter dilectum à Deo, in quo consistit esse gratum, & Sanctum formaliter concedo maiorem; spectans ad genus sanctitatis personalis nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. *Ad 1. Confirmat.* Ad primam confirmationem distinguo maiorem: quia gratia habitualis continet radicaliter gloriã, ideò præcisè; reddit animam gratam, & Sanctam formaliter nego maiorem; ideò, & quia pertinet ad genus sanctitatis formalis concedo maiorem; distinguoque minorem: sed gratia vnionis continet gloriam radicaliter eminentiùs, quam gratia habitualis præcisè concedo minorem; continet, & pertinet ad genus sanctitatis formalis nego minorem, & consequentiam. *Ad 2.* Ad secundam confirmationem omissa maiori, & concessa minori, nego consequentiam, quidquid sit de suppoſito illius; nam gratia habitualis non est

for-

forma sanctificans præcisè, quia gloriam moraliter continet, sed quia continet; & ad genus sanctitatis formalis spectat; quod non convenit gratiæ vnionis, ex quo potest distingui minor modo, quo ipsam distinguemus in cæteris solutionibus. Ad vltimam probationem nego maiorem, ad cuius probationem nego etiam maiorem, cuius falsitas ex professo contra Ill. Godoy manifestata manet *tom. præced. disp. 3. per totam*; & hæc est vnica ad hanc probationem solutio.

Ad vltimã probat.

86 *Respondeo 3. ad arg.*

Respondeo tertiò ad argumentum, negando maiorem, ad cuius primam probationem distinguo aliter maiorem: quod præstat animæ participatio Deitatis, multo meliùs id præstabit substantialis Deitatis communicatio, radicaliter, causaliter, dispositivè, seu in actu primo concedo maiorem; formaliter, seu in actu secundo nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam, quia vt diximus *num.* 81. & 82. substantialis Deitatis communicatio solum est in genere sanctitatis radicaliter, seu in actu primo, ideòque in hoc tantum genere humanitatem Christi sanctificare valet. Et iuxta hãc solutionem ad secundam probationẽ maioris distinguo maiorem: id, ex vi cuius debetur gloria humanitati Christi, estque in genere sanctitatis in actu secundo, sanctificat illam formaliter concedo maiorem; & est in genere sanctitatis in actu primo, seu radicalis nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam.

Ad 1. & 2. probation. maioris.

87 *Ad 3.*

Ad tertiam probationem distinguo maiorem: donum in radice continens omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subiectum, cui datur, amicabiliter dilectum à Deo radicaliter, vel formaliter concedo maiorem; formaliter præcisè subdistinguo: si est in genere sanctitatis formalis concedo maiorem; si est in genere sanctitatis radicalis nego maiorem, & hac distinctione distinguo minorem, & nego consequentiam. Ad primam confirmationem distinguo maiorem: quia gratia habitualis continet radicaliter gloriã præcisè, ideò reddit animam gratam & Sanctam formaliter nego maiorẽ, quia continet radicaliter gloriam, & est in genere sanctitatis formalis concedo maiorem, & distinguo minorẽ: sed gratia vnionis continet radicaliter gloriam, estquè in genere sanctitatis formalis nego minorem; radicalis concedo minorem, & nego consequentiam. Ad secundam confirmationem, prætermissa maiori, distinguo minorem: gratia, provt continet gloriam præcisè, sanctificat formaliter animam nego minorem; provt continet gloriam, & est in genere sanctitatis in actu secundo concedo minorem, & nego consequentiam, quia gratia vnionis est tantum in genere sanctitatis radicalis, causalis, dispositivæ, seu in actu primo.

Ad 1. confirmation.

Ad 1.

88 *Respond. 4.*

Respondeo quartò ad idem argumentum, negando maiorem, & ad primam illius probationem aliter distinguo maiorem: quod præstat physicè animæ participatio Deitatis, multo meliùs id præstabit substantialis Deitatis communicatio omito maiorem; quod præstat moraliter nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam gratia habitualis est forma reddens subiectum Deo gratũ, non solum physicè (hoc est se physicè communicando) sed etiam moraliter (hoc est in ratione pacti) quo Deus se alligavit, expellere peccatum à subiecto, cui gratia insit; & illud acceptare in consortium divinæ naturæ per intuitivam visionem, & fruitionẽ sui ipsius. Quare ex positione gratiæ habitualis rectè infertur, subiectum esse formaliter Sanctum; secus autem ex positione vnionis hypostaticę; quia pactum de expulsione peccati mortalis, & de acceptatione in consortium divinæ naturæ, non est alligatum vnioni. Ideò physicè tantum (vt ita dicam) humanitas Christi Domini redditur consors divinæ naturæ vi vnionis, sicut reddetur lapis, si ipsi vniretur Verbum.

Ad 1. prob.

89 *Ad 1.*

Ad secundam probationem distinguo maiorem: id, ex vi cuius debetur moraliter gloria humanitati Christi, sanctificat illam formaliter concedo maiorem; id, ex vi cuius debetur physicè tantum nego maiorem, & distinguo minorem: sed ex vi gratiæ vnionis debetur physicè tantum gloria humanitati Christi concedo minorẽ; debetur moraliter nego minorem, & consequentiam. Ad tertiam distinguo maiorem: donum in radice continens physicè, & moraliter omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subiectum, cui datur, amicabiliter dilectum à Deo concedo maiorem; physicè

Ad 3.

tantum continens nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ad primam confirmationem distinguo maiorem: quia gratia habitualis continet radicaliter moraliter gloriam, ideo reddit animam gratam, & Sanctam formaliter concedo maiorem; quia continet radicaliter physicè gloriam nego maiorem, qua distinctione distinguo minorem, & nego consequentiam; per quod patet fallitas secundę confirmationis, attenta doctrina tradita; supponit namquè consequentia oppositum, quod docemus.

Ad confirmationes.

90 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices pro Ill. Godoy contra hanc solutionem: vndè constat, gratiam physicè, & moraliter efficere nos consortes divinæ naturæ, vnionem autem hypostaticam physicè tantùm? Respondetur: ex determinatione Ecclesiæ constare, nos iustificari per gratiam. (Præsertim legatur Tridentinũ *Sess. 6. per totam, præcipuè Canone* 11.) Vndè benè infertur, quod non solum physicè, sed etiam moraliter, nos reddit consortes divinæ naturæ. De gratia autem vnionis nullibi docet Ecclesia, iustificare, aut sanctificare; atquè adeo solum physicè vniet cum Deo. Ita autem physica vnio nihil conducentiæ moralis habet respectu beatitudinis; vt patet in casu; quo Deus sibi vniret lapidem, aut leonem, v. g. Igitur sicut solum attenditur affectuosa vnio, & nihil prodest physica, ad beandum; immo neque ad supplendum lumen gloriæ ad eliciendũ actum beatificum necessarium, ita ad formaliter iustificandum necessaria est vnio per habitum gratiæ, & nihil prodest physica, seu hypostatica.

Respondetur.

91 *Respond. 5. ad argum.*

Respondeo quintò ad suprà positum argumentum, negando maiorẽ, ad cuius primam probationem distinguo aliter maiorem: quod præstat animæ participatio Deitatis, multo meliùs id præstabit substantialis Deitatis communicatio, si talis communicatio esset per modum formæ concedo maiorem; si non esset per modũ formæ nego maiorẽ; nam ideò sanctitas increata sanctificat Deum, quia inest ipsi intrinsicè per modum formæ, seu attributi; & gratia habitualis sanctificat animam, quia inest ipsi intrinsicè per modum formæ afficientis, & perficientis. Vndè concessa minori, nego consequentiam; quia gratia vnionis non est in Christo per modum formæ: divinitas enim dicitur de humanitate identicè, & per communicationem Idiomatum: ergo nequit eam sanctificare formaliter; licèt contineat gratiam habitualem, & alia dona, cum non insit humanitati per modum formæ, vt ad sanctificationem formalem requiritur; sed tantum identicè, terminativè, extrinsicè, & per communicationem Idiomatum, quemadmodum infinitas eam infinitizat supernaturalitas supernaturalizat, &c.

Ad 1. prob.

Et iuxtà hanc solutionem ad secundam maioris probationem respondeo distinguendo maiorem: id, ex vi cuius debetur gloria humanitati Christi, & se habet per modum formæ respectu illius, sanctificat illam formaliter concedo maiorem; si non se habet per modum formæ respectu humanitatis nego maiorem, & distinguo similiter minorem, negoque consequentiam.

92 *Ad 2.*

Ad tertiam distinguo maiorem: donum in radice continens omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, seque habens per modum formæ, reddit subiectum, cui datur, amicabiliter dilectum à Deo concedo maiorem; si non se habet per modum formæ nego maiorem, qua distinctione distinguo minorem, & nego consequentiam. Ad primam confirmationem distinguo maiorem: quia gratia habitualis continet radicaliter gloriam præcisè, ideo reddit animam gratam, & Sanctam formaliter nego maiorem; ob hoc, & quia se habet per modum formæ concedo maiorem; distinguo pariter minorem; & nego consequentiam, per quod patet ad confirmationem secundam.

Ad 3.

Ad 1. Confirmat.

Ad 2.

Respondeo sextò ad argumentum, negando maiorem, & aliter distinguendo maiorem probationis: quoc præstat animæ participatio Deitatis. multo meliùs id præstabit Deitatis communicatio substantialis, si substantialis Deitatis communicatio continet in linea formali id, quod præstat participatio Deitatis concedo maiorem; si id contineat purè radicaliter, vel causaliter nego maiorem; nam ideò rationalitas non præstat humanitati id, quod illi præstant risibilitas, flevilitas, & aliæ illius passiones, quia illas non continet in linea formali, sed purè radicaliter. Vndè concessa

93 *Respond. 6.*

Ad 1. prob.

mi-

minori, nego consequentiam; quia substantialis Deitatis communicatio nō continet in linea formali id, quod humanitati præstat participatio Deitatis, scilicet, gratia habitualis, sed solum id continet purè radicaliter, seu causaliter, quatenus ex vnione Deitatis cum humanitate conconstituit quasi connaturaliter gratia habitualis. Et iuxta hanc solutionem.

Ad 2. Respondeo ad secundam probationem distinguendo maiorem: id, ex vi cuius debetur gloria humanitati Christi, sanctificat illam formaliter, si sanctitatem continet in linea formali concedo maiorem; si purè radicaliter illam continet nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. *Ad 3.* Ad tertiam probationem nego maiorem ob rationem datam. *Ad 1. confirmat.* Ad primam confirmationem distinguo maiorem: quia gratia habitualis continet radicaliter gloriam præcisè, ideo reddit animam gratam, & Sanctam formaliter nego maiorē; ob hoc, & quia in linea formali continet sanctitatem concedo maiorem, & distinguo minorem: gratia vnionis continet gloriam tantum radicaliter nego minorem; gloriam, & gratiam concedo minorem; & nego consequentiam, ex quo ad secundam confirmationem, prætermissa maiori, distinguo minorem: gratia habitualis, provt continet moraliter gloriam præcisè, sanctificat formaliter animam nego minorem; provt continet moraliter gloriam, & sanctitatem in linea formali continet concedo minorem, & nego consequentiam. *Ad 2.*

94 Soluto argumento, quod à ratione in nos objicit Ill. Godoy, non vna, sed sex solutionibus; quarum quælibet est sufficiens, pro maiori sufficientia cuiuslibet, & omnium, retorqueo primò argumentum contra Ill. Godoy: quod præstat homini participatio rationalitatis; multo melius id præstabit substantialis rationalitatis communicatio; sed risibilitas, quæ est participatio rationalitatis, constituit hominem formaliter risibilem: ergo rationalitatis substantialis communicatio, quæ est communicatio rationalitatis, constituit hominem formaliter risibilem. Cum ergo hæc consequentia sit falsa, & minor sit apud omnes certa; fateri necessario debet Ill. Godoy, falsam esse absolutè maiorem; sic etiam debet fateri, falsam esse maiorem suæ primæ probationis, & consequenter cæteras illius probationes, quibus, servatis servandis, applicari valet hæc retorsio. *Retorqueo 1. argum.*

95 Retorqueo secundò argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: si gratia habitualis contineret radicaliter sanctitatem, sicut radicaliter continet gloriam, gratia habitualis non redderet animam gratam, & Sanctam formaliter; sed gratia vnionis continet radicaliter sanctitatem: ergo gratia vnionis non reddit animam gratam, & Sanctam formaliter. Consequentia est legitima. Minor est apud omnes certa, eamque fatetur Ill. Godoy *num.* 17. *in prima confirmatione* asserens: quod gratia vnionis continet radicaliter i. tam gratiam habitualē. Maior vero, in qua vnicè potest esse difficultas, probatur: gratia habitualis continens radicaliter gloriam, non reddit animam formaliter beatam: ergo si gratia habitualis contineret radicaliter sanctitatem, sicut radicaliter continet gloriam, gratia habitualis non redderet animam gratam, & Sanctam formaliter. *Retorqueo 2.*

96 Retorqueo tertiò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: quod præstat animæ participatio divinæ visionis, multo melius præstabit substantialis totius Deitatis communicatio; sed visio beata, quæ est participatio Divinæ visionis, beatificat animam formaliter: ergo gratia vnionis, quæ est substantialis totius Deitatis communicatio, beatificat humanitatem Christi formaliter. Alio modo formatur retorsio: donum in radice continens omnia, ad ordinem gloriæ spectantia, reddit subiectum, cui datur, formaliter beatum; sed gratia vnionis est donum humanitati factum, continens radicaliter omnia ad ordinem gloriæ spectantia, vt fatetur Ill. Godoy; alioquin radicaliter non contineret gloriam, cuius contrarium affirmat *num.* 17: ergo gratia vnionis constituit humanitatem Christi formaliter bea ā. Minor, & consequentia tenent. Maior autem probatur: donum in radice continens omnia, ad ordinem gratiæ spectantia, reddit subiectum, cui datur, Sanctum formaliter: ergo pariter: donum in radicè continens omnia, ad ordinem gloriæ spectantia, reddit subiectum, cui datur, formaliter bea- *Alio modo formatur.*

tum. Antecedens eſt Ill. Godoy *citat.* Conſequentia eſt paritate certa.

97 *Retorqueo* 4. Retorqueo quartò etiam ad hominem contra ipſum : id, cui debetur ſanctitas, non ſanctificat formaliter; ſed gratia vnionis debetur ſanctitas humanitati Chriſti: ergo gratia vnionis non ſanctificat formaliter Chriſti humanitatem. Conſequentia infertur. Minor eſt apud omnes certa, illamque tenet Ill. Godoy *num.* 17. docens: gratiam vnionis continere radicaliter gratiam habitualem. Maior verò probatur: id, cui debetur gloria, non beatificat formaliter : ergo ſimiliter : id, cui debetur ſanctitas, non ſanctificat formaliter. Antecedens eſt Ill. Godoy *num.* 16. Conſequentia paritate videtur nota. Ab oppoſito formatur retorſio: id, cui debetur ſanctitas, ſanctificat formaliter : ergo id, cui debetur gloria, beatificat formaliter. Atqui gratiæ vnionis debetur ſanctitas, & gloria: ergo gratia vnionis ſanctificat, & beatificat formaliter, quod eſt contra omnes.

98 *Retorqueo* 5. Retorqueo deniquè ad hominem etiam contra Ill. Godoy : quod præſtat animæ participatio Deitatis, multo melius id præſtabit ſubſtantialis Deitatis communicatio : ergo quod præſtat animæ gratia habitualis, multo melius id præſtabit vnio hypoſtatica ; atqui gratia habitualis ſanctificat animam formaliter: ergo vnio hypoſtatica ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti. Tùnc ſic ; ſed hoc eſt contra Ill. Godoy §. 3 : ergo contra ipſum eſt argumentum, quod contra nos obijcit. Omnia ſunt vera, ſi vera eſt prima conſequentia. Probatur itaquè conſequentia: ideò, quod præſtat animæ participatio Deitatis, multo melius id præſtabit ſubſtantialis Deitatis communicatio, quia communicatio ſubſtantialis Deitatis excellentior eſt participatione Deitatis ; ſed vnio hypoſtatica excellentior eſt gratia habituali : ergo quod præſtat animæ gratia habitualis, multo melius id præſtabit vnio hypoſtatica. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt notoria, & patet exemplo animæ rationalis reſpectu vegetativæ, & ſenſitivæ. Imò ſi aliquis eam negare vellit, aſſignet aliam rationem, & cum ea, vel idem formet argumentum, vel erit ad argumentum ſolutio. Minor verò eſt Ill. Godoy *num.* 108. vbi reſpondendo ad quandam replicam hæc ait: *Reſpondeo ad primam replicam conceſſa maiori, & minori negando conſequentiã; nam eſtò vnio hypoſtatica excellentior ſit habituali gratia, ideòque excellentiorem cultum valeat terminare ; quia tamen in diverſo ordine ſunt, & gratia in ſuo ordine obtinet conceptum naturæ, & radicis facultatum ſupernaturalium, ſecus autem vnio hypoſtatica ; conſequens ſit, quod gratia habitualis ſanctificare valeat formaliter, vnio autem hypoſtatica forma ſanctificativa non ſit. Quæ doctrina amplius ex dicendis infrà conſtabit.* Sic ad litteram Ill. Godoy. Eccè (proportione ſervatâ) noſtram, & Scoti doctrinam, qua *num.* 83. ſolvimus argumentum.

§. V.

Solvuntur ſpecialia argumenta.

99 SOlutis argumentis Ill. Godoy, tàm ex authoritate, quàm à ratione deductis ; per quod intentum operis adimplerum erat, mihi viſum eſt in præſenti vltrà intentum procedere, alia difficiliora argumenta ponere, & ſolutionem eis adhibere, vt magis clareſcat veritas noſtræ concluſionis. Arguitur itaquè primò : *Arguit.* 1. ſi Verbum Divinum aſſumpſiſſet naturam irrationalem, hæc ratione vnionis eſſet formaliter Sancta, ſanctitate poſsibili illi naturæ: ergo cum aſſumpſerit naturam rationalem, hæc ratione vnionis eſt formaliter Sancta, ſanctitate poſsibili huic naturæ; atqui huic naturæ poſsibilis eſt ſanctitas, qua eã gratam, & acceptã Deo reddat in ordine ad ſupernaturalia bona : ergo ſic eſt formaliter Sancta ex vi vnionis.

100 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo antecedens: ſi Verbum Divinum aſſumpſiſſet naturam irrationalem, hæc ratione vnionis eſſet formaliter Sancta, ſanctitate poſsibili illi naturæ, & ſanctitate intra ordinem vnionis concedo antecedens ; ſanctitate extra ordinem vnionis nego antecedens, & diſtinguo ſimiliter conſequens. Concedo ſuſſumptam, & nego conſequentiam. Ratio eſt: nam licèt natura humana ſit capax ſanctitatis in ordine ad ſupernaturalia bona, hæc tamen ſanctitas eſt extra genus ſanctitatis ab vnione præſtabilis, vt conſtat ex dictis *num.* 81. Vndè ſicut natura irrationalis, ſi aſſumpta eſſet, non eſſet gratia vnionis radicaliter

Sancta

Sancta in ordine ad beatitudinem, quia licèt hæc sanctitas sit intra genus sanctitatis, à gratia vnionis præstabilis; irrationalis tamen natura capax non est huius sanctitatis; ita similiter: natura rationalis non est gratia vnionis formaliter Sancta, sanctitate in ordine ad beatitudinem; quia licèt talis natura sit huius sanctitatis capax; hæc tamen sanctitas est extra genus sanctitatis, à gratia vnionis præstabilis. Quarè ratio, cur natura irrationalis, si esset assumpta, non esset radicaliter Sancta, sanctitate in ordine ad beatitudinem, sumitur ex in capacitate naturæ; ratio verò, cur natura rationalis assumpta non sit formaliter Sancta sanctitate prædicta, sumitur à gratia vnionis, quę nō est in genere huius sānctitatis.

101 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: omnis sanctitas possibilis humanitati Christi est concedenda; sed possibile est, humanitatē Christi subsātialiter formaliter sanctificari: ergo humanitas Christi per gratiam vnionis sanctificatur formaliter. Maior ab omnibus est concessa. Minor probatur: sanctitas, ex qua nulla sequitur repugnantia, est possibilis humanitati Christi; sed nulla sequitur repugnantia ex eo, quod humanitas Christi subsātialiter formaliter sanctificetur: ergo possibile est, humanitatem Christi subsantialiter formaliter sanctificari. Probatur minor: nulla sequitur repugnantia ex sanctitate minori divina, & maiori humana; sed ex eo, quod humanitas Christi subsantialiter formaliter sanctificetur, solum sequitur, sanctificari sanctitate minori divina, & maiori humana: ergo ex eo, quod humanitas Christi subsantialiter formaliter sanctificetur, nulla sequitur repugnantia. Maior patet in sanctitate Christi, quam nunc habet; est enim minor Divina, & maior humana, ideſt, maior sanctitate puri hominis. Minor quoad primam partem claret; quia illam haberet finito modo, vt etiā Scotiſtę concedunt. Quoad secundam constat; quia esset subsantialis. Consequentia legitima est.

102 Ante solutionem notandum est, quod notatum manet *num.* 10. scilicet, hic non loqui de potentia Dei absoluta, sed de facto. Quo animadverso. *Respond. 1.* Respondeo ad argumentū primò negando minorem, ad cuius probationem concessa maiori nego minorem, & ad huius probationem distinguo maiorem: nulla sequitur repugnantia ex sanctitate minori Divina, & maiori humana, quæ vna sit concedo maiorem; quæ duplex sit nego maiorem, & distinguo minorem: sed ex eo, quod humanitas Christi subsantialiter formaliter sanctificetur, solum sequitur, sanctificari sanctitate minori Divina, & maiori humana, quæ sanctitas duplex sit concedo minorem; quæ vna sit nego minorem, & consequentiam; nam ex eo, quod humanitas Christi formaliter sanctificetur per gratiam vnionis, secuntur inconvenientia assignata *num.* 65. Deindè: quia argumentum se ipsum destruit; nam vt humanitas Christi sit Sancta, sanctitate minori Divina, & maiori humana, non indiget sanctificari formaliter per gratiam vnionis; ita enim est Sancta per gratiam habitualem, vt sit Sancta, sanctitate minori Divina, & maiori humana, vt fatetur argumentum.

103 *Respond. 2. retorquendo argum.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: omnis sanctitas possibilis humanitati Christi est concedenda; sed quin humanitas Christi sanctificetur formaliter per gratiam vnionis, conceditur humanitati omnis sanctitas possibilis: ergo nulla est necessitas, vt humanitas Christi sanctificetur formaliter per gratiam vnionis. Probatur minor: quin humanitas Christi sanctificetur formaliter per gratiam vnionis, habet humanitas Christi omnem sanctitatem possibilem in quocumque genere sanctitatis: ergo quin humanitas Christi sanctificetur formaliter per gratiam vnionis, conceditur humanitati omnis sanctitas possibilis. Probatur antecedens: sanctitas vel est in ordine ad beatitudinē, quomodo vel est radicalis, vel formalis; vel non est in ordine ad beatitudinem, quomodo vel est personalis, vel in ordine ad cultum; sed omnem hanc possibilem sanctitatem habet humanitas Christi, quin per gratiam vnionis formaliter sanctificetur: ergo quin sanctificetur formaliter per gratiam vnionis, habet omnem sanctitatem possibilem in quocumque genere sanctitatis. Probatur minor: quin humanitas Christi sanctificetur formaliter per gratiam vnionis, habet humanitas Christi omnem sanctitatem possibilem radicalem, personalem, & in ordine ad cultum; sed etiam habet

omnem ſanctitatem formalem poſsibilem: ergo omnem hanc poſsibilem ſanctitatem habet humanitas Chriſti, quin ſanctificetur formaliter per gratiam vnionis. Conſequentia eſt legitima. Maior patet: nam omnes illę ſanctitates proveniunt à gratia vnionis. Minor probatur: nam per gratiam habitualem habet humanitas Chriſti talem formalem ſanctitatem, vt ſit minor ſanctitate Divina, & maior inter omnes ſanctitates humanas; ſed hæc eſt omnis ſanctitas poſsibilis humanitati Chriſti in linea ſanctitatis formalis, vt fatetur argumentum, & qua habita, quęcumque alia in eadem linea ſuperfluit: ergo quin humanitas Chriſti ſanctificetur formaliter per gratiam vnionis, habet omnem ſanctitatem formalem poſsibilem.

104 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: quandocumque aliqua forma ſuperior continet eminenter, vel virtualiter inferiorem, ac effectum illius, poteſt præſtare formaliter quidquid poteſt inferior; ſed vnio hypoſtatica eſt forma ſuperior continens eminenter, virtualiter ve gratiam habitualem, & effectum eius: ergo vnio hypoſtatica præſtare poteſt formaliter quidquid præſtat gratia habitualis. Atqui gratia habitualis præſtat formaliter ſanctitatem: ergo hanc poterit præſtare formaliter vnio hypoſtatica: ergo eā formaliter præſtat humanitati Chriſti. Suſſumpta eū conſequentijs eſt manifeſta. Maior ſyllogiſmi claret in anima rationali reſpectu vegetativæ, & ſenſitivæ. Minor videtur certa; alioquin gratia vnionis non ſanctificaret radicaliter, cuius oppoſitum docemus. Conſequentia eſt legitima.

105 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò ad argumentum, negando minorem; quia vnio hypoſtatica, & gratia habitualis ſolum conveniunt generice, ſcilicet, in eſſe vnionis, ſeu in eſſe formæ, ideòque vnio hypoſtatica non continet virtualiter gratiam habitualem; ad hoc autem, vt eam virtualiter contineret, ſuprà exceſſum perfectionis in vnione hypoſtatica, neceſſarium erat, vt eſſent intra eamdem ſpeciem, vt ſunt anima rationalis, ſenſitiva, & vegetativa, ratione cuius, & maioris perfectionis in anima rationali, anima rationalis continet virtualiter ſenſitivā, & vegetativam, earumque effectus tribuit formaliter. Quod cum non reperiatur in vnione hypoſtatica, & gratia habituali, quin potius oppoſitum, quia ſunt alterius, & alterius rationis, vt diximus *num.* 81. & 82. vnio hypoſtatica non continet virtualiter gratiā habitualem, nec eius effectum.

Firmatur ſolutio. Hæc ſolutio fundatur, non ſolum in Scoti doctrina, ſed etiam in doctrina omnibus communi. Primum oſtenditur: nam licèt anima rationalis ſit perfectior forma corporeitatis, formā corporeitatis, eiuſque effectum virtualiter non continet, quia non ſunt intra eadem ſpeciem, ſed ſolum generice conveniunt, ſcilicet, in eſſe formæ. Oſtenditur ſecundum: nam licèt Angelus ſit homine perfectior, & homo bruto; neque Angelus continet virtualiter hominem, eiuſque effectū, neque homo brutum, eiuſque effectum, cuius ratio alia non eſt, niſi, quia Angelus, homo, & brutum non ſunt intra eamdem ſpeciem, ſed ſolum generice conveniunt, vt omnes fatentur. Sic ſimiliter in præſenti de vnione hypoſtatica reſpectu gratiæ habitualis, & illius effectus, cum ſint alterius, & alterius rationis, vt declaratum manet.

101

106 *Tacitum argum. ſolvitur.* Et hac ſolutione ſolutum manet argumentum, quod ſumitur ex eo, quod vnio hypoſtatica ſit maior in ratione doni, & beneficij, quam gratia habitualis, quod docuimus *tom. præcedent. diſput. 11. num. 135.* quod ſic ſolet effformari: vnio hypoſtatica in ratione doni, & beneficij eſt maior, quam gratia habitualis: ergo reddit humanitatem non minus formaliter Sanctam, quam gratia habitualis. Reſpondetur namquè negando conſequentiam; nam collatio alicuius effectus menſuranda eſt cum natura cauſæ, à qua provenit; non autem cum maiori, vel minori perfectione rei alterius ordinis, & rationis, vt patet in exemplis adductis, & vltra claret in calefactione, quæ provenit à calore, & provenire non poteſt à gratia, Lumine gloriæ, vel ab alio ente perfectiori.

107 *Solvitur aliud tacitū argum.* Item: ſolutione data ſolutum etiam manet argumentum, quod ſumi ſolet ex eo, quod vnio hypoſtatica ſit magis ſupernaturalis, quam gratia habitualis, ex quo inferunt: ergo ſicut gratia habitualis reddit humanitatem formaliter Sanctam, ità vnio hypoſtatica. Reſpondetur namquè negando conſequentiam (quidquid ſit de an-

te-

tecedenti) non enim à maiori, vel minori supernaturalitate provenit diversitas effectuum supernaturalium, sed à diversitate naturarum entitatu. Et ideò quamvis beatitudo nostra formalis fortè sit minus supernaturalis, quam habitus fidei, spei, & charitatis (etenim secundum aliquos ex nostris, quibus facile subscriberem, Beatitudo est supernaturalis solum quoad modum: habitus autē prædicti quoad substantiam; vt communissimè fatentur) præstat tamen effectum beandi, quem nullus illorum habituum potest præstare.

108 *Nota pro 2. responsione ad argum.*

Pro secunda autem solutione noto ex Licheto cum Scoto *in 2. distinct. 3. quæst. 10. §. ad argumenta principalia*, dupliciter posse aliquid superioris ordinis continere aliud ordinis inferioris. Primò: ordine tantum, & superioritate per simplicem excessum perfectionis, & est quando inferius numquā attingere potest illam perfectionem, quamtumvis crescat in suo ordine. Secundò: non tantum ordine, & superioritate, sed etiam virtute, & est quando inferius, ita continetur in superiori, vt superius possit, quod potest inferius, omniaque eius munera supplere. Primo modo anima rationalis continet formam corporeitatis, & Angelus hominem, aliaque inferiora. Secundo modo calor, & sicitas continentur in Sole, vegetativa, & sensitiva in anima rationalis. Ex qua Scoti authoritate sic in forma.

109 *Respond. 2. ad argum.*

Respondeo secundò ad argumentum, distinguendo maiorem pro ly *virtualiter*: quandocumque aliqua forma superior continet inferiorem, ac effectum eius virtualiter, sumpta continentia virtuali pro continentia virtutis, potest præstare formaliter, quidquid potest inferior concedo maiorem; sumpta continentia virtuali pro continentia ordinis tantum, & superioritatis per simplicem excessum perfectionis nego maiorem; & distinguo minorem: vnio hypostatica est forma superior, continens virtualiter gratiam habitualem, & eius effectum, sumpta continentia virtuali pro continentia ordinis tantum, & superioritatis per simplicem excessum perfectionis omitto minorem; sumpta continentia virtuali pro continentia virtutis nego minorem, & consequentiam. Quarè numquam vnio hypostatica tribuere potest effectum formalem gratiæ habitualis.

110 *Retorqueo 1. argum.*

Deindè retorqueo primò argumentum: quandocumque aliqua forma superior continet eminenter, vel virtualiter inferiorem, ac effectum illius; potest præstare formaliter, quidquid potest inferior; sed vnio hypostatica est forma superior, continens eminenter, virtualiter ve visionem beatificam, & eius effectū: ergo vnio hypostatica præstare potest formaliter, quidquid præstat beatifica visio. Atqui visio beatifica præstat formaliter in doctrina Thomistarum beatitudinem: ergo hanc poterit præstare formaliter vnio hypostatica: ergo eā formaliter præstat humanitati Christi. Retorqueo secundo: quandocumque aliqua forma superior continet eminenter, vel virtualiter inferiorem, ac effectum illius, potest præstare formaliter, quidquid potest inferior; sed Angelus est forma superior, continēs eminenter, virtualiter ve rationalitatem, irrationalitatem, cæteraſque formas inferiores: ergo Angelus præstare potest formaliter, quidquid præstant rationalitas, irrationalitas, & cæteræ formæ inferiores; quod est apud omnes falsum. *Secundò.*

111 *Retorqueo 3. vrgetius.*

Retorqueo tertiò argumentum pro prius, & vrgentius: quandocumque aliqua forma superior continet eminenter, vel virtualiter inferiorē, ac effectum illius, superfluit inferior ad tribuendum formalem illius effectum, posita superiori; sed vnio hypostatica est forma superior, continēs eminenter, virtualiter ve gratiam habitualem, & eius effectum: ergo posita vnione hypostatica superfluit gratia habitualis ad effectum formalē illius tribuendum: ergo superflua est in Christo gratia habitualis ad esse formaliter Sanctum, quod est contra Concilia, & Patres. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima verò ex præmissis. Ex his autem minor est eadem cum minori argumenti. Maior verò probatur exemplo animę rationalis respectu vegetativæ, & sensitivæ; quod est exemplum, quo probatur maior argumenti.

112 *Arguit. 4.*

Arguitur quartò: si Christi humanitas ex vi vnionis formaliter non sanctificaretur, vel esset, quia sanctitas substantialis esset fictitia, vel quia sanctitas formaliter debet inhærere, vel

quia

quia ſanctitas ſubſtantialis ex ſua ratione formali non reddit naturam gratam, & acceptam in ordine ad bona ſupernaturalia; vel quia ex Tridentino, & Patribus ſanctificare eſt effectus gratiæ habitualis; ſed nullum ex his obeſt, vt ex vi vnionis ſanctificetur formaliter humanitas Chriſti: ergo ex vi vnionis formaliter ſanctificatur humanitas Chriſti. Probatur minor quoad primam partem: ſi ſanctitas ſubſtantialis eſſet fictitia, non eſſet talis ſanctitas radicaliter, cauſaliter, vel in actu primo, quod negamus: ergo ſanctitas ſubſtantialis fictitia non eſt.

Minor pro 1. parte probatur.

113 *Probat. 2. pars.*

Probatur minor quoad ſecundam partem: ſanctitas, nec ex conceptu ſanctitatis, nec ex conceptu formalis ſanctitatis, petit inhærere: ergo ex hoc capite poteſt humanitas Chriſti ſanctificari formaliter ex vi vnionis. Antecedens quoad primam partem conſtat in ſanctitate radicali vi vnionis, à nobis admiſſa, & in ſanctitate divina, imo & in alijs exemplis adducendis pro ſecunda parte. Quoad ſecundam patet. Primò: nam ſecundum Scotum poteſt quis de potentia Dei per acceptationem extrinſecam ſanctificari formaliter, hoc eſt, ſine forma inhærente. Patet ſecundò in ſanctitate Dei. Tertio: in ſanctitate naturę irrationalis, ſi hæc eſſet aſſumpta. Quartò in corporis Chriſti ſanctitate habita in triduo propter inhabitantem Divinitatem. Quintò in Cruce per contactū Chriſti. Sextò in vaſis Sacris, quæ omnia ſunt formaliter Sancta abſque ſanctitatis inhærentia.

114 Vltrà quod probatur idem antecedens quoad ſecundam partem à ratione: ſanctitas ex conceptu ſanctitatis formalis tantum addit conceptum *formalis* ſuprà conceptum *ſanctitatis*; ſed forma ex conceptu formæ reſpectu effectus non dicit inhærentiam, nec identitatem: ergo ſanctitas ex conceptu formalis ſanctitatis non petit inhærere. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt certa. Probatur minor: forma ex conceptu formæ tantum dicit reſpectu effectus ſui communicationem; hic enim eſt eius effectus; ſed ſui communicatio præſcindit ab inhærentia, & identitate: ergo forma ex conceptu formæ reſpectu effectus no dicit inhærentiam, nec identitatem.

115 Probatur quoad tertiam partem ſuprà poſita minor: quia ſi ſanctitas ſubſtantialis ex ſua ratione formali non redderet naturam gratam, & acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona ſupernaturalia, ex ſua ratione formali non redderet radicaliter, & in actu primo naturam ſic gratam, & acceptam; ſed hoc eſt contra à nobis dicta, & conceſſa: ergo ſanctitas ſubſtantialis ex ſua ratione formali reddit naturam gratam, & acceptam in ordine ad bona ſupernaturalia, & conſequenter ex huius deffectu nequit humanitas Chriſti non ſanctificari formaliter ex vi vnionis. Quarta denique pars probatur: nam quando Tridentinum, & Patres dicunt, quod ſanctificare eſt effectus gratiæ habitualis, locuntur de ſanctitate accidentali: ergo Tridentinum, & Patres non obſtant, vt humanitas Chriſti ex vi vnionis formaliter ſanctificetur.

Probat. 3. pars.

Probat. 4. pars.

Ad hoc argumentum nequit Maſtrius aliam ſolutionem adhibere, niſi vtendo doctrina, quam tradit *in præſenti num.* 10. & 15. ſcilicet, quod ſanctitas ſubſtantialis ex ſua ratione formali ſolum conſiſtit in eo, quod Deus voluit humanitati eſſe perſonale Verbi, quam ſanctitatem, & ſupernaturale beneficium potuit etiam naturæ irrationali conferre, quæ aliorum bonorum ſupernaturalium non eſt capax. Sic Maſtrius *num.* 10. Et *num.* 15. ait: quod ſanctitas ſubſtantialis ex ſua ratione formali reddit naturam, cui vnitur, ſubſiſtentem; non verò gratā modo prædicto, quia natura irrationalis poteſt aſſumi à Verbo, & non eſſet ſubſtantialiter Sancta hoc genere ſanctitatis.

116 *Reſpondet Maſtrius.*

Solutionem admitto, & cauſalem impugno: nam quod Verbum potuiſſet aſſumere naturam irrationalem, quam non redderet formaliter Sanctam, ſanctitate, de qua loquimur, non eſt ratio inferens, humanitatē Chriſti non ſanctificari formaliter ex vi vnionis, vt claret ex dictis *à num.* 16. *vſque ad* 26. & oſtenditur primò: nam etſi gratia habitualis ex ſua ratione formali reddat ſubiectum gratum, hoc non faceret in natura irrationali, vel lapide, ſi ipſis inhæreret: ergo ſimiliter: quod vnio hypoſtatica non redderet naturam irrationalem formaliter Sanctam, non eſt ratio inferens, humanitatem Chriſti non ſanctificari formaliter ex vi vnionis. Secundò:

117 *Reijcitur Maſtrij ſolutio.*

per-

personalitas Verbi facit naturam intellectualem personatam; non tamen sic faceret naturam equinam : ergo idem quod antea. Tertio: secundum sententiam Maitrij gratia habitualis facit homines alios filios Dei adoptivos;non sic Christum:ergo,&c. Quartò: secundum Maitrium,unio hypostatica ex natura sua dat aliquam exigentiam , saltim remotam, in ordine ad gratiam habitualem , beatitudinem, & alia bona supernaturalia ; sed hoc non daret naturæ lapidis ; aut equi:ergo idem quod priùs. Et ratio efficax est incapacitas naturæ irrationalis ad formalem effectum sanctitatis prædictæ.

118 *Vera solutio* 1.

Itaquè ad argumentum respondeo primò : rationem esse , quia sanctitas subsantialis per modum formæ est fictitia , nec probatio in oppositum impedit : optimè namquè stat , quod unio hypostatica sit sanctitas radicaliter , seu causaliter , & quod sit fictitia sanctitas subsantialis per modum formæ , sicut stat optimè , quod unio hypostatica sit radicaliter,seu causaliter beatitudo , & quod beatitudo subsantialis per modum formæ sit fictitia. *Retorqueo argument.* Ex quo argumentum retorqueo : si humanitas Christi non esset ex vi unionis formaliter beata , esset, quia beatitudo subsantialis esset fictitia;sed hoc est falsum : ergo humanitas Christi est formaliter beata ex vi unionis. Probatur minor:si beatitudo subsantialis esset fictitia, non esset talis beatitudo radicaliter , seu causaliter ; sed talem beatitudinem omnes admitere debent : ergo beatitudo subsantialis fictitia non est. Probatur minor : nam ideò nos dicimus,quod unio est subsantialis sanctitas radicaliter , seu causaliter , quia regulariter loquendo , & de communi lege ita debita est unioni hypostaticæ concomitantia gratiæ habitualis in suo ordine supernaturali,sicut anima rationalis est debita corpori organizato in ordine naturali,seu vt totiès diximus, quia debito congruentiæ debita est unioni hypostaticæ gratia habitualis; atqui unioni hypostaticæ ita est debita beatitudo , vt concedunt omnes fatentes: tali unioni esse debita omnia dona supernaturalia: ergo omnes admitere debent beatitudinem subsantialem radicaliter,seu causaliter.

119 Respondeo secundò : rationem esse,quia sanctitas formaliter,loquendo de potentia ordinaria , vt in præsenti loquimur , debet inhærere , vel identificari cum subiecto.Nec probatio in oposito aliquid convincit, quia licet sanctitas ex conceptu sanctitatis , vt præscindit à sanctitate formali, radicali, personali , & in ordine ad cultum , non petat inhærere subiecto, vel cum illo identificari, vt optimè probant exempla allata;sanctitas tamen ex conceptu formalis sanctitatis hoc petit, quin exempla sint ad rē. Nam primum de extrinseca acceptatione solum est verum de potentia absoluta , vt argumentum fatetur , & de qua in præsenti non loquimur.Secundum de sanctitate Dei est falsum, quia Dei sanctitas identificatur cum Deo. Cætera verò exempla nihil valent ; quia illa non sunt Sancta sanctitate in ordine ad beatitudinem , sed alio genere sanctitatis, de quo in præsenti non est sermo. Vndè ad probationem à ratione concedo totum, quia non probat , quod sanctitas ex conceptu formalis sanctitatis non petat , vel inhærere subiecto , vel cum illo identificari.

2. Vera solutio.

120 *Retorqueo argum.* Retorqueo etiam argumentum pro hac parte:si humanitas Christi ex vi unionis formaliter non beatificaretur,esset,quia beatitudo formaliter debet inhærere;sed hoc est falsum:ergo Christi humanitas est formaliter beata ex vi unionis. Probatur minor: beatitudo,nec ex conceptu beatitudinis,nec ex conceptu formalis beatitudinis, petit inhærere : ergo beatitudo formaliter non debet inhærere. Antecedens quoad primā partem constat in beatitudine radicali ab omnibus admitenda, vt diximus *num.* 118. Quoad secundam patet in Dei beatitudine , & vltra probatur : beatitudo ex conceptu beatitudinis formalis tantum addit conceptum *formalis* supra conceptum *beatitudinis*;sed forma ex conceptu formæ respectu effectus non dicit inhærentiam , nec identitatem : ergo beatitudo ex conceptu formalis beatitudinis non petit inhærere. Probatur minor:forma ex conceptu formæ tantum dicit respectu effectus sui communicationem, hic enim est eius effectus;sed sui communicatio præscindit ab inhærentia, & identitate : ergo forma ex conceptu formæ respectu effectus non di-

cit

cit inhærentiam, nec identitatem.

121 *Dices contra hanc solutionem.* Dices contra hanc solutionem: forma ex conceptu formæ non petit inhærere subiecto, vel cum illo identificari: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: nam subsistentia Verbi est forma reddens humanitatem formaliter subsistentem; sed hoc facit sine inhærentia, vel identitate: ergo forma ex conceptu formæ non petit inhærere subiecto, vel cum illo identificari. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem: subsistentia Verbi est forma reddens humanitatem formaliter subsistentem, per modum formę nego maiorem; per modum termini concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, quia hæc est differentia inter formam per modum formæ communicatam, & communicatam per modum termini, quod hæc sine inhærentia, vel identitate tribuit effectum; vt convincit optimè exemplum; illa autem effectum tribuere nequit absquè aliqua illarum. Et certè si replica vrget, conviceret, quod homo posset esse beatus, albus, ratiocinans, &c. absquè forma inhærente, vel identificata, quod est contra omnes, ex quo fiat retorsio adversus replicam, terminos illius servando.

122 *3. Solutio vera.* Respondeo tertiò ad prædictum argumentum negando maiorē quoad tertiam partem, ad cuius probationē nego etiam maiorem, cuius ratio, & simul retorsio tradita est *num.* 118. Ad probationem pro quarta parte minoris distinguo antecedens: quando Tridentinum, & Patres dicunt, quod sanctificare est effectus gratiæ habitualis, locuntur de sanctitate accidentali, quin aliam sanctitatem huius generis, seu in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, agnoverint concedo antecedens; alia cognita nego antecedens, & consequentiā. *Retorqueo.* Et retorqueo: si humanitas Christi ex vi vnionis formaliter non beatificaretur, esset, quia ex Concilijs, & Patribus beatificare est effectus visionis beatæ; sed hoc non obest, vt ex vi vnionis beatificetur formaliter humanitas Christi: ergo est formaliter beata ex vi vnionis Christi humanitas. Probatur minor: nam quando Concilia, & Patres dicunt, quod beatificare est effectus visionis beatæ, locuntur de beatitudine accidentali: ergo Concilia, & Patres non obstant, vt ex vi vnionis beatificetur formaliter humanitas Christi.

123 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: humanitas Christi fuit Sancta sanctitate substantiali formaliter, etiam si Sancta concedatur sanctitate accidentali formaliter: ergo non solum per gratiam habitualem, sed etiam per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum, sanctificatur formaliter humanitas Christi. Probatur antecedens: humanitas Christi non solum per gratiam habitualem, quam habet, est particeps physicè Deitatis, sed etiam ratione vnionis est substantialiter physicè particeps Deitatis: ergo pariter. Antecedens est certum: nam gratia habitualis est participatio Deitatis Divinæ, sicut fides est participatio Divini intellectus, & Charitas est participatio Divinæ voluntatis. Consequentia paritate videtur certa. *Confirmatur.* Confirmatur: nam alio modo humanitas Christi participat physicè Deitatem, ac nos illam participamus: ergo alio modo humanitas Christi est formaliter Sancta, ac nos Sancti sumus formaliter: ergo humanitas Christi est formaliter Sancta per aliquod donum, à gratia habituali distinctum. Secunda consequentia ex prima legitimè infertur. Prima videtur paritate certa. Antecedens verò est manifestum: nam nos solum ratione vnionis cum gratia habituali, quæ est participatio Deitatis, Deitatem participamus; Christus autem non solum ratione vnionis cum gratia habituali, sed etiam ratione vnionis physicè cum Deo.

124 *Respondit.* Respondeo primò ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem concesso antecedenti, nego consequens, quia ex antecedenti non sequitur; alioquin idem esset, esse physicè Deo vnitum, ac esse formaliter Sanctum sanctitate in ordine ad beatitudinem; quod est falsum ex totiès dictis. Vndè, quod sequitur, & est verum, est, quod humanitas Christi per gratiam vnionis sit Sancta, vel radicaliter loquendo de sanctitate in ordine ad beatitudinem, vel personaliter loquendo de alio genere sanctitatis, de qua diximus *num.* 3. vel quod sit Sancta sanctitate in ordine ad cultum, de qua diximus *num.* 7. & totum claret ex dictis *num.* 103. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem concesso antecedenti nego

sup-

suppositum consequentis, supponit namquè, quod physica Deitatis participatio est sanctitas formalis, sanctitate in ordine ad beatitudinem, cuius falsitas ex proximè dictis constat.

125 *Respond. 2. retorquendo argum. & confirm.*

Respondeo secundò retorquendo argumentum: humanitas Christi est beata beatitudine substantiali formaliter, etiam si beata concedatur beatitudine accidentali formaliter: ergo non solum per visionem beatam, sed etiam per increatam visionem beatificatur formaliter humanitas Christi. Atqui hoc est falsum: ergo & argumentum. Probatur antecedens: humanitas Christi non solum per visionem beatam est particeps Divini intellectus, sed etiam ratione vnionis est substantialiter physicè particeps Deitatis, intellectus, &c: ergo pariter. Antecedens patet: nam visio beata est participatio Divini intellectus, sicut & fides. Consequentia paritate videtur certa. Retorqueo confirmationem: nam alio modo humanitas Christi participat physicè Deitatem, ac nos illam participamus: ergo alio modo humanitas Christi est formaliter beata, ac nos sumus formaliter beati: ergo humanitas Christi est formaliter beata beatitudine increata. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem videtur paritate certa. Antecedens verò est manifestum: nam nos solùm ratione vnionis cum visione beata, quæ est participatio Divini intellectus, Deitatē participamus; Christus autem non solum ratione vnionis cum visione beata, sed etiam ratione vnionis physicè cum Deo.

126 *Arguit. 6*

Arguitur sextò: gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu participationis Divinę naturę, etiam si sit Deus per essentiam: ergo gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu sanctitatis etiam si sit per gratiam vnionis substantialiter Sanctus. Probatur consequentia: ideò gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu participationis Divinæ naturæ, etiam si sit Deus per essentiam, quia Christo debet concedi omnis participatio possibilis Divinæ naturæ; sed etiam Christo debet concedi omnis sanctitas possibilis: ergo gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu sanctitatis, etiam si sit per gratiam vnionis substantialiter Sanctus. Hoc argumentum est valde æquivocum, ad cuius æquivocationem tollendam.

127 *Adverte pro responsione.*

Advertendum est: quod Christus ratione vnionis hypostaticæ participat naturam Divinam in diverso genere participationis, ac illam participat ratione gratiæ habitualis; nam per vnionem hypostaticam participat physicè, verè, & realiter naturam Divinam; per gratiam verò habitualem illam participat moraliter, per imitationem, & impropriè. Quo animadverso.

Respond. 1.

Respondeo primò ad argumentum, concesso antecedenti, distinguēdo consequens: ergo gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu sanctitatis, etiam si sit per gratiam vnionis substantialiter Sanctus, sanctitate alterius generis à sanctitate præstita à gratia habituali concedo consequentiam; sanctitate eiusdem generis nego consequentiam; ad cuius probationem, concessis præmissis, distinguo consequens data distinctione. Itaquè sicut gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu participationis Divinæ naturæ, etiam si sit Deus per essentiam, quia sunt participationes in diverso genere; ita gratia habitualis ponitur in Christo non superflua in effectu sanctitatis in ordine ad beatitudinem, etiam si sit per gratiam vnionis substantialiter Sanctus sanctitate personali, causali, & in ordine ad cultum, quia sunt sanctitates in diverso genere.

128 *Respond. 2. retorquēdo*

Respondeo secundò retorquendo argumentum: si gratia habitualis esset physica participatio Divinæ naturæ, superfluè poneretur in Christo ad effectum participationis physicæ naturæ Divinæ, eo, quod esset Deus per essentiam: ergo si Christus esset per gratiam vnionis formaliter Sanctus sanctitate in ordine ad beatitudinem, superfluè poneretur in illo gratia habitualis ad effectum prædictæ sanctitatis. Probatur consequentia: ideò si gratia habitualis esset physica participatio Divinæ naturæ, superfluè poneretur in Christo ad effectum participationis physicæ naturæ Divinæ, quia eo ipso, quod Christus sit Deus per essentiam, nullatenus eget alia physica participatione naturæ Divinæ; sed si Christus esset per gratiam vnionis formaliter Sanctus sanctitate in ordi-

ne ad beatitudinem, nullatenus egeret alia sanctitate formali in ordine ad beatitudinem: ergo superfluè poneretur in illo gratia habitualis ad effectū sanctitatis in ordine ad beatitudinem. Efficatia huius retorsionis declarata manet *à num. 28. vsque ad 40. præsertim num. 38.* exemplo animæ vegetativæ, & sensitivæ, quæ superfluè ponerētur in homine ob rationem ibi assignatā.

129 *Arguit. 7.* Arguitur septimò: vnio hypostatica affert formaliter ius ad gloriam: ergo vnio hypostatica est formaliter sanctificans humanitatem Christi. Probatur antecedens: ideò gratia habitualis affert formaliter ius ad gloriam, quia est participatio Divinitatis; sed perfectiori modo per vnionem hypostaticam participatur Divinitas: ergo vnio hypostatica affert formaliter ius ad gloriam. Maior videtur certa; alioquin assignetur alia ratio, & cum ipsa fiet idem argumentum. Minor claret; nam per vnionem communicatur Deitas physicè, & realiter; per gratiam verò imitativè, impropriè, & moraliter tantum, vt nos diximus paulo suprà. Consequentia legitima est.

130 *Respond. 1.* Respondeo primò ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem; nam ratio, cur gratia habitualis affert formaliter ius ad gloriam, est, vel quia hoc habet ex natura sua, vt cum Thomistis tenet Ill. Godoy, vel quia hoc habet ex pacto Dei, vt Scotistæ affirmāt: Et hæc est ratio, cum qua nequit fieri idem argumentum, quia nec vnio hypostatica ex natura sua affert formaliter ius ad gloriam ex totiès dictis; & quia alioquin hoc non esset formale distinctivum gratiæ apud Thomistas, quod videtur inconveniens; nec affert formaliter ius ad gloriam ex pacto Dei, quia alioquin hoc staret ex aliquo Concilio, vel determinatione Ecclesiæ, quod non stare, est omnibus manifestum. Respondeo secundò retorquendo argumentum: visio beatifica affert formaliter ius ad gloriam: ergo visio beatifica est formaliter sanctificans, quod apud omnes est falsum. Probatur antecedens: ideò gratia habitualis affert formaliter ius ad gloriam, quia est participatio Divinitatis; sed etiam per visionem beatificā participatur Divinitas: ergo visio beatificā affert formaliter ius ad gloriam.

Respond. 2. retorquendo argum.

Hæc sunt specialia argumenta, quibus addendum est argumentum, quo Pontius convictus, a communi Scotistarum doctrina recessit. Arguitur itaquè octavò: quia prorsus ex natura rei multò maior videtur congruentia, vt Deus amet humanitatem coniunctam hypostaticè cum personaDivina, & Deitate, amore speciali, quali amat Sanctos, & Iustos, quam humanitatem, in qua est illa forma, quæ de facto vocatur, & est forma sanctificās: & similiter magis longè videtur exigere humanitas sic vnita ex natura sua, non admittere secum peccatum, quam illa forma, quæ est gratia, & prorsus mirabile esset, quod homo habens formam physicam, quæ est Charitas, aut principium connaturale Charitatis, magis exigeret amari sic specialiter, quam homo, qui est Deus: ergo ex natura sua, tàm vnio sanctificat, quàm illa forma, & tam dignificat, ac iustificat. Quod si ex natura sua tam exigat hoc, profectò etiam dicendum est, quod si requiratur ad formā iustificantem acceptatio aliqua Divina, illa accesserit ad vnionē tàm benè, quàm ad formā quamcumque aliam.

131 *Arguit. 8.*

132 *Confirmatur.* Confirmatur ex eodem: quia vnio exigit connaturaliter aliquo modo ipsamet gratiam habitualem, & multas alias perfectiones, quas non exigit gratia habitualis, & ratione ipsius ponimus in Christo quantum perfectionis possumus absque inconvenienti; sed non est inconveniens, quod dicatur, exigere amorem Dei particularē, & remotionem omnis peccati, ac negationem conatus ad peccandum, & collationem beatitudinis: sed nihil aliud requiritur ad hoc, quod dicatur formaliter sanctificare, & facere iustū, ac gratum tàm benè, quàm facit gratia habitualis præter acceptationem Divinam, quam Thomistæ negant requiri, & Scotistæ asserunt: & nulla ratio est, vndè colligatur, quod de facto non sit acceptatio ista tàm benè respectu vnionis, quàm respectu gratiæ habitualis, & ipsa dignitas Christi, qua Christus præcisè, sine eo, quod consideretur, vt affectus gratia habituali, videtur exigere, vt sit ista acceptatio.

133 *Formatur Poncij argument.* Hoc Poncij argumentum, simul & confirmatio, claritatis gratia, ad hanc formam redducitur: illa est forma sanctificans, quæ reddit subiectum gratum, & Deo acceptum in ordine

ad

ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia; sed vnio hypostatica perfectiori modo, quam gratia habitualis, reddit humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia: ergo vnio hypostatica perfectiori modo, quam gratia habitualis, reddit humanitatem formaliter Sanctam. Consequentia est legitima. Maior est notoria. Minor, in qua est difficultas, probatur: vnio hypostatica perfectiori modo, quam gratia habitualis, reddit humanitatem participem Divinitatis: ergo perfectiori modo, quam gratia habitualis, reddit humanitatem gratam, & Deo acceptam in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia.

134 *Respond. 1.* Respondeo primò ad argumentum distinguendo maiorem: illa est forma sanctificans, quæ reddit subiectum gratum, & Deo acceptum in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia, in genere sanctitatis formalis, seu in actu secundo concedo maiorem; in genere sanctitatis personalis, vel in actu primo nego maiorē, & distinguo similiter minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens: vnio hypostatica perfectiori modo, quam gratia habitualis, reddit humanitatem participem Divinitatis, in diverso genere concedo antecedens; in eodem genere nego antecedens. Itaque vnio hypostatica, & gratia habitualis in diverso genere reddunt naturam participem Divinitatis; nam vnio in genere coniunctionis physicæ naturæ humanæ cum Divina; gratia verò in genere afferendi ius ad gloriam, & quælibet in suo genere est maior: nam in genere coniunctionis maior est vnio, vt patet; in genere autem afferendi ius ad gloriam, maior est gratia, quia hoc habet formaliter; vnio vero solum radicaliter.

135 *Replicat Poncius.* Contra hanc solutionem replicat Poncius *citat*: nam dicere, quod vnio hypostatica reddit subiectum gratū, & Deo acceptum in ordine ad beatitudinem, & alia bona supernaturalia in actu primo, idque non præstare in actu secundo, gratissimè dicitur; cum tam conveniens sit, quod id præstetur formaliter, & in actu secundo per vnionem hypostaticam, ac per gratiam habitualem. *Respondetur.* Respondeo: falsum esse assumptum; nam id asserimus rationibus assignatis §. 2. quarum efficacia ex ipsis patet.

136 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo secundò ad argumentum, concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens: vnio hypostatica perfectiori modo, quam gratia habitualis, reddit humanitatem participem Divinitatis physicè concedo antecedēs; moraliter nego antecedens, & consequentiam. Solutio claret ex dictis *num.* 88. & replica, quę fieri potest contra hanc solutionem, posita, & soluta manet *num.* 90. *Retorqueo argum.* Denique retorqueo argumentum: illa est forma beatificās, quæ possidet Deum; sed per vnionem hypostaticam perfectiori modo, quā per visionem beatificam, possidetur Deus: ergo vnio hypostatica est forma beatificans. Probatur minor: vnio hypostatica perfectiori modo, quam visio beatifica, reddit humanitatem participem Deitatis: ergo per vnionem hypostaticam perfectiori modo, quam per visionem beatificam, possidetur Deus.

137 *Respondebis pro Ill. Godoy.* Ad hanc retorsionem, quam totiès fecimus, respondebit Ill. Godoy, esse magnam disparitatem inter formam sanctificantem, & formam beatificantem; nam forma sanctificans non consistit in operatione; benè verò forma beatificans; & hæc est ratio, cur vnioni hypostaticæ repugnet esse forma beatificans, etiam si sit sanctificans forma. *Contrà.* Admitto disparitatem, & contra: nam stante disparitate, quidquid argumenta affirmant de vnione hypostatica, ad convincendum, esse formam sanctificantem, affirmant etiam de vnione hypostatica, ad convincendum, esse formam beatificantem: ergo disparitas non tollit efficaciam retorsionis. Probatur antecedens: retorsio vbicumque facta est, est facta ad litteram argumenti; vt ex quacumque liquet: ergo stante disparitate quidquid argumenta affirmant de vnione hypostatica, ad convincendum esse formam sanctificantem, affirmant etiam de vnione hypostatica, ad convincendum esse formam beatificantem.

***

§. VI.

Vnionem hypostaticam ex sua ratione formali non esse formam sanctificantem humanitatem Christi, cum veriori sententia defenditur.

138 2. *Conclusio*

SIt secunda conclusio: *Vnio creata, qua humanitas Verbo vnitur, non est forma, illam sanctificans, nec requisita conditio.* Hanc conclusionem quoad vtramque partem tenent Authores relati *num.* 13. Vltra quos primam partem conclusionis tenent communiter Theologi, & cum illis Ill. Godoy *num.* 67. Contra quem est secunda pars conclusionis. Primam itaque partem probat, & optimè Ill. Godoy §. 3. vltra quod.

139 1. *Pars conclusionis probatur* 1.

Breviter à nobis probatur primò: vnio hypostatica solum habet ex natura sua, naturam creatam Divino supposito formaliter coniungere: ergo vnio hypostatica ex sua ratione formali non habet formaliter sanctificare: ergo vnio hypostatica non sanctificat formaliter humanitatem. Probatur secundò: vnio hypostatica est quid creatum: ergo non sanctificat formaliter humanitatem. Probatur consequentia: si aliquid creatum sanctificat formaliter humanitatem, potiùs recurrendum est ad gratiam habitualem, quam ad vnionem hypostaticam; sed vnio hypostatica est quid creatum: ergo non sanctificat formaliter humanitatem. Minor, & consequentia tenent. Maior autem probatur: si aliquid creatum sanctificat formaliter humanitatem, potiùs recurrendum est ad id, quod iuxta omnes est de facto forma sanctificãs, quam ad id, quod iuxta omnes non est talis forma; sed iuxta omnes gratia habitualis est de facto forma sanctificans, sivè ex natura rei, sivè ex pacto; vnio autem hypostatica non est iuxta omnes talis forma: ergo si aliquid creatum sanctificat formaliter humanitatem, potiùs recurrendum est ad gratiam habitualem, quam ad vnionem hypostaticam.

Secundò.

140 2. *Pars conclus. probat.*

Probatur secundâ pars conclusionis: si vnio hypostatica esset conditio requisita, vt humanitas Christi sanctificaretur formaliter, humanitas Christi esset formaliter Sancta, vel à personalitate Verbi sub expresso personalitatis conceptu, vel à Divinitate, vt à personalitate Verbi formaliter, vel virtualiter distincta; atqui nec personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu, nec Divinitas, vt à personalitate Verbi formaliter, seu virtualiter distincta, sanctificat formaliter humanitatem: ergo vnio hypostatica non est conditio requisita, vt humanitas Christi formaliter sanctificetur. Maior, & consequentia tenent. Minor autem quoad primam partem conceditur ab Ill. Godoy §. 5. eamque nos ostendemus §. *sequenti.* Quoad secundam verò à nobis probabitur §. 8. vbi contrà Ill. Godoy demonstravimus: Divinitatem non sanctificare formaliter humanitatem Christi.

141 *Arguit Ill. Godoy contra 2. part. conclusion.*

Argumenta contra primam partem conclusionis adducit, & soluit Ill. Godoy §. 4. & si aliud est, quod specialis difficultatis sit, solutum manet per à nobis dicta §. 5. *per totum.* Contra secundam autem partem conclusionis arguit Ill. Godoy *numer.* 92: nam humanitas non potest effectum formalem sanctitatis à Divinitate suscipere, nisi Deo hypostaticè vniatur; & consequenter modus vnionis, quo humanitas Deo vnitur, indispensabiliter ad prædictum effectum exigitur; sed non est necessarius, vt formalis sanctitas, nec vt causalitas formæ sanctificantis, vt probatum relinquimus: ergo concurrit ad prædictum effectũ tamquam requisita conditio, vt humanitas à Verbo sanctificetur. Confirmatur: etenim applicatio passi ad agens est conditio requisita, vt effectũ agentis recipiat: ergo applicatio subiecti ad formam, vt conditio ad minus, ad illius effectum formalem recipiendum exigitur; sed vnio humanitatis cum Verbo est intrinseca applicatio subiecti sanctificandi ad formam sanctificantem: ergo est ad minus requisita cõditio, vt humanitas à Verbo recipiat sanctificationis effectũ.

142 *Respondeo.*

Hoc argumentum, quod in opinione Ill. Godoy est verum; in nostra sententia falsum supponit; supponit namquè, quod Deitas sit forma sanctificãs humanitatem Christi, quod negamus, & contra ipsum ostendemus §. 8. Pro nunc autem ad argumentum respondeo, negando suppositum maioris, & ad confirmationem concesso antecedenti cum consequentia, nego minorem ob falsitatem suppositi.

§. VII.

Personalitatem Verbi sub expresso personalitatis conceptu non esse formalem sanctitatem, probatur.

143 *3. Conclusio Scotus. Ill. Godoy.*

SIt tertia conclusio : *Personalitas Verbi secundum id, quod addit ad perfectiones absolutas ; non sanctificat humanitatem Christi formaliter.* Hanc tenent omnes Authores pro nostra prima conclusione relati, cum quibus Ill. Godoy *num.* 118. vbi hanc conclusionem tenet expressis verbis, & addit: nec credo dissentire alios ex discipulis D. Thomæ, frequentius tenentes, relationes Divinas perfectiones relativas ad essentiam non superaddere, cum docent; humanitatē Christi sanctificari à personalitate Verbi; nam intelligendi sunt de personalitate ratione inclusi ; nempè, ratione naturæ Divinæ, quam includit implicitè; non autem ratione conceptus expliciti superadditi ad essentiam, & ad lineam absolutam.

144 *Probatio Ill. Godoy.*

Hanc conclusionem probat Ill. Godoy *num.* 121. ex principijs communibus Thomistarum: nam in communi discipulorum D. Thomæ sententia, personalitates Divinæ ratione illius, quod explicant, adduntque ad essentiam, perfectionem non dicunt, vt ex Augustino ; & D. Thoma manifestè deduximus 1. *part. quæst.* 28. & consequenter ratione illius, quod superaddunt essentiæ, bonitatem non dicunt; bonitas enim esse non potest ; quod perfectio non est; sed sanctitas formalis bonitas est ; & perfectio ; cum subiectum ; quod sanctificat, constituat obiectum amabile dilectione amicabili Dei ; obiectum autem amoris in bonitate consistat: ergo personalitates Divinæ ; ratione illius ; quod addunt ad essentiam, & ad lineam absolutam, sanctitatem non dicunt, sed solum ratione essentiæ inclusæ; & consequenter personalitas Verbi ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi, sanctitas formalis non est, nec humanitatem Christi sanctificat.

145 *Confirmat Ill. Godoy.*

Quod amplius confirmat *num.* 122. ex indè namquè præcipuè moventur nostri Thomistæ ad asserendum, relationes Divinas perfectionem ad essentiam non addere; quia alias deberent concedi in Deo tres perfectiones relativæ : ex quo vlterius fieret, comparatas inter se necessario esse inæquales; cum inter distincta essentialiter æqualitas esse non possit; & vlterius sequeretur, cuivis ex Divinis personis aliquam perfectionem deesse ; Patri, nempè, filiationis perfectionem; Filio perfectionem Paternitatis; quę omnia inconvenientia censentur à discipulis D. Thomæ ; sed non minus inconveniens est, multiplicari sanctitates in Deo, concedereque inter illas essentialem inæqualitatem, & cuivis ex Divinis personis aliquam sanctitatem deesse, quam id asserere de Divinis perfectionibus ; nec minori cum evidentia, hæc omnia inferuntur ex eo, quod personalitas ratione sui sanctitas sit ; quam ex eo, quod perfectionē dicat ad essentiam superadditam : ergo eo ipso ; quod negetur, relationes Divinas ratione superaddita ad essentiam, dicere perfectionem; negari etiā debet ; vt consequenter in doctrina procedatur, ratione illius, quod explicant; adduntque ad Divinā essentiam, dicere, aut exprimere sanctitatem.

146

Et certè (inquit Ill. Godoy) non percipio, qualiter componi possit, personalitates divinas, ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi, non dicere perfectionem, & quod ratione talis conceptus exprimant, & importent sanctitatem; sanctitas enim necessario est bonitas, & consequenter perfectio : ergo, quod ratione alicuius conceptus perfectio non est, ratione illius sanctitas esse non potest. Vnde cum nostri Thomistæ censentes personalitates divinas, non superaddere ad essentiam perfectionem, asserunt, hypostasim Verbi sanctificare humanitatem Christi ; absquè dubio locuntur de hypostasi Verbi ratione essentię, quam in se includit transcendentaliter, & sic verissimum est, quod humanitatem sanctificet ; non autem de hypostasi ratione conceptus relativi superadditi ad essentiam, & ad lineam absolutam.

147 *Ratio Ill. Godoy sub alia forma proponitur.*

Hæc ratio Ill. Godoy clariùs, & (meo videri) efficatiùs ad hanc formā reducitur : non sanctitas non est alicuius sanctitas: ergo non sanctitas formaliter non est alicuius sanctitas formalis. Atqui personalitates divinæ sub expresso personalitatis conceptu non sunt sanctitates formaliter : ergo nullius sunt sanctitates formales; & con-

sequenter personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu non sanctificat formaliter humanitatem Christi. Hæc consequentia est legitima. Sussumpta supponitur certa, eo, quod personalitates Divinæ non dicant perfectionem. Antecedens est indubitabile ; nam negatio destruens esse sanctitatem, destruit esse alicuius sanctitatem, quia primo verificari debet, quod sit sanctitas, quam quod alicuius sit sanctitas ; si enim alicuius est sanctitas: ergo sanctitas est. Quod declaratur inductione in omni materia: nam non albedo non est alicuius albedo; non entitas non est alicuius entitas, & sic de omnibus alijs. Vnde difficultas est in consequentia.

148 *Probatur consequentia.*

Consequentia autem probatur: ideò non sanctitas non est alicuius sanctitas, quia negatio destruens sanctitatem non compatitur cum non destructione eiusdem sanctitatis ; sed negatio destruens sanctitatem formaliter non compatitur cum non destructione sanctitatis formalis : ergo non sanctitas formaliter non est alicuius sanctitas formalis. Maior patet: nam ly *non* negat sanctitatem, & ly *est* affirmat eandem sanctitatem, & sic essent duæ contradictoriæ, scilicet, *est sanctitas: non est sanctitas*, quod nequit admitti. Minor verò probatur: negatio in ista propositione : *non sanctitas formaliter*, destruit in sanctitate esse formalem sanctitatem : ergo negatio destruens sanctitatem formaliter non compatitur cum non destructione sanctitatis formalis. Consequentia liquet; nam quod facit in prima propositione ly *non cum sanctitate*, facit in secunda ly *non cum sanctitate formali*, & sic ly *non* negat esse formalem sanctitatem, & ly *est* affirmat esse sanctitatem formalem, & consequenter est contradictio in secunda propositione, sicut in prima.

149 *Confirmatur 1.*

Confirmatur, & vrgetur primò: alicuius sanctitas, sanctitas est : ergo alicuius formalis *sanctitas* est formaliter sanctitas. Probatur consequentia: sicut ex hac propositione: *est alicuius sanctitas*, evidenter inducitur: *ergo est sanctitas*, ita ex hac : *est alicuius sanctitas formalis*, evidenter inducitur : *ergo est formaliter sanctitas*. Atqui iuxta concessa ex hac propositione : *est alicuius sanctitas*, evidenter inducitur, quod sit sanctitas: ergo ex hac propositione: *est alicuius sanctitas formalis*, evidenter inducitur, quod sit formaliter sanctitas. Minor, & consequentia tenent. Maior autem, in qua potest esse difficultas, probatur: sicut ex hac propositione : *est sanctitas*, evidenter inducitur : *ergo alicuius est sanctitas*, ita ex hac: *est formaliter sanctitas*, evidenter inducitur: *ergo alicuius est sanctitas formalis*: ergo pariter.

150

Sussumo nunc: atqui iuxta Authores, contra quos procedit probatio, personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu non est formaliter sanctitas ; alioquin personalitates Divinæ ratione conceptus expliciti ad essentiã superadditi dicerent perfectionem, quod negant præacti Authores : ergo personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu non est alicuius sanctitas formalis : ergo non est formalis sanctitas humanitatis Christi : ergo personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu non sanctificat formaliter humanitatem Christi. Omnes consequentiæ clarent ex eo ; quod id, quod est formalis sanctitas humanitatis, est formaliter sanctitas, vt liquet in gratia habituali, quæ est sanctitas formalis ; & est formaliter sanctitas.

151 *Confirmatur 2.*

Confirmatur, & vrgetur secundò: ex medio, ex quo immediatè deducitur affirmatio rei, nequit immediatè deduci negatio illius, neque è contra: ergo si ex hoc medio: *est alicuius formalis sanctitas*, deducitur immediatè: *quod sit sanctitas formaliter*, ex illo medio deduci nequit immediatè: *quod non sit formaliter sanctitas*; alioquin ex medio, ex quo immediatè deducitur affirmatio rei, deduceretur etiam immediatè negatio illius, quod repugnat. Atqui iuxta Authores, contra quos arguitur, personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu est alicuius, nempè, humanitatis, formalis sanctitas: ergo personalitas Verbi sub prædicto conceptu est formaliter sanctitas, quod negant : ergo cum hoc, quod personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu non sit formaliter sanctitas ; stare nequit, quod sit sanctitas formalis humanitatis Christi.

Confirmatur 3.

Confirmatur tertiò: effectus formalis nihil aliud est, quam concretum ex forma, & subiecto capaci vnitis : ergo effectus formalis sanctitatis proveni-

nien-

nientis à personalitate in Christo est concretum ex ipsa sanctitate personalitatis, & humanitate Christi: ergo non potest talis effectus formalis sanctitatis in concreto contineri, nisi ipsa personalitas habeat talem sanctitatem contentam formaliter. Atqui, vt dictum habemus, personalitas non est formaliter sanctitas: ergo non sanctificat formaliter Christi humanitatem.

152 *Ratio Ill. Godoy non vrget.* 1.

Hæc tamen ratio, sivè hac noba forma à nobis posita; sivè forma ab Ill. Godoy tradita, quomodo, vt sibi evidenter, Salmanticæ è suggestu dictavit; vt ipse fatetur *num.* 123, inefficax est in principijs communioribus Thomistarum, cuius inefficatia convincitur primò: quod ex se sanctitas non est; potest tribuere effectum sanctitatis: ergo etsi personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu sanctitas ex se non sit, tribuere poterit effectum sanctitatis: ruit ergo ratio Ill. Godoy. Probatur antecedens: nam in communissima omnium discipulorum D. Thomæ sententia, quod ex se substantia non est, potest tribuere effectum substantiæ: ergo quod ex se sanctitas non est, potest effectum tribuere sanctitatis.

153 *Secundò.*

Convincitur secundò inefficatia rationis Ill. Godoy: quod ex se sanctitas formaliter non est, potest tribuere effectum formalem sanctitatis: ergo etiam si personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu sanctitas ex se formaliter non sit, tribuere poterit effectum formalem sanctitatis: ergo ratio Ill. Godoy non probat. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens probandum venit dupliciter. Primò in sententia communi discipulorum omnium D. Thomæ. Secundò in opinione omnibus Philosophis communi. Probatur itaque primò: nam quod ex se formaliter corporeum non est, potest tribuere effectum formalem corporeitatis: ergo quod ex se sanctitas formaliter non est, potest tribuere effectum formalem sanctitatis. Consequentia est paritate evidens. Antecedens est sententia communis discipulorum D. Thomæ asserentium: non dari in viventibus formam corporeitatis, distinctam ab anima rationali, hancque, quæ ex se non est formaliter corporea, tribuere formalem effectum corporeitatis. Probatur secundò dictum antecedēs: quod ex se formaliter non est divisibile, potest tribuere effectū formalem divisibilitatis: ergo pariter. Consequentia est ita certa, ac præcedens. Antecedens verò est sententia omnium Philosophorum negantiū. in homine tres animas, ideoque asserentium: animam rationalem, quæ ex se non est formaliter divisibilis, tribuere formalem effectū divisibilitatis, qui est effectus animæ vegetativæ.

154 *Rationi Ill. Godoy respondetur.*

Vndè ad rationem ab Ill. Godoy formatam possunt adversarij respondere, concedendo syllogismum cum prima consequentia subsilata, & negando secundam, scilicet, *nec humanitatem Christi sanctificat*, quia stat, quod personalitas Verbi ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi non sit sanctitas formalis, & quod humanitati Christi tribuat effectum formalem sanctitatis, vt patet exemplo accidentis, quod etsi ratione conceptus expliciti non sit substantia, vt apud omnes est certum, tamen effectum substantiæ tribuit iuxta Ill. Godoy. Patet etiam exemplo animæ rationalis, quæ etsi ratione conceptus expliciti non sit corporea, vt fatentur omnes Theologi; effectum tamen formalem corporeitatis tribuit in opinione communi Thomistarum, & per hæc exempla retorsionem ad hominem contra Ill. Godoy facere possunt, vt ratio illius convincens non sit. Ad confirmationem similiter respondere valent, ipsam concedendo, quia solum concludit, quod personalitas Divina ratione sui sanctitas non est, quod adversarij fatentur; cæterum cum hoc stat, effectum formalem sanctitatis tribuere, vt exemplis adductis manet convictum.

Confirmationi respōdetur.

155 *Ad rationē aliter efformatam respondetur.*

Ad rationem, vt à nobis formata est, respondere possunt contrarij, distinguendo antecedens: non sanctitas formaliter, & virtualiter, non est alicuius sanctitas concedo antecedens; formaliter tantùm nego antecedens, & consequentiam, ad cuius probationem distinguenda est maior distinctione data, & distinguo minorem: sed negatio destruens sanctitatem formaliter non compatitur cum non destructione sanctitatis formalis in causa concedo minorem; in effectu nego minorem, & consequentiam; quia stat, quod causa dans esse sanctitatem formalem, non sit formaliter Sancta,

sed

sed solum virtualiter, vt manifestè apparet in anima rationali, quæ non est formaliter divisibilis, & tamen tribuit effectum formalem divisibilitatis, vt apud omnes Phylosophos est certum. Vndè licèt contradictio sit: non esse formaliter sanctitatem, & esse sanctitatem formalem respectu eiusdem, nempè, respectu illius, quod sanctitatem tribuit; contradictio tamen non est respectu diversorum, scilicet, respectu causæ, & effectus, quia stat, quod id, quod non est formaliter Sanctum, tribuat effectum formalem sanctitatis, vt claret exemplo allato de anima rationali, per quod ad litteram fiat contra rationem retorsio.

156 *Ad 1. confirmat.* Ad primam confirmationem iuxta solutionem traditam responderi valet, concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationē nego maiorem, & ad illius probationem nego consequentiam. Et ratio est: quia ad hoc, vt aliquid sit sanctitas formalis alicuius, sufficit, quod sit virtualiter sanctitas. Ad secundam confirmationem concedo antecedens, & consequentiam, sed nego suppositum, quia supponit, quod ex hoc medio: *est alicuius formalis sanctitas*, deducatur immediatè: *quod sit sanctitas formaliter*, quod est falsum, quia ad esse sanctitatem formalem alicuius sufficit, esse virtualiter sanctitatem, sicut ad esse divisibilitatem formalem alicuius sufficit, esse virtualiter divisibilem, vt exemplo suprà posito de anima rationali manifestè apparet, & luce clarius constabit, si dicto exemplo formetur retorsio ad litteram vtriusquè confirmationis, quod legentibus faciendum relinquo, & per hoc patet ad tertiam. *Ad 2.* *Ad 3.*

157 *Probat. 1. conclusio.* Propter hæc autem aliter à nobis est probanda conclusio, & vt ratio Ill. Godoy convincat sic debet efformari: personalitates Divinę ratione illius, quod explicant, adduntque ad essentiam, perfectionem non dicunt, nec formaliter, nec virtualiter, & consequenter ratione illius, quod superadduntessentiæ, bonitatem non dicunt, nec formaliter, nec virtualiter; bonitas enim esse non potest, quod perfectio non est; atqui sanctitas formalis bonitas est, & perfectio; cum subiectū, quod sanctificat, constituat obiectum amabile dilectione amicabili Dei; obiectum autem amoris in bonitate consistit: ergo personalitates Divinæ ratione illius, quod addunt ad essentiā, & ad lineam absolutam, sanctitatem non dicunt nec formaliter, nec virtualiter: ergo personalitates Divinæ ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi nequeunt tribuere effectum formalem sanctitatis, & consequenter personalitas Verbi sub expræsso personalitatis conceptu non sanctificat humanitatem Christi.

158 *Probat. 2. cōsequētia.* Maior supponitur certa, & in proprio loco ostensa. Minor probata manet in ipsa probatione. Prima consequentia est legitima. Secunda verò probatur: quod nec formaliter, nec virtualiter sanctitas est, nequit tribuere effectum formalem sanctitatis; sed personalitates Divinæ ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi sanctitates non sunt, nec formaliter, nec virtualiter: ergo personalitates Divinæ ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi nequeunt tribuere effectum formalem sanctitatis. Maior est notoria; quia nemo dat, quod non habet, vt tenet commune axioma. Minor constat; alioquin Divinæ personalitates ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi dicerent perfectionem, quod est contra opinionem, quæ vt certa supponitur. Consequentia legitima apparet, & vltra probatur: ideo namquè anima rationalis tribuit effectum formalem corporeitatis apud Thomistas, & effectum formalem divisibilitatis apud omnes Phylosophos, quia iuxta illos anima rationalis continet saltim virtualiter formam corporeitatis, & apud istos animam vegetativam; sed personalitates Divinæ ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi sanctitates non sunt nec formaliter, nec virtualiter: ergo personalitates Divinæ ratione conceptus expliciti ad essentiam superadditi nequeunt tribuere effectum formalem sanctitatis.

159 *Probat. 2. conclusio.* Probatur secundò conclusio: personalitas Verbi sub expræsso personalitatis conceptu solum habet reddere naturam personatam; sed hoc non est, naturam sanctificare formaliter: ergo personalitas Verbi sub expræsso personalitatis conceptu non sanctificat formaliter humanitatem Christi. Consequentia est legitima. Maior est manifesta. Minor autem probatur primò:

mò: si reddere naturam personatam, esset naturam formaliter sanctificare, natura creata esset formaliter Sancta per propriam personalitatem, quod absit ob tot absurda, quæ ex eo sequerentur, & quæ omitto, quia præ oculis habentur: ergo personalitatem reddere naturam personatam non est, naturam formaliter sanctificare. Probatur secundò dicta minor: si reddere naturam personatam, esset naturam formaliter sanctificare, natura Divina sanctificaretur formaliter per personalitates Divinas; sed hoc est plusquã falsum; alioquin Divina natura in illo priori, ante quam communicetur personis, non esset formaliter Sancta: ergo idem quod anteà.

160 *Aliter formatur probatio.*

Aliter formatur hæc ratio: si personalitas Divina sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter, personalitas creata sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter; sed hoc est apud omnes plusquam falsum: ergo personalitas Divina sub expresso personalitatis conceptu non sanctificat formaliter, & consequenter Verbi personalitas sub prædicto conceptu non sanctificat formaliter humanitatem Christi. Probatur maior: si personalitas Divina sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter, conceptus expressus personalitatis formaliter sanctificaret; sed personalitas Divina, & creata conveniunt in conceptu expresso personalitatis: ergo si personalitas Divina sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter; personalitas creata sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter. Maior patet; alioquin Divina personalitas non sanctificaret formaliter sub expresso personalitatis conceptu. Minor est certa; nam personalitas Divina, & creata ita conveniunt in conceptu expresso personalitatis, quod personalitas creata sit verè personalitas, sicut Divina, guadeatque sicut illa, conceptu formali personalitatis, scilicet, reddendi naturam personatam.

161 *Cõsequẽtia probatur.*

Consequentia autem probatur: quandocumque aliqua ratio communis ex suo conceptu formali importat aliquid, illud habet in inferioribus, in quibus verè reperitur illa ratio communis; sed ratio communis conceptus expressi personalitatis verè reperitur in personalitate creata, sicut in Divina personalitate: ergo si personalitas Divina sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter, personalitas creata sub expresso personalitatis conceptu sanctificaret formaliter. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: nam quia conceptus formalis albedinis est dealbare, hæc, & illa, & omnis albedo habet dealbare. Item: quia conceptus formalis existentiæ est existere, subsistentiæ subsistere, & sapientiæ sapere; existentia creata sicut Divina, facit existere, subsistentia subsistere, & sapientia sapere: ergo quandocumque aliqua ratio communis ex suo conceptu formali importat aliquid, illud habet in inferioribus, in quibus verè reperitur illa ratio communis.

Si autem dicas: quod personalitas Verbi vltrà conceptum communem personalitatis habet conceptum particularem, scilicèt, esse personalitatem Verbi, & sub hoc conceptu sanctificare formaliter humanitatem Christi. Contra: personalitas Verbi sub conceptu particulari, nempè, personalitas Verbi, sanctificat formaliter humanitatem Christi per te: ergo personalitas Verbi non sanctificat formaliter humanitatem Christi sub conceptu expresso personalitatis, vt personalitas est, sed vt est Verbi personalitas: ergo personalitas Verbi sanctificat formaliter humanitatem Christi sub conceptu, quo personalitas Verbi distinguitur à personalitate creata. Atqui conceptus, quo personalitas Verbi distinguitur à personalitate creata, est natura Divina: ergo personalitas Verbi sanctificat formaliter humanitatem Christi secundum quod includit naturam Divinam, & consequenter illã non sanctificat secundum id, quod addit ad naturam Divinam, quod est nostra conclusio. Probatur sussumpta: ratio distinctiva personalitatis sumitur ex parte naturæ: ergo conceptus, quo personalitas Verbi distinguitur à personalitate creata, est natura Divina. Consequentia est legitima, & antecedens verum; nam personalitas dividitur in Divinam, Angelicam, & humanam: ex quibus Divina est Divinæ naturæ incommunicabilis existentia; Angelica est naturę Angelicę incommunicabilis existentia; & humana est naturæ humanæ incommunicabilis

162 *Dices.*

Contrà.

exis-

existentia: ergo natura Divina est distinctivum personalitatis Divinæ à personalitate creata; nam natura secluſa à diffinitione personalitatis, nihil est in Divina, quod non sit in creata: ergo conceptus, quo personalitas Verbi distinguitur à personalitate creata, est Divina natura.

163 *Dices iterum.* Dices iterum: naturam Divinam esse distinctivum quasi extraneum, quo Divina personalitas distinguitur à personalitate creata; non vero intraneum, quia hoc est, quia personalitas Divina est relativa, & creata absoluta. Cæterũ hoc omisso; est enim falsum. *Contra.* Contra: secluso eo, quod habet persona Divina ratione naturæ Divinæ, nihil remanet in ea, vt constituatur formaliter sanctificans: ergo solutio non est ad rem. Probatur antecedens: secluso eo, quod habet persona Divina ratione naturæ Divinæ, solum manet esse personam relativam; sed non constituitur formaliter sanctificans, quia persona, vt probatum reliquimus, nec quia relativa, alioquin relatio creata formaliter sanctificaret, ob eandem rationem, qua de personalitate creata id probavimus, si, quia personalitas, sanctificaret formaliter: ergo secluso eo, quod habet persona Divina ratione naturæ Divinæ, nihil remanet in ea, vt constituatur formaliter sanctificans.

164 *Dices adhuc.* Dices adhuc: quod secluso eo, quod habet persona Divina ratione naturæ Divinæ, manet in conceptu personalitatis Divinæ, quod sit infinita, increata, à se, &c. quod non habet personalitas creata. *Contra 1.* Contra primò: nam supposito, quod personalitas Divina sub conceptu expresso personalitatis, seu secundum id, quod addit ad essentiã Divinam, non sit perfectio, secluso eo, quod personalitas Divina habet ratione essentiæ, nec erit infinita, nec increata, nec à se, &c: ergo ruit solutio. Consequentia est legitimæ. Antecedens verò est indubitabile, supposita opinione prædicta. *Contra 2.* Contra secundò: nam si personalitas Divina formaliter sanctificaret, quia infinita, increata, & à se, quodlibet Divinum prædicatum esset formaliter forma sanctificans, quia quodlibet est infinitum, increatum, & à se; sed hoc est falsum; nam prædicatum sanctitatis est attributum speciale, & distinctum ab alijs attributis: ergo nulla est solutio.

Probatur tertio conclusio, & procedit argumentum contra illos, qui sustinent: humanitatem Christi formaliter sanctificari per personalitatẽ Verbi, & simul etiam per Deitatem: quandocumque forma superior continet eminenter, vel virtualiter inferiorem, vel effectum illius, frustra hæc ponitur cum illa, quia quidquid habetur per illam, præstatur etiam ab illa, & excellentiori modo, ob quod non ponuntur tres animæ in homine, sed sola anima rationalis, eminenter, vel virtualiter continens sensitivam, & vegetativam, & effectus earum; sed essentia Divina eminenter, vel virtualiter continet sanctitatem personalitatis, & effectum illius: ergo posita essentia sanctificante, non est necessaria, sed superflua in humanitate sanctitas personalitatis. Minor probatur: quia essentia Divina est radicaliter infinitè Sancta omni genere sanctitatis: ergo continet eminenter, vel virtualiter personalitatis sanctitatem; aliàs non esset radicaliter continens illam, & sic non infinita radicaliter in omni linea sanctitatis. *Vide num. 37. cum seqq.*

165 *Probat. 3. conclusio.*

166 *Dices.* Dices: quod essentia Divina non potest præstare effectum sanctitatis personalitatis, vt personalitas præstat, & sic licèt contineat, non est superflua personalitatis sanctitas. Ratio est: quia personalitas sanctificat humanitatem, vt perfectio propria humanitatis, & immediatissimè; essentia verò Divina non immediatissimè, & vt perfectio propria humanitatis, sed vt perfectio propria ipsius personalitatis Divinæ; & ideò licèt contineat sanctitatem personalitatis, non superfluit personalitatis sanctitas, sicut licèt essentia contineat perfectionem, vel effectum personandi, non ob hoc tollitur, quod formaliter ipsa persona personet humanitatem, quia formaliter hoc non potest præstari ab essentia, vt non est persona formaliter.

167 *Contra.* Contra: quia licèt essentia Divina formaliter, vt perfectio propria, non sit sanctitas humanitatis, poterit præstare humanitati effectum proprium sanctitatis, si contineat illum eminenter, vel virtualiter, dummodo sanctificet ipsam: ergo frustra ponitur talis sanctificatio personalitatis ob hanc rationem. Probatur antecedens primò: licèt anima rationalis formaliter non sit vegetativa, anima potest præstare

for-

formalem effectum vegetativæ, dum vivificat corpus, quia continet eminenter, vel virtualiter talem vegetativam animam: ergo pariter. Probatur secundò: nam licèt ipsa personalitas non sit formaliter sanctitas in se, potest reddere humanitatem Sanctam formaliter, quia continet virtutem sanctificandi talem humanitatem; ergo etiam ipsa essentia Divina, licèt non sit formaliter propria sanctitas in se, poterit præstare humanitati effectum proprium sanctitatis, si contineat illum eminenter, vel virtualiter, dummodo sanctificet ipsam.

168 *Dices.* Dices: non repugnare hoc essentiæ Divinæ, & faceret, si vniretur prius humanitati, quam personalitas; at cum prius vniatur personalitas, quam essentia, & personalitas potest sanctificare, sanctificat, vt sanctitas propria; quare non sic sanctificat essentia, quia iam reperit humanitatem ita sanctificatam. *Contrà.* Sed contrà hanc solutionem insurgo; etsi humanitas prius vniatur personalitati, & pro illo priori sanctificetur ab ipsa, adveniente essentia Divina eminentialiter continente sanctitatem personalitatis, debet essentia, & non personalitas, præstare illam sanctitatem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: in sententia probabili Aristotelis, & aliquorum dicentium: effectum prius vivere vita plantæ, deinde vita sensitiva; & denique rationali; & si prius fœtus vivat formaliter vita sensitiva, adveniente rationali, vivit sensitivè formaliter ab anima rationali, quia ita continet eminenter talem effectum, & potest illum præstare; sed essentia Divina continet, & potest præstare effectum sanctitatis: ergo etsi humanitas prius vniatur personalitati, & pro illo priori sanctificetur ab ipsa, adveniente essentia Divina, eminentialiter continente sanctitatem personalitatis, debet essentia, & non personalitas, præstare illam sanctitatem. Secundò: in sententia communi Thomistarum ponente formam corporis pro priori ad animam rationalem: materia prima accipit pro priori effectum corporeitatis ab illa forma, & adveniente anima rationali eminenter, & virtualiter continente prædictum effectum corporeitatis, materia accipit talem effectum ab anima rationali, & non à forma corporeitatis distincta: ergo idem quod prius.

Argumenta contra conclusionem suprà positam adducit, & soluit Ill. Godoy *à num.* 165. *usque ad num.* 207. in quo videnda relinquo. Cæterum vltra illa arguitur specialiter; & ex nostra doctrina contra conclusionem: ratio impugnans, Deitatem sanctificare formaliter, evidenter probat, Divinam personalitatem sub conceptu expresso personalitatis formaliter sanctificare: ergo sic sanctificat Christi humanitatem. Probatur antecedens primò: ratio impugnans Deitatem sanctificare formaliter, est; quia Deitas immediatè non vnitur humanitati; sed hæc ratio evidenter probat, personalitatem Divinam sub conceptu expresso personalitatis formaliter sanctificare: ergo ratio impugnans, Deitatem sanctificare formaliter, evidenter probat, Divinam personalitatem sub conceptu expresso personalitatis formaliter sanctificare. Maior patet; nam si Deitas immediatè vniretur humanitati, Deitas formaliter sanctificaret; nam, data hac vnione, humanitas esset formaliter Deus, immensa, æterna, &c; esset enim prædicatio immediata concreti de abstracto, quæ formalis est. Minor claret: nam personalitas immediatè vnitur humanitati; alioquin non esset formaliter subsistens per Divinam personalitatem. Consequentia est evidens.

169 *Arguitur specialiter contra conclusionem.* *Probat. antecedens 1.*

Secundò. Probatur secundò idem antecedens: ratio impugnans; Deitatem sanctificare formaliter, est ratio probans, Deitatem sanctificare tantum per communicationem Idiomatum; sed ratio probans, Deitatem sanctificare tantum per communicationem Idiomatum, impugnat, personalitatem Divinam sub conceptu expresso personalitatis sic sanctificare: ergo ratio impugnans, Deitatem sanctificare formaliter, evidenter probat, Divinam personalitatem sub conceptu expresso personalitatis formaliter sanctificare.

170 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: ratio impugnans, Deitatem sanctificare formaliter, est, quia Deitas immediatè non vnitur humanitati, suppositâ sanctitate in Deitate concedo maiorem; non suppositâ nego maiorem, & distinguo minorem; sed hæc ratio evidenter probat, personalitatem Divinam sub expresso conceptu perso-

nalitatis formaliter sanctificare, si sanctitas supponatur in personalitate concedo minorem; si in illa sanctitas non supponatur nego minorem, & consequentiam. Ad secundam probationem distinguo maiorem: ratio impugnans, Deitatem sanctificare formaliter, est ratio probans, Deitatem sanctificare tantum per communicationem Idiomatum, suppositâ sanctitate in Deitate concedo maiorem; sanctitate in illa non suppositâ nego maiorem; & hac distinctione suppositâ concedo minorem, & nego consequentiam.

171 *Declaratur ratio solutio.*

Itaquè ratio impugnans, Deitatem sanctificare formaliter, est, quia licèt Deitas sit sanctitas, non vnitur immediatè humanitati, & ad sanctitatem formalem præstandam vtrumque requiritur, scilicet, & quod sit sanctitas, & quod immediatè vniatur subiecto sanctificabili, quin vnum absque alio sit sufficiens. Cum ergo personalitas sub expresso personalitatis conceptu non sit sanctitas, nequit formaliter sanctificare humanitatem, etsi illi immediatè vniatur. Et hæc est ratio, cur Deitas, & non personalitas, sanctificet per communicationem Idiomatum; nam ad hanc sanctitatem præstandam requiritur sanctitas, & vnio mediata cum subiecto, quod reperitur in Deitate respectu humanitatis; non verò in personalite sub expresso personalitatis conceptu, vt §. sequenti latiùs declarabitur.

§. VIII.

Divinitatem non sanctificare formaliter humanitatem Christi, probatur.

172 *4. Conclusio Scotus.*

SIt quarta conclusio: *Divinitas, vt à personalitate Verbi virtualiter, vel formaliter distincta, non sanctificat formaliter humanitatem Christi.* Ita Scotus *citat. num.* 13. cuius oppositum tenet Ill. Godoy *num.* 208. contra quem, vt nostram conclusionem probemus, supponendum est primò tamquam certũ apud omnes Theologos: quod essentia Divina sub conceptu essentię, vel sub conceptu aliquo absoluto communi tribus personis, non fuit vnita humanitati Christi formaliter, & ita immediatè, quod humanitas sit formaliter Deus, immensa, æterna, &c. sicut est formaliter subsistens subsistentia Verbi; sed quod solum sit Deus, immensa, & æterna per communicationem Idiomatum, & in concreto. Quod habetur ex Concilio Toletano 6. & 11. *in Confessione veræ fidei*, dicente: *Solus Filius formam servi accepit in singularitate personæ; non in vnitate Divinæ naturæ; in id, quod proprium est Filij; non quod Trinitati commune est.*

Contra Ill. Godoy.

Supponitur quod est certum.

173 *Alia certa suppositio.*

Vlteriùs supponendum est cum communi sententia Scotistarum, & Thomistarum, quam docuimus *tom. præcedent. disput.* 15. *num.* 17. illamque habet Ill. Godoy *ibi num.* 77; non repugnare naturæ Divinæ sub conceptu communi toti Trinitati, & sub conceptu absoluto, vniri sic humanitati, quod immediatè vniretur prædicta natura sub conceptu communi, & absoluto, & secundariò terminarent relationes, sicut nunc immediatè terminant, & vnitur personæ Filij, & mediatè absolutum commune tribus, scilicet, natura Divina. His suppositis sic primò conclusionem ostendo, probando: essentiam Divinam, vt virtualiter distinctam à personalitate, tantũ per communicationem Idiomatum radicaliter, & in concreto sanctificare humanitatem, vt ait Scotus, & non formaliter in abstracto, vt ait Ill. God.

174 *Probat. 1. conclusio.*

Eo modo communicat essentia Divina humanitati proprietates absolutas, & communes toti Trinitati, quo ipsa vnitur humanitati; sed essentia Divina sub conceptu essentiæ, & sub conceptu quocumque absoluto, non vnitur formaliter humanitati, & in abstracto, sed in concreto, & per communicationem Idiomatum: ergo non communicat formaliter, & in abstracto, prædictos effectus; sed sanctitas essentiæ, vt distinctæ virtualiter à personalitate, est quid absolutum, & commune toti Trinitati: ergo Divinitas non tribuit humanitati Christi effectum formalem sanctitatis. Confirmatur primò: distincto modo communicat essentia Divina, vt virtualiter distincta à subsistentia personali, se ipsam, & proprietates absolutas, & communes toti Trinitati; ac se communicat humanitati subsistentia ipsa, sub quo conceptu essentia vnitur humanitati; sed subsistentia sic communicatur, quod formaliter in abstracto humanitatem reddat subsistentem: ergo natura sic, quod non formaliter in abstracto, sed per communicationem

Confirmatur 1.

Idio-

Idiomatum, & in concreto tantum, reddat humanitati effectus absolutos, & communes.

175 *Confirmatur 2.* Confirmatur secundò: vel essentia Divina, & conceptus aliquis absolutus, & communis toti Trinitati, vt distinctus virtualitèr à personalitate, vnitur formalitèr humanitati, vel non, sed tantum per communicationem Idiomatum, & in concreto? Si secundum: ergo essentia Divina sub conceptu essentiæ, vt virtualitèr distincta à personalitate, non sanctificat formalitèr humanitatem, & in abstracto, sed tantum per communicationem; nam ad sanctitatem formalē, & non per communicationem, requiritur vnio formalis; aliàs ipsa persona posset formalitèr personare humanitatem, etsi non vniretur formalitèr, sed vnita humanitate formalitèr essentiæ, & secundario, vel communicativè personalitati, quod non est dicendum. Si primum: ergo sic est essentia Divina vnita sub conceptu essentiæ humanitati, quod in conceptu communi toti Trinitati vnita sit formalitèr, & sic erit Deus formalitèr, æterna, immensa, &c. quod in Concilio Toletano intenditur vitare.

176 *Confirmatur 3.* Confirmatur tertiò: essentia Divina, vt communis toti Trinitati secundum conceptum absolutum, & communem, ita est sanctitas substantialis, sicut immensitas, æternitas, &c; sed non potest dici, vt salvetur intentum Concilij, quod sic vnitur formalitèr essentia Divina sub conceptu essentiæ humanitati, quod humanitas sit formalitèr, & non tantum per communicationē Idiomatū, immensa, æterna, &c: ergo nec sic Sancta formalitèr.

Confirmatur 4. Vrgetur, & confirmatur quartò: si humanitas ratione vnionis cum essentia Divina sub conceptu essentiæ, vt distincta virtualitèr à personalitate, sic vniretur, quod formalitèr esset Deus, æterna, immensa, &c. & non tantum per communicationem Idiomatum, non salvaretur intentum Concilij, quia iam vniretur formalitèr humanitas essentiæ Divinæ sub conceptu communi toti Trinitati, vel absoluto, vt distincto à personalitate, quod Concilium in suis verbis vitare intendit; sed etiam si ratione vnionis cum essentia Divina, sub conceptu essentiæ, vt distincta virtualitèr à personalitate, sic vnitur, quod formalitèr sanctitate essentiæ sit Sancta, & non tantum per communicationem Idiomatum, vniretur humanitas essentiæ sub conceptu communi, & absoluto toti Trinitati: ergo etiam non salvaretur intentum Concilij: ergo essentia Divina non sanctificat formalitèr humanitatem Christi.

177 *Probat. 2. conclusio.* Hanc probationem nostræ conclusionis non adducit Ill. Godoy; vt autem solutionem, quam ad eam, simul, & confirmationes, adhibere possit, videamus, & impugnemus, probatur secundò conclusio ratione ab ipso tradita, & contra se obiecta: etsi Deitas in se ipsa sanctitas formalis sit; non tamen potest sanctitatis effectum humanitati præstare: ergo ratione sui, vt à personalitate distinguitur, non sanctificat humanitatem Christi. Antecedens probatur: vt enim Divinitas præstet humanitati sanctitatis effectū. requiritur, quod vniatur illi, vt forma; sed non potest, vt forma, humanitati vniri; informatio namquè Divinitati, & cuivis Divinę perfectioni repugnat: ergo nec potest sanctitatis effectum humanitati præstare, etsi in se ipsa sit sanctitas formalis.

178 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc probationem respondet Ill. Godoy *num.* 217. negando antecedens, ad illius probationem distinguit maiorem: requiritur, quod vniatur, vt forma physicè informans negat maiorem; vt forma terminans mediatè, vel immediatè concedit maiorem, & sub eadem distinctione minoris negat consequentiam. Nam licèt Divinitas non possit vniri humanitati, vt forma physicè informans; potest tamen illi vniri per modum terminantis, non ratione sui immediatè, sed mediatè ratione subsistentiæ personalis Verbi; & hæc vnio mediata terminativa sufficit, vt Deitas ratione sui humanitatem Christi sanctificet.

179 *Replicatur contra solutionem.* Sed contra hanc solutionem replicatur in hunc modum: mediata vnio sapientiæ, Omnipotentiæ, æternitatis, & immensitatis cum humanitate, non sufficit, vt à sapientia Dei constituatur humanitas sapiens, ab Omnipotentia omnipotens, ab æternitate æterna, & immensa ab immensitate: ergo paritèr: vnio mediata terminativa Divinitatis cum humanitate non sufficit, vt ab illa Sancta constituatur. Patet consequentia; tùm à paritate rationis. Tùm etiam; quia attributa

ob ſummam ſimplicitatem, & identitatem inter ſe, & cum Divina eſſentia, non poſſunt non communicari, eſſentia communicata : ergo ſi mediata vnio eſſentiæ cum humanitate ſufficit, vt illi communicetur eſſentia, vt ſanctificans; ſufficiet etiam, vt cætera attributa humanitati communicent proprios effectus formales. Tùm deniquè: quia non minus inconveniens videtur, quod humanitas ſit formalitèr Sancta ſanctitate, qua Deus Sanctus eſt, quam quod ſit immenſa formalitèr per eandem immenſitatem, qua Deus eſt immenſus; nullum enim prædicatum, quod in ſe infinitum ſit, poteſt de natura humana in abſtracto prædicari ; aliàs ſecundum eandem realitatem, qua de Deo prædicatur, de humanitate in abſtracto diceretur.

180 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Ad hanc replicam, prætermiſsis aliorum ſolutionibus, reſpondet Ill. Godoy *num.* 226. conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad primam probationem dicatur, rationem diſcriminis eſſe : nam effectus formales vitales per modum actus ſecundi, non poſſunt communicari, niſi actus vitales procedant phyſicè à principio vivente, aut identificentur cum illo. V. g. cognitio cum cognoſcente, & volitio cum volente; ſi autem ſint vitales per modum actus primi, non poſſunt communicari, niſi forma ſic dans vitam, aut identificetur cum ſubiecto vivente, aut illud phyſicè informet. V. g. intellectus, & voluntas non poſſunt conſtituere intelligentem, & volentem in actu primò, niſi identificentur cum ſubiecto intelligente, & volente, vt in Deo, aut illud phyſicè informent, vt in Angelis, & in nobis contingit. Et ratio eſt: quia cum eſſe operativum ſequatur ad eſſe eſſentiæ, non poſſunt eſſe operativum præſtare, niſi vniantur ad vnam conſtituendam eſſentiam, ad quod, vel identitas, vel ſaltim phyſica informatio requiritur.

181

Duratio autem (proſequitur Ill. Godoy) ſi idem ſit cum exiſtentia formalitèr, ſicut humanitas exiſtit per exiſtentiam Divinam, ita & poteſt per divinã durationem durans conſtitui; ſi autem ab exiſtentia formalitèr diſtinguatur, pertinet ad eſſe eſſentiæ ſubſtantiale, vel accidentale ; & ideò, vt alicui ſubiecto præſtet ſuum effectum formalem, petit, aut identificari cum illo, aut phyſicam eius informationem. Idemquè de immenſitate dicatur, nempè, vel identificari cum Omnipotentia formalitèr ; & conſequentèr, ſicut Omnipotentia, quia eſt principium operativum, non poteſt ſuum effectum naturæ creatæ præſtare; ita nec immenſitas poteſt: vel pertinere ad eſſe eſſentiæ ; & conſequentèr exigere, vt ſuum effectum præſtet, vel identitatem, vel phyſicam informationem, quorum vtrumque Divinis perfectionibus repugnat. Idemquè eſt de alijs attributis dicendum.

182

Effectus autem ſanctitatis (concludit *num.* 228.) nec petit identitatem formæ ſanctificantis cum ſubiecto ſanctificato, nec illius phyſicam informationem, ſed ſufficit phyſica terminatio mediata, vel immediata, & moralis informatio, conſiſtens in ſic ſe habere ad dignificandum ſubiectum, ac ſi phyſicè informaret. Cuius ratio eſt, quia eſſe Sanctum eſt, eſſe obiectũ, vel terminum divinę dilectionis amicabilis ; vndè ſicut eſſe exiſtens, vel ſubſiſtens, quia in eſſe terminato conſiſtit, non petit informationem phyſicam ſubiecti exiſtentis, vel ſubſiſtentis, nec identitatem cum illo, ſed ſufficit illius terminatio ; ita eſſe Sanctũ, quia conſiſtit in eſſe obiectum, vel terminum dilectionis divinæ amicabilis, non petit identitatem formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, nec informationem phyſicam illius, ſed tantum phyſicam terminationem mediatam, vel immediatam, & informationem moralem : nam eo ipſo, quod divina eſſentia mediatè vniatur humanitati, redditur ratione illius adorabilis, & diligibilis. Et ex hoc ad ſecundam, & tertiam conſequentiæ probationem, reſpondet negando antecedens vtriuſque, ob aſsignatum diſcrimen.

183 *Impugn. 1. diſcrimen Ill. Godoy.*

Cæterum hanc diſparitatem inter ſanctitatem, & alia divina prædicata, impugno primò : nam ideò iuxta Ill. Godoy duratio, ſi ab exiſtentia formalitèr diſtinguitur, & immenſitas, ſi formalitèr ab Omnipotentia diſtinguatur, petunt identitatem, vel phyſicam informationem, vt præſtent ſuos effectus formales, quia pertinent ad eſſe eſſentiæ ſubſtantiale, vel accidentale ; atqui exiſtentia, & ſubſiſtentia pertinent ad eſſe eſſentiæ ſubſtantiale, vel accidentale : ergo vt exiſtentia,

& subsistentia præstent suos effectus formales, petunt identitatem, vel physicam informationem, quod est contra ipsum in solutione ab ipso tradita, & loquendo de subsistentia, est contra omnes. Maior est solutio ipsius, vt patet ex *n.* 181. Minor est apud omnes certa: nam subsistentia est vltimum substantiale complementum essentiæ, & existentia ad esse essentiæ substantiale, vel accidentale pertinet strictius, quam duratio, & immensitas. Consequentia est legitima.

184 *Impugn.* 2. Impugnatur secundò: nam vel sanctitas pertinet ad esse essentiæ substantiale, vel accidentale, vel non? Si primum: ergo sicut hac ratione duratio, & immensitas petunt identitatem, vel physicam informationem, vt suos præstent effectus formales, ita sanctitas, vt suum effectum formalem præstet, petet necessario identitatem, vel informationem. Si secundum: ergo nec Charitas, nec Lumen gloriæ pertinent ad esse essentię substantiale, vel accidentale. Hæc consequentia patet ratione ipsa, qua dicere valet Ill. Godoy, sanctitatem non pertinere ad esse essentiæ substantiale, vel accidentale. Atqui etsi Charitas, & Lumen gloriæ non pertineant ad esse essentię substantiale, vel accidentale, petunt identitatem, vel physicam informationem, vt præstent suos effectus formales: ergo etsi sanctitas non pertineat ad esse essentiæ substantiale, vel accidentale, petet ad suum effectum formalem præstandum, identitatem, vel physicam informationem. Minor est Ill. Godoy *tract. de Charitate, & de Visione Dei*, vt ipse testatur *num.* 231. Consequentia est paritate notoria.

185 *Impugn.* 3. *ad hominem contra Ill. Godoy.* Tertiò, & formo ad hominem impugnationem: ideo esse Sanctum non petit identitatem formæ sanctificantis cum subiecto sanctificato, nec physicam informationem illius, quia esse Sanctum se habet, sicut esse subsistens, quod non petit informationem physicam subiecti subsistentis, nec identitatem cum illo; sed esse Sanctum non se habet, sicut esse subsistens: ergo ruit paritas, in qua disparitatem fundat Ill. Godoy, & consequenter disparitas ruit. Consequentia tenet. Maior est ipsius *num.* 228. Minor probatur: esse Sanctum non constitit in esse terminato præcisè; sed esse subsistens præcisè constitit in esse terminato: ergo esse Sanctum non se habet, sicut esse subsistens. Consequentia est legitima. Minor est certa; alioquin assignet, quid dicat esse subsistens præter esse terminatum: Deindè: nam esse subsistens præter esse terminatum, nullum posse activum radicale; vel proximũ dicit. Maior autem est manifesta: nam esse Sanctum præter hoc, quod est, esse obiectum, vel terminum Divinæ dilectionis amicabilis, in quo esse terminatum constitit, dicit activum posse redamare Deum proximè, vel radicalitèr, vt tenent omnes Theologi, & cum ipsis fatetur Ill. Godoy *num.* 231.

186 *Impugn.* 4. Vndè impugnatur quartò discrimen allatum: nam esse Sanctum non constitit in obiecto divinæ dilectionis vteumquè, sed in obiecto dilectionis amicabilis Dei; sed non stat, per formam aliquam constitui obiectum dilectionis divinæ amicabilis absquè physica informatione formæ huiuscemodi effectum præstantis: ergo divinitas, cui physica informatio repugnat, non potest humanitati effectum sanctificationis præstare. Minor, in qua est difficultas, probatur: nam obiectum dilectionis divinæ amicabilis petit, non solum terminare dilectionem, sed etiam posse mutuo redamare Deum proximè, vel radicalitèr; sed posse radicale, vel proximum non potest præstari à forma per solam terminationem mediatam, vel immediatã, sed necessariò physicam formę informationem requirit, vt proximè dicebamus, quo circa cum communi Thomistarum sententia *tract. de Charitate*, docetur, non posse de potentia absoluta Deum per modum Charitatis vniri cum volũtate creata, & *tract. de Visione Dei*, id ipsum docetur de vnione per modum luminis: quia, nempè, proximum posse operari non potest sine physica informatione præstari ab aliqua forma; physica autem informatio omni divinæ perfectioni repugnat: ergo obiectum dilectionis amicabilis non potest constitui à foma, physicè non informante, per solam terminationem mediatam, vel immediatam.

187 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 232: concessa maiori, negando minorem, & ad illius probationem distinguit maiorem: petit posse redamare, physicè vel moraliter concedit maiorem; physicè determinatè negat maiorem,

& ſub eadem diſtinctione minoris negat conſequentiam: nam licèt forma præſtans poſſe phyſicum proximum, vel radicale, neceſſariò petat phyſicam informationem ſubiecti, quod operativum conſtituit; poſſe tamen radicale morale, conſiſtens in morali debito, moralique exigentia donorum, præſtantium phyſicũ poſſe proximum, & radicale, poteſt optimè provenire à forma phyſicè non informate; & hoc poſſe præſtat Divinitas humanitati Chriſti; nã hoc ipſo, quod ex coniunctione ad Verbum deificata conſtituatur, ratione huius deificationis, debentur humanitati omnia dona ordinis gratiæ, medij, quibus conſtituitur phyſicè potens ad redamandũ Deum; & idcircò humanitatẽ ſanctificat, abſquè phyſica informatione, per ſolam terminationem mediatam, & moralem informationem.

188 *Recurſus Ill. Godoy.* Hic eſt in hac materia vltimus recurſus Ill. Godoy ad phyſicam informationem evitandam, & iuxta hanc doctrinam de morali informatione reſpondere valet ad primam probationem, & confirmationes illius, nempè, omnia illa probare rectè eſſentiam Divinam non ſic vniri ſub conceptu eſſentiæ humanitati, quod formalitèr phyſicè reddat illam Sanctam, ſed tantum per communicationem Idiomatum, ſicut nec æternam, nec immenſam, Deum, &c; non verò probare, quod non reddat formalitèr moraliter Sanctam, etſi non vniatur ſub conceptu communi abſoluto phyſicè, quia ad communicandum effectũ ſanctitatis in linea morali formalitèr, ſufficit vnio mediata, & terminatio mediante vnione phyſica ſub conceptu perſonalitatis.

189 Cæterum ad moralem ſanctitatem recurrere, eſt: diſparitatem datam inter formalem effectum ſanctitatis, & effectus, vel quaſi effectus formales aliorum attributorum, non ſatisfacere. Vndè doctrina Ill. Godoy circa diſcrimen reiecta; doctrinam de morali ſanctitate reijciamus, vt recurſus non adſit ad ſanctitatem ſubſtantialem defendendam. Proquo ſit.

§. IX.

Reijcitur moralis ſanctitas Deitatis.

190 SAnctitas moralis Deitatis, quæ (vt ait Lorca) inaudita eſt, reijcitur primò: moralis Deitatis informatio non conſtituit humanitatem moraliter Sanctam: ergo nulla eſt doctrina Ill. Godoy. Probatur antecedens: moralis Deitatis informatio tribuit humanitati poſſe radicale morale redamare Deum; ſed poſſe radicale morale redamare Deum non eſt ſanctitas moralis: ergo moralis Deitatis informatio non conſtituit humanitatem moraliter Sanctam. Probatur minor: perſonalitas Verbi, vt virtualitèr diſtincta à Deitate, imò & vnio hypoſtatica ex ſua ratione formali, tribuit humanitati poſſe radicale morale redamare Deum; ſed nec perſonalitas Verbi, vt virtualitèr diſtincta à Deitate, nec vnio hypoſtatica ex ſua ratione formali, ſanctificant moraliter humanitatem: ergo poſſe radicale morale redamare Deum non eſt ſanctitas moralis. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt Ill. Godoy, negantis de perſonalitate, & vnione, quod de Deitate concedit.

Maior verò ſic probatur: poſſe radicale morale redamare Deum conſiſtit in morali debito, moralique exigentia donorum, præſtantium phyſicum poſſe proximum, & radicale, ad redamandum Deum; ſed in perſonalitate Verbi, vt virtualitèr diſtincta à Deitate, imò & in vnione hypoſtatica ex ſua ratione formali, eſt moralis exigentia donorum, præſtantium phyſicum poſſe proximum, & radicale ad redamandum Deum: ergo perſonalitas Verbi, vt virtualitèr diſtincta à Deitate, imò & vnio hypoſtatica ex ſua ratione formali, tribuit humanitati poſſe radicale morale redamare Deum. Maior eſt Ill. Godoy *num.* 232. Minor patet ex dictis *num.* 8. & 9. eamque docuimus *tom. præcedenti diſput.* 11. *num.* 135. & probatur: in perſonalitate Verbi, vt virtualitèr diſtincta à Deitate, imò & vnione hypoſtatica ex ſua ratione formali, eſt ſanctitas perſonalis *num.* 3. explicata: ergo in perſonalitate Verbi, vt virtualitèr diſtincta à Deitate, imò & in vnione hypoſtatica ex ſua ratione formali, eſt moralis exigentia donorũ, præſtantium phyſicũ poſſe proximũ, & radicale ad redamandum Deum.

191 Hanc vltimam probationem non adducit Ill. Godoy, & eſt certè, quã nos vti debemus, vt contra ipſum convincamus, quod ſi Deitas moraliter

Reijcitur moralis ſanctitas.

ter humanitatem Christi sanctificat, etiam personalitas sub expresso personalitatis conceptu,& vnio hypostatica ex sua ratione formali, debent illam moraliter sanctificare. Cæterū, vt doctrinam Ill. Godoy videamus, & in quantum possit, impugnemus, probatur minor probatione ab ipso tradita: humanitas Christi ratione personalitatis Verbi, vt distinctæ a Deitate,& ratione vnionis hypostaticæ ex sua ratione formali,constituitur summè venerabilis,& sacra adoratione digna:ergo in personalitate Verbi, vt distincta virtualiter à Deitate, imo & in vnione hypostatica ex sua ratione formali, est moralis exigentia donorum, præstantium physicum posse proximum, & radicale ad redamandum Deum.

192 *Respondet Ill. God.* 1. Triplicitèr respondet Ill. Godoy ad hanc replicam. Primò *num.* 239. negando prædictam moralem exigentiam in personalitate Verbi, vt virtualitèr distincta à Deitate. Ratio autem (inquit) cur hæc radicalis exigentia moralis, non potest humanitati competere ratione personalitatis, secundum id, quod addit ad naturam Divinam, est, quia exigentia ista est moralis, solum ob defectum informationis physicæ, formæ exigentiam præstantis; vndè si talis forma physicè humanitatem informaret, radicaret physicè in illa facultates ad ordinem gratiæ spectantes; ac proindè solum præstari potest à forma, quæ physicè vnita, physicè radicaret; Verbi autem personalitas, etsi physicè informaret humanitatem, non radicaret physicè facultates supernaturales operativas, cuius signum est, quod Verbo identificata non radicat in illo virtualiter principia proximè operativa; aliàs prout distincta à Deitate, esset natura formaliter; ideòque non potest exigentiam istam moralem radicalem humanitati præstare. Nec est eadem ratio de summa beneratione; hæc namque debetur Divinis perfectionibus ex conceptu entis Divini, transcendentis per rationem omnes Dei formalitates; operationes autem Deo propriæ, solum deberi posse ratione naturæ Divinæ, vel per essentiam, vel per participationem: & quia personalitas ratione proprij conceptus neutro ex his modis obtinet conceptum naturæ, ideo ratione illius non possunt humanitati deberi operationes Divinæ, nec illarum principia.

193 *Respond.* 2. Respondet secundò *num.* 240: personalitatem Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas; non constituere humanitatem summè venerabilem; cum enim veneratio ratione dignitatis debeatur; dignitas autem sicuti, & bonitas, ut prædicatum absolutum in Deo; & consequenter nequeat personalitati Verbi ratione conceptus relativi competere; consequens sit, quod ratione talis conceptus veneratio nem non terminet, nec humanitas ratione illius veneratione digna constituatur, sicut in prædicta sententia bona non constituitur à personalitate Verbi, ratione conceptus expliciti, sed ratione prædicati impliciti.

194 *Respond.* 3. Tertio denique respondet *num.* 241: exigentiam moralem radicalem, quæ ad formaliter sanctificandum exigitur, non solum excludere priorem radicem, sed etiam subordinationem, seu ordinationem ad aliud, tamquam ad finem; vndè quamvis actus contritionis exigat moraliter gratiam, & dona ipsam consequentia, non dicitur, neque est radix moralis illorum; quia licèt non præsupponat, vt radicem sui, gratiam habitualem, ad illam tamen, vt ad finem ordinatur: & quia Verbi personalitas, vt terminans naturam Divinam, quamvis in executione non supponat Divinitatem vnitam, illi tamen subordinatur, & ad illam ordinatur, fit consequens, quod non exigat radicaliter moraliter dona ad ordinem gratiæ pertinentia, & quod exigentia illius non sit radicalis moralis, nec sufficiens ad sanctificandum formaliter.

195 1. *Solutio refutat.* 1. Nulla tamen ex his solutionibus satisfacit. Vndè primò prima refutatur: nam re vera negari nequit, quod humanitas ex vi vnionis hypostaticæ præcisè, & ex sua ratione formali, aliquam eximiam sanctitatem acquirat ob intimam, & physicam coniunctionem cum Verbi personalitate, quam non haberet purus homo, quantacumque gratia habituali perfusus; atqui hæc sanctitas non est physica, nec formalis: ergo est sanctitas radicalis moralis. Atqui sanctitas moralis radicalis consistit in morali debito, moraliqué exigentia donorum, præstantiu

physicum posse proximum, & radicale, ad redamandum Deum: ergo in personalitate Verbi, vt virtualiter distincta à Deitate, & vnione hypostatica ex sua ratione formali, est moralis prædicta exigentia: ruit ergo solutio Ill. Godoy. Maior supposita manet *num.* 8. & 9. & durissimum videbitur, illam negare. Minor est ipsius negantis: vnionem hypostaticam ex sua ratione formali, & personalitatem Verbi, vt virtualiter à Deitate distinctam, sanctificare formaliter humanitatem Christi. Consequentia à sufficienti partium enumeratione est in tertia Ill. Godoy legitima. Sumpta est ipsius *num.* 232. Consequentia cum sub illata apparet certa.

196 *Refutat.* 2. Refutatur secundò: hæc radicalis exigentia moralis consistit in morali debito, moralique exigentia donorum, præstantium physicum posse proximum, & radicale ad redamandum Deum; sed hanc exigentiam habet vnio hypostatica ex sua ratione formali: ergo hæc radicalis exigentia moralis convenit humanitati ratione vnionis hypostaticæ ex sua ratione formali. Probatur minor: vnio hypostatica ex sua ratione formali est omnium maxima in ratione doni, & beneficij; sed non esset sic maxima, nisi ex sua ratione formali haberet prædictam exigentiam radicalem moralem: ergo illam habet ex sua ratione formali. Consequentia infertur. Maior est communis Theologorum consensus, eamque cum Scoto docuimus *tom. præcedenti, disput.* 11. *num.* 133. Minor patet: Primo: quia prædicta radicalis exigentia moralis est ratio, cur vnio hypostatica ex sua ratione formali sit omnium maxima in ratione doni, & beneficij, vt ibi docuimus *num.* 135. Secundò: quia si hoc negat Ill. Godod, assignet rationem excessus prædicti.

197 *Refutat.* 3. Refutatur tertiò: vnio hypostatica ex sua ratione formali habet coniungere naturam creatam cum supposito Verbi; sed hoc est ita magnum beneficium, & maxima excellentia cuiuscumque naturæ creatæ, quod excedat beneficium, & excellentiam vnionis accidentalis naturæ rationalis cum Deo per gratiam habitualem: ergo magnum beneficium, & maximam excellentiã accepit humanitas Christi ab vnione hypostatica ex sua ratione formali ob coniunctionem cum Verbi supposito: ergo vnio hypostatica ex sua ratione formali tribuit humanitati sanctitatem radicalem moralẽ. Probatur hæc consequentia: nam si vnio hypostatica ex sua ratione formali non tribuit humanitati sanctitatem radicalem moralem, humanitas Christi non accepisset ab vnione hypostatica ex sua ratione formali illud beneficium, maximamque excellentiam; sed hoc accepit, vt sine controversia verum apparet: ergo vnio hypostatica ex sua ratione formali tribuit humanitati sanctitatem radicalem moralem.

198 *Refutat.* 4. Refutatur quartò: prædicta radicalis exigentia moralis competit humanitati ratione personalitatis secundũ id, quod addit ad naturam Divinam: ergo si ratione prædictæ exigentiæ Deitas sanctificat moraliter humanitatem Christi, hanc etiam moraliter sanctificat personalitas Verbi secundum id, quod addit ad naturam Divinam. Probatur antecedens: personalitas Verbi secundum id, quod addit ad naturam Divinam, terminat immediatè humanitatem Christi: ergo prædicta radicalis exigentia moralis competit humanitati ratione personalitatis secundum id, quod addit ad naturam Divinam. Probatur consequentia: quod personalitas Verbi secundum id, quod addit ad naturam Divinam, terminet immediatè humanitatem Christi, est maxima humanitatis excellentia: ergo aliqua maxima moralis exigentia competit humanitati ratione huius immediatæ terminationis. Atqui non alia, nisi prædicta radicalis exigentia moralis: ergo prædicta radicalis exigentia moralis competit humanitati ratione personalitatis secundum id, quod addit ad naturam Divinam.

199 *Refutat.* 5. Refutatur quintò: etsi personalitas Verbi sub expresso personalitatis conceptu sanctitas formalis non sit, ratione ipsius convenit humanitati Christi prædicta radicalis exigentia moralis: ergo si hæc est moralis sanctitas, humanitati à Deitate præstita, etiã præstatur à personalitate Verbi sub expresso personalitatis conceptu: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: etsi Dei Maternitas sub expresso maternitatis conceptu sanctitas formalis non sit, ratione ipsius convenit Bea-

tissimæ Virgini Mariæ radicalis exigentia moralis gratiæ habitualis, & omnium donorum, tàm naturalium, quàm supernaturalium, quæ ei non repugnant: ergo pariter: etsi personalitas Verbi sub expræssо personalitatis conceptu sanctitas formalis non sit, ratione ipsius convenit humanitati Christi prædicta radicalis moralis exigentia. Antecedens est certum; alio quin Beatissimæ Virgini Mariæ non deberetur adoratio Sacra ratione maternitatis, quod est falsum, vt diximus *num.* 69. & non est alia ratio, vt ei talis adoratio debeatur, nisi quia maternitati Dei est debita prædicta radicalis exigentia moralis. Consequentia est paritate legitima.

200 *2. Solutio refellit. 1.*

Ex hoeque refellitur secunda Ill. Godoy solutio primò: personalitas Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, constituit humanitatem summè venerabilem: ergo ruit secunda solutio. Probatur antecedens: personalitas Verbi ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, est summè venerabilis: ergo personalitas Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, constituit humanitatem summè venerabilem. Probatur antecedens primò: personalitas Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus, superadditi ad naturam Divinam, Deique perfectiones absolutas, est quid spectans ad naturā Divinam, vt proprium illius: ergo personalitas Verbi ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, est summè venerabilis. Antecedens est manifestum; nam personalitas Verbi ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, est personalitas propria naturæ Divinæ, ipsamque personatā constituit. Consequentia probatur: ideò cineres, & minutissimæ arenæ corporum Sanctorum venerantur, quia cineres, & arenæ etiam minutissimæ, censentur esse quid spectans ad illos Sanctos, vt proprium illorum; sed iuxta concessa personalitas Verbi ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, est quid spectans ad naturam Divinam, vt proprium illius: ergo personalitas Verbi ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, est summè venerabilis. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior est ratio, qua Catholici probamus, reliquias Sanctorum esse adoratione dignas.

Antecedens probat. 1.

201 *Secundò.*

Probatur secundò dictum antecedens: Imagines Dei, & Christi ratione sui sunt venerabiles: ergo potiori iure personalitas Verbi ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinam naturam, Deique perfectiones absolutas, est summè venerabilis. Consequentia est manifesta; nam si Imago eo, quod ad prototypum refertur, est ratione sui venerabilis, quanto meliùs Verbi personalitas, quæ ratione proprij conceptus, superadditi ad Divinā naturam, ipsam terminat, & personam constituit? Antecedens verò est frequentior Theologorum sententia asserentium: Imagines propriè, & per se posse adorari, ita, vt Imago sit res adorata, quod deducunt ex multis Patribus, & Concilijs (videndis apud Lorcam *disp.* 104. *num.* 26.) distinguēntibus adorationem Imaginis ab adoratione exemplaris, & dicentibus, quod adoratio Imaginis Dei, & Christi Domini non est Latria, sed quædā alia adoratio distincta. Quod non dicerent, nisi substinerent: adorationem terminari ad ipsam Imaginem; nam si terminus adorationis Imaginum est tantum exemplar, scilicet, Deus, aut Christus, ei profectò debetur Latria.

202 *Tertiò.*

Probatur tertiò suprà positum antecedens: vestes, & alia, quæ habuerūt physicum contactum ad Sanctos, sunt venerabilia: ergo pariter. Consequentia paritate certa videtur; nam si physicus dumtaxat contactus est sufficiens, vt Sanctorum vestes sint venerabiles, quanto meliùs contactus, quem cum Verbo habet Verbi personalitas ratione proprij conceptus, ad Divinam naturam superadditi, erit sufficiens, vt sit summè venerabilis. Antecedens verò est diffinitum diversis Concilijs, præcipuè, *in 7 Synodo act. 7. Et in Trident. Sess. 25. in decreto de reliquijs*, constatque ex perpetuo vsu, & traditione Ecclesiæ, ex convenientia fidelium, & multis Patribus, qui apud Recentiores videri possunt.

Se-

203 *Refellit. 2.*

Secundò refellitur secunda solutio Ill. Godoy: ideò iuxta ipsius solutionem personalitas Verbi ratione proprij, & expliciti conceptus, superaddi ti ad Divinam naturam, Deique absolutas perfectiones, non constitueret humanitatem summè venerabilem, quia dignitas, ratione cuius debetur veneratio, est prædicatum absolutum, & consequenter competere nequit personalitati Verbi ratione conceptus proprij, qui relativus est; atqui dignitas, ratione cuius veneratio debetur, non est prædicatum vnicè absolutum: ergo convenire potest personalitati ratione conceptus relativi, & consequenter personalitas Verbi ratione relativi conceptus constituet humanitatem summè venerabilem: ruit ergo solutio Ill. Godoy. Minor, inqua vnicè potest esse difficultas, probatur hoc duplici exemplo. Primò: dignitas, ratione cuius maternitati Sacratissimæ Virginis debetur veneratio, non est prædicatum absolutum. Secundò: dignitas, ratione cuius Imaginibus debetur veneratio, non est prædicatū absolutum; sed hæc, sicut, & præcedens, est excellentia relativa: ergo dignitas, ratione cuius veneratio debetur, non est prædicatū vnicè absolutū.

204 *3. Solutio refellit. 1.*

Tertia denique solutio Ill. Godoy refellitur. Primò: exigentia moralis radicalis, quæ ad formaliter sanctificandum exigitur, non debet excludere priorem radicem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: exigentia methaphysica radicalis alicuius, non debet excludere priorem radicem: ergo pariter: exigentia moralis radicalis, quæ ad formaliter sanctificandum exigitur, non debet excludere priorem radicem. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 2. num. 134.* vbi asserit: quod primum attributum est radix secundi, & exemplum ponit in intellectu respectu voluntatis, iuxta quam doctrinam in intellectu est exigentia radicalis methaphysica voluntatis, quim excludat priorem exigentiam; alioquim intellectus non radicaretur in essentia, quod est falsum etiam apud Ill. Godoy. Consequētia est paritate certa, & ratio sumitur ex probatione sequenti.

Antecedens probatur 1.

205 *Secundò.*

Probatur secundò antecedens: exigentia moralis radicalis, quæ ad formaliter sanctificandum exigitur, consistit solum in morali debito, moralique exigentia donorum, præstantium physicum posse proximum, & radicale; sed debitum morale, moralisque exigentia donorū, præstantium physicum esse proximum, & radicale, non dicit exclusionem prioris radicis: ergo exigentia moralis radicalis, quę ad formaliter sanctificandum exigitur, non debet excludere priorem radicē. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *num. 232.* Minor verò ex terminis patet, & prædicta paritate ostenditur: debitum methaphysicum, methaphysicaque exigentia alicuius, non dicit exclusionem prioris radicis: ergo similiter.

206 *Refellit. 2.*

Refellitur secundò: exigentia moralis radicalis, quæ ad formaliter sanctificandum exigitur, dato, quod subordinationem ad aliud, tamquam ad finem excludat, illam solum excludit ad id, quod exigit; sed personalitas Verbi ratione conceptus expliciti, superaddi ti ad essentiam, non dicit subordinationem ad gratiam habitualem, quam exigit moraliter, tamquam ad finem: ergo ex hoc capite non tollitur, quod personalitas Verbi ratione conceptus expliciti, ad essentiam superaddi ti, sanctificet formaliter moraliter humanitatem Christi: ergo nulla est solutio. Minor, & consequentiæ tenent. Maior, inqua posita est difficultas, probatur primò exemplo actus contritionis ab ipso in solutione tradito: nam ideò actus contritionis, etsi exigat gratiam, non est radix moralis illius, quia ad illam, vt ad finem, ordinatur, Ill. Godoy testante: ergo exigentia moralis radicalis, quæ ad formaliter sanctificandum exigitur, dato, quod subordinationem ad aliud, tanquam ad finem excludat, illam solum excludit ad id, quod exigit. Secundò probatur: exigentia methaphysica radicalis, dato, quod subordinationem ad aliud, tanquam ad finem, excludat, illam solum excludit ad id, quod exigit, vt claret exemplo intellectus respectu voluntatis ex Ill. Godoy deducto: ergo pariter.

207 *Moralis sanctitas reijcitur 2.*

Reijcitur iam secundò moralis sanctitas Deitatis: si Deitas moraliter solum sanctificaret humanitatem, sequeretur, humanitatem Christi perfectiùs per gratiam habitualem, quam per Divinitatem, sanctificatam fuisse; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: nā perfec-

tiùs

tiùs præstat gratia habitualis posse reclamare Deum, quam illud præstat Divinitas; cum ab hac solum morale posse præstetur; ab illa autem posse physicum; quod perfectius est morali: ergo perfectiùs per gratiam habitualem, quam per divinitatem, sanctificatur humanitas.

208 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *numer.* 237. distinguendo maiorē: perfectiùs simpliciter, & quoad substantiam sanctificationis negat sequelam; perfectiùs secundum quid, & quoad modum transeat; & sub eadem distinctione minoris negat consequentiam. Nec probatio convincit excessum talem simpliciter, sed tantum secundū quid: nam cum posse radicaliter redamare, non sit adæquatus sanctitatis conceptus, nec conceptus principalis illius, sed solū inadæquatus, & minus principalis, quamvis excedat gratia habitualis divinitatem in modo tribuendi prædictum posse radicale, non sequitur, Deitatem excedi à gratia simpliciter, sed solum secundum quid; imò potiùs humanitas in infinitum à Divinitate exceditur; eo, quod dignitas moralis à Divinitate præstita, vtpotè infinita simpliciter, in infinitum excedit dignitatem moralem, quam gratia habitualis præstat humanitati.

209 *Contra 1.* Hæc tamen solutio, doctrina Ill. Godoy attenta, in multis deficit. Vndè contra primò: si Divinitas moraliter solum sanctificaret humanitatem, sequeretur, humanitatem Christi perfectiùs simpliciter, & quoad substantiam sanctificationis, sanctificatā fuisse per gratiam habitualem, quam per Divinitatem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: humanitas Christi physicè per gratiam habitualem sanctificatur, per Divinitatem verò moraliter solùm: ergo si Divinitas solum moraliter sanctificaret humanitatem, sequeretur, humanitatem Christi perfectiùs simpliciter, & quoad substantiam sanctificationis, sanctificatā fuisse per gratiam habitualem, quam per Divinitatem. Antecedens est certum, & maximè in opinione Ill. God. asserentis: quod gratia habitualis est forma ex natura rei sanctificans. Consequentia patet: sanctificatio physica perfectior est simpliciter, & quoad substantiam sanctificationis, sanctificatione morali; sed iuxta concessa humanitas Christi physicè per gratiā habitualem sanctificatur, per Divinitatem verò moraliter solùm: ergo si Divinitas solum moraliter sanctificaret humanitatem, sequeretur, Christi humanitatem perfectiùs simpliciter, & quoad substantiam sanctificationis, sanctificatam fuisse per gratiā habitualem, quam per Divinitatem. Maior, in qua vnicè potest esse difficultas, probatur: ens physicum simpliciter, & quoad substantiam entitatis, perfectius est ente morali; sed physica sanctificatio est ens physicum; moralis verò est ens morale: ergo sanctificatio physica perfectior est simpliciter, & quoad substantiam sanctificationis, sanctificatione morali. Probatur maior: ens simpliciter est perfectiùs simpliciter, & quoad substantiam entitatis, ente secundum quid; sed ens physicum est ens simpliciter, & ens morale est ens secundum quid: ergo ens physicum simpliciter, & quoad substantiam entitatis, perfectius est ente morali.

210 *Contra 2.* Contra secundò: sanctitas per gratiam habitualem, humanitati præstita, est sanctitas in genere physico; sanctitas verò per Divinitatem præstita, est sanctitas in genere morali: ergo quātum distat genus physicum à genere morali, tantum distat sanctitas præstita per gratiam habitualem à sanctitate per Divinitatem præstita. Atqui tantum distat genus physicum à genere morali, quod genus physicum sit simpliciter perfectius genere morali: ergo tantum distat sanctitas præstita per gratiam habitualem, à sanctitate per Divinitatem præstita, quod sanctitas præstita per gratiam habitualem sit simpliciter perfectior sanctitate per Divinitatem præstita: ergo nulla est solutio tradita. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia manifesta. Sumptā probata manent *num. anteced.*, & consequentiæ ex illa illatæ legitimæ.

211 *Moralis sanctitas reijcitur 3.* Reijcitur tertiò sanctitas moralis: si essentia Divina vniretur formaliter humanitati sub conceptu essentiæ, & absoluto communi toti Trinitati, aliter redderet Sanctam humanitatem, ac nunc reddit, vnita sub conceptu personalitatis, & subsistentiæ relativę; sed tunc tantùm moraliter formaliter redderet Sanctam humanitatem: ergo nunc nec formaliter moraliter Sanctam eam reddit. Consequentia

est

Maior cōstat 1.

est legitima. Maior constat primo: nam si essentia Divina vniretur physicè formaliter humanitati sub conceptu essentiæ, & absoluto communi toti Trinitati, aliter redderet humanitatem immensam, æternam &c. ac nunc reddit, vnita sub conceptu personalitatis, & subsistentiæ relativæ; nā si non aliter redderet, superfluè vitaret Concilium dicere: Essentiam vniri sub conceptū communi toti Trinitati: ergo pariter.

212 *Constat 2.*

Constat secundò: nam dato casu, quod essentia Divina sub conceptu absoluto communi subsistentiæ terminaret immediatè humanitatē, ipsique vniretur, vt de potentia absoluta fieri posse, manet suppositum *numer.173.* tunc aliter redderet personalitas relativa naturam humanam subsistentem, ac nunc reddit; nā tunc personalitas relativa redderet naturam humanam subsistentem secundario, & per communicationem; non verò physicè formaliter, sicut nunc reddit: ergo similiter.

213 *Probatur minor.*

Minor verò probatur: si essentia Divina vniretur formaliter humanitati sub conceptu essentię, & absoluto communi toti Trinitati, redderet humanitatem Sanctam sine identitate humanitatis cum essentia Divina, & conceptu illo absoluto sanctitatis, vt supponitur; atqui etiam redderet illā Sanctam sine inhærentia, & informatione physica ipsius essentiæ, & sanctitatis, quia hoc repugnat essentię Divinæ, & conceptui communi toti Trinitati: ergo tunc tantum moraliter formaliter redderet Sanctam humanitatē. Præmissæ patent. Consequentia verò probatur: nam ad sanctificationem physicam formalem requiritur, vel identitas sanctitatis cum natura sanctificata, si sanctitas est substantialis; vel informatio, seu inhærentia, si sanctitas est accidentalis; atqui in illo casu essentia Divina redderet humanitatem Sanctam sine identitate essentiæ cum humanitate, & sine inhærentia essentiæ: ergo non redderet humanitatem Sanctam physicè formaliter: ergo tantum moraliter formaliter redderet Sanctam humanitatem.

214 *Dices.*

Si dicas: quod in illo casu essentia Divina informaret humanitatē. Contra primo: quia hoc est contra suppositionem factam *n.173.* quam communiter Scotistæ, & Thomistæ tuentur; si enim in illo casu essentia Divina informaret humanitatem, non defenderent, essentiam Divinam potuisse immediatè humanitatem assumere: ergo nulla est solutio. *Contra 1.* Contra secundo: nam in tali casu essentia Divina esset essentia Divina: ergo ipsi repugnaret informatio. *Contra 2.* Contra tertiò: de facto subsistentia Divina vnitur sine informatione: ergo etiam essentia Divina in data hypotesi sine informatione vniretur. *Contra 3.* Contra deniquè: essentia Divina sub conceptu speciei vnitur sine informatione intellectui beatifico: ergo similiter: essentia Divina sub conceptu communi toti Trinitati vniretur sine informatione. *Contra 4.*

215 *Moralis sanctitas refellitur ad homin. contra Ill. Godoy.*

Refellitur quartò prædicta sanctitas moralis ad hominem contra Ill. Godoy: Divinitas sanctificat formaliter moraliter humanitatem Christi: ergo Divinitas beatificat formaliter moraliter humanitatem Christi. Probatur consequentia: ideò Divinitas sanctificat formaliter moraliter humanitatem Christi, quia tribuit humanitati posse radicale morale ad redamandum Deum, consistens in morali debito, moralique exigentia donorum, præstantium posse proximū, & radicale physicum ad redamandū Deum; atqui Divinitas tribuit humanitati posse radicale morale ad vidēdum Deum, consistens in morali debito, moralique exigentia donorum, præstantium physicum posse proximum, & radicale ad Deum videndū: ergo Divinitas beatificat formaliter moraliter humanitatem Christi. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Ill. God. *n.232.* in ipsaque nititur ad moralem sanctitatem tuendam.

216 *Probatur minor.*

Minor verò probatur hoc syllogismo ad hominē contra ipsum: ideò Divinitas tribuit humanitati posse radicale morale ad redamandum Deū, consistens in morali debito, moraliq; exigentia donorum, præstantium posse proximum, & radicale physicum ad Deum redamandum, quia hoc ipso, quod humanitas ex coniunctione ad Verbum Deificata constituatur, ratione huius Deificationis debentur humanitati omnia dona ordinis gratiæ, medijs, quibus constituitur physicè potens ad redamandum Deum; atqui hoc ipso, quod humanitas ex coniunctione ad Verbum Deificata

consti-

constituatur, ratione huius Deificationis debentur humanitati omnia dona ordinis gloriæ, medijs, quibus constituitur physicè potens ad videndum Deum: ergo Divinitas tribuit humanitati posse radicale morale ad videndum Deum, consistens in morali debito, moralique exigentia donorum, præstantium physicum posse proximium, & radicale ad Deum videndum. Consequentia legitima apparet. Maior est ad litteram Ill. Godoy *num.* 132. Minor est apud omnes ita certa, quod ratione prædictæ Deificationis debetur humanitati ipsa gloria, seu beatitudo.

217 *Refellit. 5.* Refellitur denique: nam vel hæc sanctitas moralis ab Ill. Godoy statuta est eadem cum sanctitate in actu primo, de qua diximus *numer.* 8. & 9; vel est ab ea diversa? Si primum: ergo moralis sanctitas non est ad rem, quia de ipsa non loquimur, vt ibi manet dictum. Si secundum: impugnata manet per dicta in hoc §. *per totum*, ex quibus secunda, & tertia impugnatio vim habent, & meo videri, efficatior est quarta ad hominem contra Ill. Godoy impugnatio.

§. X.

Ratione speciali probatur nostra conclusio.

218 *Probatur conclusio ratione speciali 1.* PRobatur itaque primò nostra conclusio ratione speciali: supposito, quod Deitas substantialiter, & infinitè sanctificet humanitatē Christi, vt tenet Ill. Godoy, non est in Christo concedenda gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur; sed hoc est contra Tridentinum: ergo Deitas non sanctificat humanitatem. Minor, & consequentia tenent. Maiorem autem probare poteram rationibus traditis *à num.* 28. *vsque ad num.* 43. Cæterum hi suppositis, quia dictis, ipsam probo ratione, qua ipsam in publicis Thesibus probavi, arguendo contra quemdam Magistrum ex venerabili semper Dominicana familia. Probatur itaque: si supposito, quod Deitas substantialiter, & infinitè sanctificet humanitatē Christi, esset in Christo concedenda gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur, Christus esset magis Sanctus, quam quælibet persona Divina; atqui hoc est omnino absurdum, & repugnās: ergo supposito, quod Deitas substantialiter, & infinitè sanctificet humanitatem Christi, non est in Christo concedenda gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur. Probatur maior: si supposito, quod Deitas substantialiter, & infinitè sanctificet humanitatē Christi, est in ipso concedenda gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur Christus esset Sanctus duplici sanctitate, nempè, sanctitate infinita Deitatis, & sanctitate gratiæ habitualis; sed quælibet Divina persona vnica tantū sanctitate, nempè, sanctitate Deitatis, esset Sancta: ergo si supposito, quod Deitas substantialiter, & infinitè sanctificet humanitatem Christi, esset in Christo concedenda gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur, Christus esset magis Sanctus, quam quælibet Divina persona.

219 *Responsio quā audivi* Ad hanc rationem pro nostra conclusione, sic efformatam, responsionē præbuit prædictus Magister, & dixit: argumentum convincere, Christum esse magis Sanctum extensivè; non verò intensivè. Sed contra sic replicā formavi: Christus per te est magis Sanctus extensivè, quam quælibet persona Divina: ergo absolutè dicendus est Christus magis Sanctus, quam quælibet Divina persona. Atqui hoc absurdum, & omnino repugnans est: ergo ruit responsio. Consequentia, in qua vnicè est difficultas, probatur: maior sanctitas extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur: Christum esse magis Sanctum, quam quælibet persona Divina; sed Christus per te est extensivè magis Sanctus, quam quælibet Divina persona: ergo absolutè dicendus est Christus magis Sanctus, quam quælibet persona Divina. Probatur maior: maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur: vnum esse magis perfectum, quam aliud: ergo maior sanctitas extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur: Christum esse magis Sanctum, quam quælibet Divina persona. Probatur antecedens: ideo iuxta communem Scotistarum sententiam, & frequentiorem Thomistarum opinionem, quam sequitur Ill. Godoy, & ex Augustin. & D. Thoma, vt veram supponit *in præsenti num.* 121. relationes Divinæ nullam dicunt perfectionem, nec extensivam, quia absolutè veræ essent hæ propositiones: *Pater est perfectior Filio, & Spiritu Sancto: Filius, & Spiritus Sanctus sunt perfectiores Patre,*

Contra.

quam

quam maiorem perfectionem absolutè deducunt ex eo, quòd aliqua perfectio extensivè daretur in vna persona, quæ non daretur in alia: ergo maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur: vnum esse magis perfectum, quam aliud.

220 *Respondet Ill. Godoy.* Quod autem ad prædictam rationem possit respondere Ill. Godoy, nescio, quia nullibi in illo illam inveni. Cæterum attenta doctrina, quam habet *tom. sequent. disput. 41. num. 101.* potest respondere negando maiorē, ad cuius probationem concessis præmissis, negabit consequentiam. Ratio est: nam vt Deus dicatur magis Sanctus, quam humanitas, sufficit, vt infinita sanctitas Deo conveniat per essentiam, & à se; humanitati autē non per essentiam, & à se, sed per communicationem; hoc enim, quod est, habere sanctitatem à se, & per essentiam, perfectio est in linea sanctitatis; vndè quamvis Deo, & humanitati conveniat sanctitas infinita, quia Deo convenit à se, humanitati autem non à se, sed ab alio, Deus in ratione Sancti excedit humanitatem.

221 *Impugn. 1. Solutio ad hom. contra Ill. Godoy.* Contra hanc tamen solutionem insurgo primò ad hominem contra Ill. Godoy: tota sanctitas infinita simpliciter, totalitate formæ, est communicata humanitati Christi: ergo totum suum effectum humanitati communicat. Sic Ill. Godoy *tom. seq. disput. 41. num. 100.* Et rationem tribuit: *Vt enim totum suum effectum communicet, sufficit, totaliter formam communicari; quamvis, quia non communicatur totaliter, totalitate modi, non communicat hos effectus omni modo, quo potest illos communicare; vndè repugnantiam cum peccato veniali, & mortali, humanitati communicat; non tamen eo modo, quo effectus istos communicat Deo, cui conveniunt à se, & per essentiam; humanitati verò non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio.*

222 Infero nunc: ergo humanitas est æquè Sancta, ac Deus, æqualitate formæ, sanctitatem simpliciter infinitam tribuentis, & æqualitate effectus sanctitatis à forma tributi. Consequentia legitimè infertur ex doctrina Ill. God. Et licèt hoc sit sufficiens absurdum, infero amplius: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus. Probatur hæc consequentia: vltra totam sanctitatem simpliciter infinitam totalitate formæ, in qua humanitas Christi est æquè Sancta ac Deus, habet humanitas sanctitatem gratiæ habitualis iuxta ipsum: ergo humanitas Christi magis Sancta est, quam Deus.

223 *Impugn. 2.* Insurgo secundò: modus habendi à se aliquam formam, & effectū illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in forma habita, nec in effectu illius: ergo modus habendi à se sanctitatem, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in sanctitate, & in effectu illius. Atqui humanitas Christi, licèt à Deo, habet tantam Divinam sanctitatem, quam Deus habet à se, & vltrà hanc, habet sanctitatem gratiæ habitualis, quam Deus non habet: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus. Totum est verum, si verum est antecedens. *Antecedens probat. 1.* Antecedens autem probatur primò: modus habēdi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, solū infert differentiam in modo habendi formam, & effectum illius; sed differentia in modo habendi formam, & effectū illius; non infert inæqualitatē in forma, & in illius effectu: ergo, &c.

224 *Secundò.* Probatur secundò: Deus habet à se, & per essentiam, Deitatem; humanitas verò Christi habet Deitatem per communicationem ab alio, scilicet, à Deo; atqui hoc non tollit æqualitatē in Deitate, vt constat ex Symbolo Athanasij: *Æqualis Patri secundum Divinitatem*: ergo, &c. Probatur tertiò: *Tertiò.* modus habendi à se aliquam formā, & effectum illius, modusque habendi ab alio, non est aliquid formæ, vel effectus: ergo, &c.

225 *Impugn. 3.* Insurgo tertiò, & simul probatur antecedens supra positum: in tantum sanctitas Divina simpliciter infinita convenit humanitati Christi, non a se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, in quantum ipsi convenit Divinitas, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio; atqui, quod Divinitas conveniat humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, non tollit æqualitatem in Deitate: ergo quod sanctitas Divina simpliciter infinita conveniat humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, non tollit æqualitatem in sanctitate; & consequenter verum est suprà po-

situm

situm antecedens. Consequentia est legitima. Minor de fide. Maior est Ill. Godoy, asserentis: Deitatē esse formā, humanitatem Christi sanctificantem.

226 *Impugn. 4.* Insurgo quartò: si intellectio increata, vnita intellectui creato animæ Christi, præberet illi omnem suum effectum, scilicet, omnium repræsentationem, intellectus animæ Christi creatus esset æqualis in intelligendo cum intellectu Divino, similiterque de Divina essentia, vt est species intelligibilis, proportione servata; atqui in illo casu intellectus Divinus haberet intellectionem à se, & per essentiam; intellectus verò creatus illam haberet, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio: ergo semel concesso, quod sanctitas Divina simpliciter infinita tribuit humanitati Christi totum suum effectum, vt concedit Ill. Godoy *tom. & num. citat*, humanitas Christi est æquè Sancta, ac Deus, licèt Deus habeat Divinā sanctitatem à se, & per essentiam; Christi verò humanitas, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, habeat. Consequentia est legitima. Minor est evidens. Maior est ipsius *in hoc tom. disput. 31. num. 12.* vbi ad obiandam æqualitatem in intelligendo inter intellectum Divinum, & creatum, adhuc intellectione increata ornatum, asserit: intellectionem increatam in illo casu vnionis cum intellectu creato, non præbere illi totū suum effectum, idemque asserit de essentia Divina vnita intellectui creato per modum speciei intelligibilis. Pergo amplius: atqui vltra Divinam sanctitatem, in qua humanitas Christi esset æqualis Deo, haberet sanctitatem à gratia habituali tributam, vt concedit Ill. Godoy: ergo humanitas Christi esset magis Sancta, quam Deus.

227 *Impugn. 5.* Insurgo quintò: tota Divina sanctitas est humanitati Christi communicata iuxta Ill. Godoy: ergo Deus non est magis Sanctus, quam humanitas Christi. Probatur consequentia: esse magis Sanctum est habere maiorem sanctitatem; sed si tota Divina sanctitas est humanitati Christi communicata, Deus non haberet maiorē sanctitatem, quam humanitas Christi: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor patet; alioquin humanitati Christi non esset tota Divina sanctitas communicata. Maior etiam patet per exēpla sequentia. Primo: esse magis beatū est habere maiorem beatitudinem. Secundò: esse magis album est habere maiorem albedinem, & ex his in infinitā, quim ad hoc faciat, formam habere à se, vel ab alio: ergo esse magis Sanctum est habere maiorē sanctitatem. Sussummo nunc: atqui humanitas Christi vltrà sanctitatem Divinam, inqua non est minus Sancta, quā Deus, habet sanctitatem præditam à gratia habituali, quam Deus non habet iuxta Ill. Godoy: ergo humanitas Christi, stante opinione illius, est magis Sancta, quam Deus.

228 *Impugn. 6.* Insurgo sextò: sanctitas Divina simpliciter infinita convenit humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio; Deo autem convenit à se, & per essentiam iuxta Ill. Godoy. Quæro nunc: vel hic modus conveniendi dictam sanctitatem Deo est aliquid sanctitatis, vel non? Si primum: ergo tota Divina sanctitas non est humanitati Christi communicata, quod est contra Ill. Godoy *tom. sequent. disput. 41. numer. 100.* Patet consequentia: nam modus, quo Deo convenit sanctitas, est aliquid sanctitatis; sed hic modus non est humanitati Christi communicatus: ergo tota Divina sanctitas non est communicata Christi humanitati. Si secundū: ergo modus conveniendi ab alio non tollit æqualitatem in sanctitate cum Deo, quod est nostrum intentum. Atqui vltrà æqualitatem cum Deo in sanctitate Divina, habet humanitas Christi sanctitatem, quam Deus non habet, scilicet, sanctitatem gratiæ habitualis: ergo humanitas Christi, opinione Ill. Godoy attenta, est magis Sancta, quam Deus.

229 *Si recurrat Ill. Godoy.* Si autem ob has replicas, quæ certè vim faciunt, & gravissimum inconveniens deducunt, recurrat Ill. Godoy pro solutione, dicendo: rationem nostram convincere tantum: Christū esse magis Sanctum extensivè; non verò intensivè. Hæc est solutio prædicti Magistri, quam possuimus *num. 219.* quæ vltrà hoc, quod absurdum videtur, repulsa manet per ibi dicta, quim aliud sit addendum.

Contra.

230 *Doctrina Ill. Godoy.* Probatur secundò conclusio specialiter, destruendo doctrinam Ill. Godoy. Sed ante probationem sciendū est, quod tota huius sapientissimi viri doctrina, vt in præsenti defendat, Di-

vinitatem formaliter humanitatem Chriſti ſanctificare, eſt, quia eſſe Sanctum, nec petit phyſicam informationem, nec identitatem, quinimò ad effectum ſanctitatis ſufficere vnionem mediatam, quia nulla eſt ratio, cur effectus ſanctificationis petat vnionem immediatam formæ cum ſubiecto, quod ſanctificat. Hoc tamen ratione aliqua non probat, & ſolum paritate exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ vtitur; his namquè paritatibus probat ſuam concluſionem *num.* 210. & 212. ipſiſque nititur ad argumenta ſolvenda, vt ex ipſo claret, & præcipuè ex ſolutione ad primum argumentum *numer.* 228. vbi hæc habet: *Eſſe Sanctum eſt eſſe obiectum, vel terminum dilectionis Divinæ amicabilis; vndè ſicut eſſe exiſtens, vel ſubſiſtens, quia in eſſe terminato conſiſtit, non petit informationem phyſicam ſubiecti exiſtentis, vel ſubſiſtentis, nec identitatem cum illo, ſed ſufficit illius terminatio: ita eſſe Sanctum, quia conſiſtit in eſſe obiectum, vel terminum divinæ dilectionis amicabilis, non petit identitatem formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, nec informationem phyſicam illius; ſed tantum phyſicam terminationem mediatam, vel immediatam.* Vndè his paritatibus reiectis, reiecta manebit tota doctrina Ill. Godoy.

231 *Probat. 2. ſpecialitèr concluſio.*

Formatur itaquè probatio, reijciendo paritates prædictas: eſſe Sanctum ſe habet, ſicut eſſe exiſtens, vel ſubſiſtens: ergo ſicut eſſe exiſtens, vel ſubſiſtens, non petit informationem phyſicam ſubiecti exiſtentis, vel ſubſiſtentis, nec identitatem cum illo; ita eſſe Sanctum non petit identitatē formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, nec informationem phyſicam illius: ergo ſicut eſſe phyſicè exiſtens, vel ſubſiſtens, non petit informationem phyſicam ſubiecti exiſtentis, vel ſubſiſtentis, nec identitatem cum illo; ita eſſe phyſicè Sanctum non petit identitatem formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, nec informationem phyſicam illius. Antecedens cum prima conſequentia eſt doctrina Ill. Godoy. Secunda conſequentia eſt paritate nota, & ſi hic paritas non tenet, cur, quæſo, tenebit paritas ipſius, & maximè cum eadem ſit? Suſſummo nunc: atqui eſſe phyſicè Sanctum petit identitatem formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, vel phyſicam informationem illius: ergo eſſe Sanctum non ſe habet, ſicut eſſe exiſtens, vel ſubſiſtens. Conſequentia eſt legitima, & contra Ill. Godoy. Suſſumpta verò eſt illius doctrina, multotiès in præſenti repetita, & claret manifeſtè: nam ſi eſſe phyſicè Sanctum non peteret identitatem, vel informationē, Divinitas phyſicè ſanctificaret humanitatem Chriſti, quod negat Ill. God.

232 *Probat. 3. ſpecialitèr concluſio.*

Probatur tertio ſpecialitèr concluſio, aliter reijciendo paritatē de exiſtentia: eſſe Sanctum ſe habet, ſicut eſſe exiſtens: ergo ſicut eſſe exiſtens non petit informationem phyſicam ſubiecti exiſtentis, nec identitatem cum illo; ita eſſe Sanctum non petit identitatem formæ ſanctificantis in ſubiecto ſanctificato, nec informationem phyſicam illius: ergo ſicut ad eſſe phyſicè exiſtens, ſufficit vnio phyſica mediata exiſtentiæ cum ſubiecto, vt patet in humanitate Chriſti, quæ apud Ill. Godoy exiſtit phyſicè per exiſtentiam Divinam abſolutam, cum qua ſolum eſt mediatè vnita; ita ad eſſe phyſicè Sanctum ſufficiet vnio phyſica mediata formæ ſanctificantis cum ſubiecto ſanctificato. Antecedens cum prima conſequentia eſt doctrina Ill. Godoy. Secunda verò eſt paritate nota, ob rationem datam *num. antecedenti.* Suſſumo nunc: atqui ad eſſe phyſicè Sanctum non ſufficit vnio phyſica mediata formæ ſanctificātis cum ſubiecto ſanctificato: ergo eſſe Sanctum non ſe habet, ſicut eſſe exiſtens. Conſequentia eſt legitima, & contra omnem eius doctrinam in præſenti traditam. Suſſumpta autem multotiès ab ipſo traditur, & clariſsimè apparet: nam ſi ad eſſe phyſicè Sanctum, ſufficeret mediata phyſica vnio ſanctitatis cum ſubiecto, Deitas phyſicè ſanctificaret humanitatem Chriſti, vt liquet, & eſt contra Ill. Godoy.

233

Cum igitur hæc duplex vltima ſpecialis probatio noſtræ concluſionis ſit deſtructiva totius doctrinæ Ill. God, vtraque probatio eſt impugnatio cuiuſcumque ſolutionis, quam ad noſtras ſuprà poſitas probationes adducit. Vndè ſpecialitèr iam noſtra, & Scoti concluſione ſtabilita, & ſolutionibus Ill. Godoy ſpecialitèr etiam impugnatis, ad ſolvenda illius argumenta progredimur.

****

§. XI.

Argumenta Ill. Godoy diluuntur.

234 *Arguit.* 1. COntra nostram conclusionem arguit primo Ill. Godoy *n.* 209: nam iuxta Ecclesiæ Patres eo sanctificatur humanitas, quo vngitur, & Deificatur; sed Deitate vngitur, & Deificatur: ergo Deitate sanctificatur formaliter. Hoc argumentum habet quadruplicem responsionem, & quadruplicem retorsionem, quam declaravimus §. 3. *per totum.* Ibi videantur, ne eadem repetamus.

235 *Arguit.* 2. Arguit secundò *num. citat.* nam humanitas præcedenter ad gratiam habitualem, est substantialiter formaliter Sancta; & consequenter ab aliqua forma, illi prædictum effectum præstante; sed non à modo substantiali vnionis, nec à personalitate Verbi, ratione illius, per quod à Diuinitate virtualiter distinguitur: ergo à Deitate, prout virtualiter à personalitate distincta; non enim extat aliud, à quo possit humanitati effectus sanctitatis præcedenter ad gratiam habitualem præstari. Respondeo negando maiorem, cuius falsitas ex nostris liquet probationibus, quim aliud de nobo argumentum exigat.

236 *Arguit.* 3. Arguit tertiò *num.* 210: nam Diuinitas, prout virtualiter à personalitate distincta, est formaliter sanctitas substantialis, Deumque per essentiã sanctificat. Tùm, quia participatio formalis illius, nempè, gratia habitualis, est formalis sanctitas participative; & consequenter Deitas à gratia participata est formalis sanctitas per essentiã. Tùm etiam, quia sub prædicto conceptu est prima radix videndi, & amãdi Deum, in quo ratio sanctitatis consistit: ergo vnita, etsi mediatè, humanitati Christi, sanctificat illam formaliter substantialiter. Patet consequentia primò: quia nulla est ratio, cur effectus sanctificationis petat immediatam vnionem formæ cum subiecto, quod formaliter sanctificat. Secundo: nam gratia totum sanctificat hominem, & tamen non vnitur toti homini immediatè, sed tantum illius animæ. Tertiò: nam Diuinitas solum mediatè humanitati vnita, illam existentem constituit, in sententia D. Thom, & Discipulorum eius: ergo etiam constituit Sanctam humanitatem, non obstante, quod solum mediatè illi vniatur. Denique: nam ex parte humanitatis nulla repugnantia est, vt per Diuinitatem sanctificetur formaliter; sed Diuinitas de se est sufficiens ad sanctificandum humanitatem, cum formalis sanctitas sit: ergo illam de facto sanctificat.

Quartò.

237 *Respondeo. Ad* 1. *prob. cõsequẽtiæ.* Respondeo ad argumentum, omisso antecedenti, negando consequentiam. Ad primam probationem respondeo, ipsam negando, quia cum effectus sanctitatis sit effectus formalis, requirit, vel identitatem cum subiecto, vel informationem illius, quod fieri nequit absque immediata vnione formæ cum subiecto. Et hæc doctrina patet in Deo, & in creatis. In Deo nãquè, quia esse immensum, æternum, Iustum, &c. sunt effectus formales, immensitas, æternitas, & iustitia reddunt Deum per identitatem immensum, æternum, & Iustum. In creatis verò, quia esse album, calidum, &c. sunt effectus formales, albedo, & calor reddunt subiectum per informationem album, & calidum. Similiter ergo de effectu formali sanctitatis; & cum Deitas nequeat identificari cum humanitate, nec illam informare, nequit sanctificare illam formaliter; ex hoeque tot facile retorsiones, quot sunt attributa in Deo, & formæ in creatis.

238 *Ad* 2. Ad secundam consequentiæ probationem respondeo: quod gratia sanctificat totum hominem denominativè tantum, ad quod non requiritur, quod immediatè vniatur toti humanitati, sed sufficit, quod immediatè vniatur animæ, vt tenet Ill. Godoy, vel quod immediatè vniatur voluntati, vt nos cum Scoto tenemus, sicut sufficit esse in voluntate immediatè peccatum, vt totus homo absolutè denominetur peccator. Cæterum, vt gratia sanctificet totum hominem, requiritur, quod immediatè vniatur animæ illius, vel illius voluntati, quod repugnat Diuinitati; ob rationem toties dictam, quia hoc deberet esse, vel per identitatem, vel per informationem, quorum vtrumque est repugnans.

239 *Retorqueo.* Deindè retorqueo hanc secundam probationem; doctrina Ill. Godoy vtendo: vt gratia sanctificet totum hominẽ, necessario requiritur, quod animæ illius immediatè vniatur: ergo vt Diuinitas sanctificet totum Christum, necessario requiritur, quod animæ illius immediatè vniatur. Atqui

Cõsequẽtia probat. 1. *Secundò. Tertiò.*

iuxtà Ill. Godoy Divinitas sanctificat de facto totum Christum : ergo de facto Divinitas est immediatè vnita animæ illius. Tunc sic : sed hoc est contra Concilium Toletanum, cuius verba retulimus *num.* 172: ergo Divinitas non sanctificat. Alitèr formatur retorsio: vt totus homo denominetur Sanctus à gratia, exigitur physica immediata vnio gratię cum anima: ergo vt totus Christus denominetur Sanctus à Deitate, exigitur physica immediata vnio Deitatis cum anima. Atqui non datur talis vnio, imò repugnat, vt fatetur Ill. Godoy : ergo Deitas non sanctificat animam Christi.

Alitèr formatur.

240 *Ad 3.*

Ad tertiam consequentiæ probationem respondeo: probare solum (si aliquid probat) contra Discipulos D. Thomæ, ab opinione Ill. Godoy recedentes; contra nos verò negantes, humanitatem Christi existere existentia Divina, nihil convincere ; vt ex ipsa patet probatione. Retorqueo etiam probationem : Divinitas solum mediatè humanitati vnita, illam physicè existentem constituit in sententia D. Thomæ, & Discipulorum eius : ergo etiam constituit humanitatem physicè Sanctam, non obstante, quod solum mediatè illi vniatur. Atqui hoc est contra Ill. Godoy: ergo respondere tenetur suo argumento.

Retorqueo.

241 *Ad 4.*

Ad vltimam probationem consequentiæ respondeo negando maiorē; nam repugnantia, quæ adest, vt natura humana sit formalitèr Deus, æterna, immensa, &c. est repugnantia, vt sit formalitèr Sancta sanctitate Divina, & hæc est : quia prædicti effectus nequeunt præstari, nisi per identitatem, vel per informationem, quorum vtrumque respectu humanitatis repugnat cuicumque prædicato Divino, vt ex nostris claret probationibus, simul cum impugnationibus suprà factis. Retorqueo etiam probationem: ex parte humanitatis nulla repugnantia est, vt per Divinitatem physicè formalitèr sanctificetur; sed Divinitas de se sufficiens est ad physicè sanctificandum humanitatem; cum formalis physica sanctitas sit : ergo illam de facto physicè sanctificat, quod est contra Ill. Godoy.

Retorqueo.

242 *Arguit. 4.*

Arguit quartò *num.* 211: nam si ob aliquam rationē Divinitas non sanctificaret humanitatem Christi formalitèr, maximè, quia illam physicè non informat; at hæc ratio nulla est: ergo sanctificat humanitatem formaliter. Minorē, inqua est difficultas, dupliciter probat Ill. God. sed relicta prima probatione, quia procedit ad hominē contrà sententiam Lorcæ tenentis: personalitatem Verbi, vt virtualitèr distinctam à natura Divina, sanctificare formalitèr humanitatem Christi, quod falsum est in nostra opinione, sic illam probat: nam absquè physica informatione personalitas Verbi reddit personatam humanitatem. Divinitas etiam absque physica informatione illam existentem constituit. Ac deniquè, essentia Divina fæcundat intellectum beati in ordine ad visionē beatificam, quin illum informet physicè : ergo etiam poterit sanctificare humanitatem Christi formalitèr absquè illius physica informatione, solum per terminationem, non immediatam, sed mediatam.

243 *Respond. 1.*

Respondeo primò ad argumentum, negando minorem, ad cuius probationem, negato, quod Divinitas constituat humanitatem existentem, quia in nostra opinione subsistineri nequit, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est : nam personalitas Verbi reddit personatam humanitatem, ipsam merè terminando, & essentia Divina fæcundat intellectum beati in genere causæ efficientis, quorum neutrum requirit informationem, aut identitatem, vt apud omnes est manifestum; at sanctificare est effectus formalis, qui sine informatione, vel identitate nequit à Deitate præstari, sicut nequit à quolibet alio prædicato Divino.

244 *Respond. 2.*

Respondeo secundò retorquendo argumentum : nam si ob aliquam rationem Divinitas non sanctificaret physicè formalitèr humanitatē Christi, maximè, quia illam physicè non informat; at hæc ratio nulla est : ergo physicè formalitèr sanctificat humanitatem. Minor, inqua est difficultas, ostenditur exemplis ab Ill. Godoy contra nos adductis : absquè physica informatione personalitas Verbi reddit humanitatem physicè personatā: Divinitas etiam absquè physica informatione illam physicè existentem constituit : ergo etiam poterit sanctificare formalitèr physicè humanitatem Christi absquè illius physica informatione. Hæc est retorsio valdè

vrgens, meo videri, contra doctrinam Ill. Godoy. Ideòque pro ratione speciali probativa nostræ conclusionis illam propòsuimus *num.* 231.

245 *Arguitur deniquè.*

Ill. Godoy aliud non adducit in favorem suæ conclusionis. Pro ipso tamen, & contra nos, sic arguere possumus: ratio impugnans, personalitatem Divinam sub expræsso personalitatis conceptu sanctificare formalitèr humanitatem Christi, probat evidentèr, Deitatem formalitèr sanctificare: ergo sic sanctificat Christi humanitatẽ. Probatur antecedens: ratio impugnans, personalitatem Divinam sub expræsso personalitatis conceptu sanctificare formalitèr humanitatem Christi, est, quia Divina personalitas sub expræsso personalitatis conceptu non dicit perfectionẽ, nec formalitèr, nec virtualitèr; sed hæc ratio evidentèr probat, Deitatem formalitèr sanctificare: ergo ratio impugnans, personalitatem Divinam sub expræsso personalitatis conceptu sanctificare formalitèr humanitatem Christi, probat evidentèr, Deitatem formalitèr sanctificare. Consequentia est legitima. Maior est à nobis tradita *numer.* 157. Minor claret: nam Deitas formalitèr, & virtualitèr perfectionem dicit, imo est infinitum pelagus perfectionis.

246 *Respondeo.*

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem: ratio impugnans, personalitatẽ Divinam sub expræsso personalitatis conceptu sanctificare formalitèr humanitatem Christi, est, quia Divina personalitas non dicit perfectionem, nec formalitèr, nec virtualitèr, suppositа immediata vnione personalitatis cum humanitate concedo maiorem; non suppositа hac vnione nego maiorem; & distinguo minorem: sed hæc ratio evidentèr probat, Deitatem formalitèr sanctificare, si supponatur vnio immediata Deitatis cum humanitate concedo minorem; si talis vnio non supponatur, quim potius repugnet, vt repugnat nego minorem, & consequentiam, cuius rationem declaravimus *num.* 171.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

247 *1. Corollarium.*

EX dictis in discursu disputationis colligo primò: personalitatem Verbi non esse conditionem, aut complementum, ad effectum sanctitatis, à Deitate humanitati præstandum. Hoc corollarium est contra Ill. God. *num.* 213. & facilitèr ostenditur: vt personalitas Verbi sit conditio, aut complementum, ad effectum sanctitatis, à Deitate humanitati præstandum, necessarium erat, quod Deitas humanitatem sanctificaret; sed Deitas non sanctificat humanitatem: ergo personalitas Verbi non est conditio, aut complementum, ad effectum sanctitatis, à Deitate humanitati præstandum. Consequentia est legitima. Maior est per se nota. Minor claret ex dictis, quibus convincitur falsitas integræ conclusionis Ill. Godoy.

Probatur.

248 *2. Corollarium.*

Probat Ill. Godoy.

Secundo infertur: quod si Divinum Verbum naturam irrationalem assumeret, illam non sanctificaret. Sic Ill. Godoy *n.* 267. quod sic probat: nam esse Sanctum formalitèr est, esse gratum Deo gratitudine amicabili, & diligibile in ordine ad vitam æternam, cum potentia, saltim radicali, ad redamandum Deum, & amicabilitèr diligendum; sed natura irrationalis à Divino Verbo assumpta, non constitueretur ab illo grata Deo amicabilitèr, nec diligibilis in ordine ad vitam æternam, nec potens radicalitèr Deũ reddamare, & diligere amicabilitèr, cum horum omnium sit essentialitèr incapax; illi namquè Deum videre, & diligere, essentialitèr repugnat; & consequentèr non potest capacitatem radicalem ad illa recipere: ergo non sanctificaretur ab ipso.

249 *Verior probatio.*

Cæterum hæc ratio, licèt sit vera, non tamen est adæquata; vndè sic a nobis corollarium probatur: Verbum de facto naturam rationalem assumpsit; sed illam non sanctificat formalitèr: ergo si Verbum Divinum naturam irrationalem assumeret, illam non sanctificaret. Antecedens constat ex dictis in tota disputatione, & consequentia est absquè dubio vera. Vndè, etsi ob incapacitatem naturę irrationalis verum sit: Verbum non sanctificare naturam irrationalem, dato, quod illam assumeret; non tamen est adæquata ratio; quia etsi natura irrationalis esset capax sanctitatis, adhuc Verbum illam non sanctificaret, data hypotesi, quod illam assumeret, vt de naturâ rationali dictum manet. Quarè ratio adæquata ex vtroque sumitur, nempè, ex eo, quod Verbum nequeat sanctificare, & ex eo, quod

natura irrationalis sit sanctitatis incapax.

250 *Dices.* Dices: natura irrationalis à Divino Verbo assumpta, adoranda foret adoratione Latriæ ratione Verbi assumentis: ergo etiam sanctificaretur ab illo formaliter. *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *numer.* 268. concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio discriminis est: nam vt ratione Verbi adoretur, & venerationem terminet, est in natura irrationali capacitas; ideoque vnita Divino Verbo adorabilis, & venerabilis ab ipso constitueretur; ad effectum autem sanctitatis, de qua loquimur in præsenti, consistentis in ratione obiecti grati Deo amicabiliter, & diligibilis in ordine ad vitam æternam, cum potentia ad redamandi, capacitas in natura irrationali non est; ideoque, etsi Divino Verbo vniretur, non sanctificaretur ab ipso. Et quidem Imago Christi, ratione ipsius, terminat adorationem Latriæ; & tamen amicabilem Dei dilectionē non terminat; & consequenter non est Sancta ea sanctificatione, de qua Theologi disputant in præsenti: ergo ex eo, quod natura irrationalis, Verbo hypostaticè vnita, foret adorabilis adoratione Latriæ, nō sequitur fore Sāctā.

251 *Verior solutio.* Solutionem admitto, vt sufficientem, sed nego esse adæquatam. Vndè respondeo ad replicam, negando consequentiam, & disparitas est: nam natura irrationalis, à Divino Verbo assumpta, acciperet ab illo summam illam dignitatem, excellentiamque, scilicet, vnitatem cum Deo in eadem personalitate Verbi; cuius dignitatis, & excellentiæ, natura irrationalis esset capax ad illam recipiendam, & Divinum Verbum potens est, illam tribuendi. Cum ergo adoratio Latriæ fundetur in prædicta excellentia, & dignitate, adoranda foret adoratione Latriæ irrationalis natura. Ast respectu sanctitatis, nec Verbum potest illā naturæ creatæ præstare, nec natura irrationalis est capax illius. Quarè ex posibilitate activa in Verbo, & passiva in natura irrationali, proveniret adoratio tribuenda; sicut ex impossibilitate activa in Verbo, & passiva in natura irrationali, proveniret sanctitatis impossibilitas.

252 *Corollaria Ill. Godoy, & eorum falsitas.* Ill. Godoy aliqua infert ex ab ipso dictis in discursu disputationis: nam *num.* 269. infert: humanitatem Christi per gratiam vnionis esse Sanctam infinitè. Et *num.* 272. colligit: non fuisse humanitatem Christi sanctificatam à Patre, & Spiritu Sancto formaliter. Denique infert *num.* 274: humanitatē Christi non esse infinitè Sanctam in linea sanctitatis vt sic, sed solum in linea sanctitatis per communicationē. Quę omnia falsum supponere, est manifestum; supponunt namquè: humanitatem Christi formaliter per gratiā vnionis sanctificari, cuius falsitas ex tota apparet disputatione. Et ne aliquid ab ipso adductum prætermitamus, infert *num.* 273: ex sua opinione non sequi: vnionem humanitatis ad Verbum esse factam in natura. Quod optimè probat *num. citat.* & à quo non dissentimus. Et hæc de ista disputatione aplicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 13. §. 1. ad illa verba: *Ab ipsa conceptione gratiæ plenitudinem recepisse, &c.* *Mag. Sent.*

DISPVTATIO VIGESIMA SECUNDA.

Vtrùm in anima Christi Domini fuerit gratia habitualis?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio, & obiectioni Ill. Godoy occurritur.

Num. 1 *Affirmativa sententia est communis.* AFfirmativa sententia docens, gratiam habitualem in anima Christi fuisse, communis est inter Theologos. Illam namquè tenent omnes Scholastici cum Magistro *in* 3. *dist.* 13. & omnes Commentatores D. Thomæ 3. *part. quæst.* 7. Sed licèt in sententia conveniant, in gradu

ta-

tamen certitudinis differunt. Ill. Godoy *num.* 3. asserit: non esse de fide immediatè, nec mediatè, gratiam habitualem fuisse in anima Christi Domini, nec sub terminis *gratiæ habitualis*, nec sub nomine *doni creati permanentis*. Alij autem docent: de fide esse, gratiam habitualem esse in Christo Domino, vel sub terminis *gratiæ habitualis*, vel sub nomine *doni creati, & permanentis*. Hanc opinionem, vt veriorem existimo, illiusque Authores refert Ill. Godoy *num.* 2. & pro cuius resolutione. Sit.

2 *Conclusio.*

Conclusio: *De fide est immediatè, gratiã habitualem fuisse in anima Christi Domini sub nomine saltim doni creati permanentis.* Hanc defendunt Doctor Eximius *de Incarnatione, disput.* 18 *sect.* 2. Lorca *disput.* 37. *num.* 3. & alij plures, quorum rationibus ommissis, quia eas optimè soluit Ill. Godoy in præsenti. Probatur conclusio hac vnica ratione per oppositum ad rationem Ill. Godoy: gratiam habitualem sub nomine saltim *doni creati permanentis* fuisse in anima Christi Domini, continetur immediatè in aliquo testimonio Scripturæ: ergo de fide est immediatè, gratiam habitualem fuisse in anima Christi Domini sub nomine saltim *doni creati permanentis*. Consequentia est notoria: nam id, quod immediatè continetur in aliquo testimonio Scripturæ, est immediatè de fide, vt tenent omnes Theologi, & per oppositum affirmat Ill. Godoy *num.* 4. in probatione suæ conclusionis.

Contra Ill. Godoy.

Probatur.

3 *Probant antecedens testimonijs Scripturæ.*

Antecedens autem, in quo est tota difficultas, ex varijs Scripturæ testimonijs probant Authores, nostram opinionem tuentes. Primò namquè illud probant ex illo Ioannis 1: *Et vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Secundò ex eodem *cit.*: *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Tertiò ex eodem 2. *Super quem videritis Spiritum Sanctum descendentem, & manentem in ipso.* Quartò ex Psalm. 44: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ præ consortibus tuis.* Quintò ex Act. 10: *Vnxit illum Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Sextò ex Isaia 11: *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Sed quia hæc omnia, & alia similia optimè salvat Ill. Godoy, illa intelligendo, & explicando de Christo Domino ratione gratiæ vnionis; ideò à nobis aliter probandum venit suprà positum antecedens.

Ioan. 1.

Psalm. 44.

Act. 10.

Isai. 11.

Probatur itaquè: gratiam habitualem sub nomine saltim *doni creati permanentis*, fuisse in anima Christi, continetur immediatè in illo Psalm. 132: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in Oram vestimenti eius*: ergo gratiam habitualem immediatè fuisse in anima Christi Domini, sub nomine saltim *doni creati permanentis*, continetur in aliquo testimonio Scripturæ. Probatur antecedens: verbis prædictis affirmat Scriptura: vnguentum fuisse in capite, nempè, in Christo Domino, & in membris, quæ significantur in vestimento, & barba; atqui hoc vnguentum in capite, nempè, Christo Domino, est gratia habitualis, sub nomine saltim *doni creati permanentis*: ergo gratiam habitualem sub nomine saltim *doni creati permanentis*, fuisse in anima Christi, continetur immediatè in dicto Psalmo. Probatur minor: hoc vnguentum in vestimento, & barba, nempè, in membris est gratia habitualis, sub nomine saltim *doni creati permanentis*: ergo hoc vnguentum in capite, nempè, in Christo Domino, est gratia habitualis, sub dicto nomine saltim. Antecedens est certum; nam hoc vnguentum in membris est fidelium iustificatio, vel sanctificatio, quæ iuxta Tridentinum *Sess.* 6. *Can.* 7. fit per formam permanentem creatam, illis intrinsicè inhærentem, quam nos gratiam habitualē appellamus. Consequentia probatur: Scriptura in verbis prædictis affirmat: idem vnguentum fuisse in capite, nempè, in Christo Domino, & in membris, quæ significantur in vestimento, & barba; sed hoc vnguentum in vestimento, & barba, nempè; in membris, est gratia habitualis, sub nomine saltim *doni creati permanentis*: ergo hoc vnguentum in capite, nempè, in Christo Domino, est gratia habitualis, saltim sub nomine *doni creati permanentis*. Consequētia est legitima. Minor concessa, & de fide. Maior vero ex verbis Scripturæ apparet.

4 *Probatur antecedens*

Psal. 132.

Aliter formatur ratio prædicta: Scriptura in verbis relatis affirmat: idem vnguentum fuisse in capite, nēpè, in Christo Domino, & in vestimento, & barba, nempè, in membris, seu fidelibus: ergo non loquitur Scrip

5 *Aliter formatur ratio.*

tu-

tura in teſtimonio relato de vnione hypoſtatica; alioquim vnio hypoſtatica eſſet in membris, ſeu in fidelibus, quod eſt contra fidem: ergo loquitur de aliquo dono creato permanente, quod gratiam appellamus. Suſſumo nunc: Atqui de fide eſt, membra Chriſti Domini, ſeu fideles, fieri iuſtos per aliquod donum creatum permanens, quod gratiam appellamus: ergo de fide etiam erit, Chriſtum Dominum præter gratiam vnionis habuiſſe ſimile donum, & conſequentèr erit de fide, gratiam habitualem fuiſſe in anima Chriſti Domini, ſub nomine ſaltim *doni creati permanentis.*

6 *Duplex reſponſio pro Ill. Godoy.*

Hanc rationem nec ſub prima, nec ſub ſecunda formalitate, adducit Ill. Godoy, nec pro ipſo valere poſſunt reſponſiones, quibus eam ſolvere conatur Delgadillo *de Incarnatione, cap. 7. diffic. 2. dubio 2. num. 9.* Dupliciter itaquè reſpondet hic author ad noſtram rationem ſub ſecunda formalitate. Primo: negando aſſumptum: ægrè enim probabitur, eſſe de fide, quod illo vnguento exteriori ſignificatur vnctio interna. Et hoc admiſſo, reſpondet ſecundò, quod quis poterat reſpondere, ſcilicèt, vnguentum, ſeu donum illud eſſe eiuſdem rationis, ſeu ſpeciei, non in ſe, ſed quantum ad effectum ſanctificandi (ſicut Sol, & ignis quantum ad effectum calefaciendi) & conſequentèr, quod ſicut homines fiunt iuſti per aliquod donum creatum permanens (ſivè ſit gratia habitualis, ſivè quid diſtinctum ab illa) ita Chriſtus Dominus per ipſam vnionem fuit Sanctus, & Iuſtus.

7 *1. Solutio non valet.*

Neutra tamen ſolutio pro Ill. Godoy valere valet. Non prima: quia, quod illo vnguento exteriori ſignificetur vnctio interna, ſupponit Ill. Godoy in hac diſputatione; nam de quolibet Scripturæ teſtimonio, in quo Chriſtus dicatur vnctus, ſupponendo, Scripturam intelligi de vnctione interna, illud explicat de vnctione per gratiam vnionis, non verò per gratiam ab vnione diſtinctam, vt ex ipſo patet. Et ex hoc impugnatur ſolutio prima: Vbicumquè in Scriptura traditur, Chriſtum eſſe vnctum, intelligitur de vnctione interna: ergo ſic etiam intelligitur de vnctione in textu à nobis allegato. Probatur antecedens: ſi vbicumquè in Scriptura traditur, Chriſtum eſſe vnctum, non intelligeretur de vnctione interna, vbicumquè in Scriptura traditur, Chriſtum eſſe vnctum, poſſet explicari de vnctione externa; ſed hoc nemo facit, quinpotius oppoſitum: ergo vbicumquè in Scriptura traditur, Chriſtum eſſe vnctum, intelligitur de vnctione interna.

Impugnatur.

Nec ſolutio ſecunda valet pro ipſo: nam quotieſcumquè Scriptura affirmat: Chriſtum eſſe vnctum, nullibi vnctionem intelligit Ill. God. quantum ad effectum ſanctificandi, ſed ſemper per vnctionem intelligit donum in ſe, ſeu donum ſanctificans, licèt per illud non intelligat donum, à gratia vnionis diſtinctum, ſed ipſam vnionem, vt videri eſt in ipſo *num. 9.* Et ex hoc impugnatur etiam ſecunda ſolutio: quotieſcumquè Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe vnctum, intelligitur de vnctione, ſeu dono in ſe: ergo ſic etiam intelligitur in textu à nobis relato: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens. Primò: ſi quotieſcumquè Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe vnctum, non intelligeretur de vnctione, ſeu dono in ſe, ſed quantum ad effectum ſanctificandi, nec intelligeretur gratia vnionis, nec gratia ab vnione diſtincta; ſed hoc eſt contra id, quod omnes in præſenti ſupponunt, intelligunt, & declarant: ergo quotieſcumquè Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe vnctum, intelligitur de vnctione, ſeu dono in ſe. Minor, & conſequentia tenent. Maior patet: nam vnctio, ſeu donum, quantum ad effectum ſanctificandi, nec eſt gratia vnionis, nec gratia ab vnione diſtincta, ſed effectus illarum, ſicut Sol, & ignis, ſed effectus vtriuſque, ſcilicet, calor.

8 *2. Solutio nõ prodeſt.*

Antecedens probatur 1.

Probatur ſecundò antecedens prędictum: ſi quotieſcumquè Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe vnctum, non intelligeretur de vnctione, ſeu dono in ſe, quotieſcumquè Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe vnctum, intelligeretur de vnctione, ſeu dono, quantum ad effectum ſanctificandi; ſed hoc eſt falſum: ergo idem quod antea. Probatur minor: ſi quotieſcumquè Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe vnctum, intelligeretur de vnctione, ſeu dono, quantum ad effectum ſanctificandi, nullũ tale teſtimoniũ verificaretur de Chriſto ratione gratiæ vnionis, nec ratione gratiæ ab vnione diſtincta, ob rationẽ

9 *Secundò.*

ad-

datam *num. anteced*; sed hoc est contra Authores, tàm nostram sententiam tuentes, quam oppositam opinionem defendentes, & consequentèr contra omnes: ergo quotiescumquè Scriptura asserit, Christum esse vnctum, non intelligitur de vnctione, seu dono, quantum ad effectum sanctificandi.

10 *Nullitas vtriusque solutionis assignatur.*

Atque hinc se se apperit, vtramque assignatam solutionem esse contra id, quod omnes in præsenti supponunt. Supponunt namquè omnes, vnctionem, qua Christus in Scriptura dicitur vnctus, esse vnctionem internam. Supponunt etiam, hanc internā vnctionem esse gratiam vnionis, vel gratiam ab vnione distinctam, & consequentèr Christus dicitur vnctus per gratiam vnionis, vel per gratiam ab vnione distinctam. Primum asserunt, qui nostræ conclusioni opponuntur, sicque prædicta Scripturæ testimonia explicant de vnctione per gratiam vnionis, & consequentèr negant, esse de fide, gratiam habitualem fuisse in anima Christi Domini sub nomine etiam *doni creati permanentis*. Secundum tenent, qui nostram conclusionem tuentur, sicque prædicta Scripturæ testimonia de vnctione per gratiam, à gratia vnionis distinctam, intelligunt, consequentèrque affirmāt, de fide esse, gratiam habitualem fuisse in anima Christi Domini, sub nomine saltim *doni creati permanentis*. Et hæc est doctrina, quam habet Ill. Godoy; nam *num.* 8. inter loca Scripturæ, quæ citat, vt Christus dicatur vnctus Spiritu Sancto (vnctione intellige interna; nam externa nihil ad rem faceret) vnus est Psalmus 132. in cuius verbis (licèt ab ipso non relatis) nostram opinionem fundamus; & concessa vnctione, negat dumtaxat, quod verba Psalmi prædicti, & aliorum Scripturæ locorum verificari nequeant de Christo ratione gratiæ vnionis; hæc est minor argumenti, quam negat *numer. 9. in principio.*

11 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit Ill. Godoy contra nostram conclusionem *num.* 4: fuisse namquè habitualem gratiam in anima Christi Domini, aut sub his terminis, aut sub nomine *doni creati permanentèr inhærentis*, non continetur immediatè in aliquo testimonio Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum, nec in aliqua traditione, nec ex istorum aliquo, per evidentem consequentiam infertur; sed primum requirebatur, vt esset immediatè de fide, & secundum necessarium erat, vt esset de fide mediatè, & Theologica conclusio, vt docent Canus *lib.* 12. *de locis Theologicis, cap.* 7. Peña *in Commentarijs ad Directorium Inquisitorum, part.* 2. *comment.* 27. & frequentèr omnes Theologi: ergo nec immediatè, nec mediatè est de fide, fuisse in anima Christi Domini habitualem gratiam sub nomine *gratiæ habitualis*, aut sub nomine *doni creati permanentèr inhærentis*. Respondeo negando maiorem; quia gratiam habitualem, saltim sub nomine *doni creati permanentis*, fuisse in anima Christi Domini, continetur in Psalmo à nobis relato *num.* 4. vt ibi diximus, & ostensum fecimus. *Respondeo.*

§. II.

Duplex alia conclusio statuitur, & corollaria declarantur.

12 *2. Conclusio*

Secunda conclusio: *Negare, in anima Christi Domini fuisse gratiam habitualem, sub nomine saltim doni creati permanentis, non solum est temerarium, & erroni proximum, sed etiam Hæreticum.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy, in tantumque in hoc oppositionem habemus, in quantum in conclusione suprà posita dissentimus. Probatur conclusio brevitèr: propositio hæretica est, quæ opponitur propositioni de fide; atqui negare, gratiam habitualem sub nomine saltim *doni creati*, fuisse in anima Christi Domini, est propositio opposita propositioni de fide: ergo hæreticum est, negare talem gratiam in Christo Domino. Maior, & consequentia tenent. Minor est notoria, supposita conclusione, quam *num.* 2. posuimus. *Probatur.*

13 *3. Conclusio*

Tertia conclusio: *In anima Christi fuit gratia habitualis sub his terminis gratiæ habitualis, & oppositum asserere est saltim temerarium.* Prima pars conclusionis est communis Theologorū consensus iuxta dicta *num.* 1. eamque probat, & defendit Ill. Godoy *à §.* 3. *vsque ad finem.* Secunda pars est etiam communis, & probatur: nam illa est temeraria assertio, quæ opponitur torrenti Doctorum in re Theologica, & gravi, & materiam fidei concernente; sed gratiam habitualem sub terminis *gratiæ habitualis* in anima Christi extitisse, illamque sanctificasse, est communis Scholasticorum con- *Probatur.*

sen-

sensus, estque res Theologica, & gravis, & materiam fidei concernens, cum ex pluribus testimonijs Scripturæ probetur, & probabiliter colligatur: ergo assertio contraria est temeraria: ergo temerarium est negare, gratiam habitualem, sub terminis *gratiæ habitualis*, extitisse in anima Christi Domini. Ill. Godoy addit: esse etiam errori proximum, quod probat *num.* 25. & probabile iudico.

14 *Gratia habitualis fuit in Christo à 1 instanti conceptionis.*

Ex dictis in litius disputationis discursu colligitur primò: gratiam habitualem extitisse in anima Christi Domini à primo conceptionis Christi instanti. Corollarium hoc est commune, & probatur primò: nam Christus a primo conceptionis instanti fuit beatus beatitudine animæ, & supernaturales actus exercuit: ergo ab illo instanti fuit etiam Sanctus; atqui sanctitas provenit à gratia habituali, vt statutum, & ostensum est *disput. antecedenti*, vel si provenit in Christo, vt tenet Ill. Godoy, ab vnione hypostatica, ad hanc sequitur ad modum proprietatis gratia habitualis, vt docet in præsenti *num.* 89: ergo gratia habitualis extitit in anima Christi Domini à primo conceptionis instanti. Probatur secundò: nam infusio gratiæ habitualis à primo instanti conceptionis Christi Domini fuit decens dignitatem illius, & alias in ea nulla repugnantia invenitur: ergo idē quod prius.

15 *Fuit in illo instāti gratia habitualis in Christo cū omni intensione possibili.*

Secundo ex dictis colligitur: in illo instanti fuisse animæ Christi Domini infusam gratiam habitualem in omni intensione de lege ordinaria possibili. Comune est etiam hoc corollarium, & probatur: quia decuit dignitatem Christi Domini, gratiam habitualem cum omni perfectione possibili illius animæ communicari in primo suæ conceptionis instanti: ergo sic fuit de facto communicata; atqui gratia habitualis cum omni perfectione possibili, est gratia habitualis in omni intensione de lege ordinaria possibili: ergo in primo instanti suæ conceptionis fuit infusa animæ illius gratia habitualis in omni intensione de lege ordinaria possibili. Confirmatur: nam anima Christi Domini à primo conceptionis instanti fuit beata, & beatitudine plena; sed ad plenitudinem beatitudinis præexigitur plenitudo gratiæ: ergo habuit gratiæ plenitudinem à primo suæ conceptionis instanti, & consequenter ab illo instanti fuit gratia habitualis in anima Christi Domini cum omni intensione possibili. Et hæc de ista *disput.* applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 13. §. 1.* ad illa verba: *Ab ipsa conceptione gratiæ plenitudinem recepisse.* *Mag. Sent.*

DISPVTATIO VIGESIMA TERTIA.

Ad quid fuerit necessaria gratia habitualis in anima Christi Domini?

Num. 1 CVm enim, vt ostendimus *disp.* 21. & latè probavimus, per gratiam subsistantialem vnionis non fuerit sanctificata formaliter, & consequenter gratia habituali seclusa, non fuisset absolutè Sancta; per evidentem consequentiam infertur, fuisse necessariam gratiam habitualē in anima Christi ad sanctificandum illam absolutè; non enim stare potest necessitas alicuius formæ ad effectū, & effectum existere sine illa: ergo si anima Christi sine gratia habituali non est formaliter Sancta, necessaria est gratia habitualis, vt Sancta sit absolutè. Deindè: nam in communi Theologorum sententia, vel non est possibilis alia forma præter gratiam habitualem potens sanctificare formaliter, vel estò possibilis sit, de facto tamen non datur forma, à gratia habituali distincta, præstans formaliter effectum sanctitatis: ergo si anima Christi non fuit Sancta, & grata Deo per gratiam subsistantialem vnionis, rectè infertur, gratiam habitualem ad hunc finem necessariam esse, nempè, ad sanctificandum formaliter animam Christi Domini. Et hæc est dumtaxat oppositio, quam in præsen-

ti habemus cum Ill. Godoy, quæ satis soluta manet *disput.* 21.

§. Vnicus.

Resolvitur difficultas.

2 *Gratia habitualis fuit necessaria, vt eliceret connaturalitèr actus ordinis supernaturalis.*

IN hac disputatione primò cum Ill. Godoy convenimus in eo, quod gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi Domini; vt eliceret connaturalitèr actus ordinis supernaturalis. Sic Ill. Godoy *num.* 6. quod optimè probat *numer.* 7. hac ratione: nam tunc agens actum aliquem elicit modo connaturali, quando habet in se formam, ratione cuius inclinatur in illum; sed anima Christi Domini ratione propriæ entitatis non est ad supernaturales actus inclinata; alias supernaturales non essent, cum non excederent omnis naturæ exigentiam: ergo vt ad illos inclinetur, & consequenter, vt illos eliceat connaturalitèr, necessarium est, quod aliqua forma elevante suprà ipsius naturā existente afficiatur. At hæc forma elevans humanitatem Christi est gratia habitualis: ergo necessaria fuit, vt anima Christi Domini supernaturales actus eliceret modo connaturali.

3 *Gratia habitualis fuit necessaria ad merendum modo connaturali.*

Secundò convenimus in eo, quod gratia habitualis fuit necessaria Christo Domino, ad merendum connaturali modo præmium supernaturale; de potentia tamen absoluta potuit sine gratia habituali mereri. Ita Ill. Godoy *num.* 36. Et prima pars probatur: præmium supernaturale non potest dari, nisi propter actus supernaturales; sed actus supernaturalis nequit elici connaturali modo sine gratia habituali: ergo gratia habitualis fuit necessaria in Christo Domino, ad merendum connaturali modo præmium supernaturale. Consequentia est legitima. Minor patet *ex num. antecedent.* Maior autem est certa: nam præmium, & meritum æqualitatem proportionis servant.

Secunda pars probatur primò: intellectus creatus potest de potentia absoluta videre Deum sine forma, quæ sit habitus, & quin in ipso intrinsicè inhæreat: ergo paritèr: poterit anima Christi de potentia absoluta sine gratia habituali mereri. Consequentia est paritate legitima. Antecedens verò est nostra, & Scoti doctrina, quam latè fundavimus *tom.* 1. *disput.* 18. Probatur secundò: Deus potest supplere efficientiam omnis causæ secundæ; sed gratia habitualis est causa secunda efficiens respectu actus supernaturalis meritorij: ergo potest Deus supplere efficientiam illius: ergo actus meritorius potest de potentia absoluta elici sine gratia habituali: ergo potuit anima Christi Domini de potentia absoluta sine gratia habituali mereri.

4 *Sine gratia habituali potest esse meritum de potentia absoluta.*

Convenimus tertiò cum Ill. Godoy in eo, quod sine gratia supernaturali auxiliante non potuit Christus mereri præmium supernaturale, etiā de potentia absoluta. Hoc tenet Ill. Godoy *num.* 80. idque probat, & defendit *vsque ad num.* 136. quod in ipso videndum relinquo. His itaquè sine litigio præiactis, sit.

5 *Sine gratia supernaturali auxiliante repugnat præmium supernaturale.*

Conclusio: *Gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi Domini ad sanctificandum illam absolutè.* Hęc conclusio deducitur evidentèr ex dictis *disputatione* 21. & eius probatio videatur *numer.* 1. huius disputationis.

6 *Conclusio.*

Probata manet.

****
***

DISPVTATIO VIGESIMA QVARTA.

An fuerint in Christo virtutes per se acquisitæ, illasque habuerit à primo conceptionis instanti?

§. I.

Difficultas disputationis resoluitur.

Num. 1 *Virtutes per se infussæ fuerunt in anima Christi à 1. instanti suæ conceptionis.*

LIcèt in corollarijs huius disputationis aliquam oppositionē cum Ill. Godoy habeamus; nullam tamen in disputatione habemus; supponimus namquè vt certum, quod ipse vt certum apud Theologos supponit *num.* 1. scilicet, fuisse in anima Christi, sivè in potentijs illius, omnes virtutes supernaturales, & per se infussas, quæ cum statu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum non repugnant; ex quo etiam colligimus, quod ipse colligit *num.* 3. nempè, virtutes prædictas fuisse in anima Christi Domini à primo suæ conceptionis instanti, fuisseque in summa intensione de lege ordinaria possibili. Totum patet hac ratione: quidquid decens est animæ Christi Domini, est illi concedendum; sed virtutes omnes supernaturales, seu per se infussas, quæ cum statu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum non repugnant, fuisse in anima Christi Domini à primo suæ conceptionis instanti in summa intensione de lege ordinaria possibili, est decens illius animæ: ergo omnes virtutes supernaturales, seu per se infussę, quę cum statu beatifico; & vnione humanitatis ad Verbum non repugnant, fuerunt in anima Christi Domini à primo suæ conceptionis instanti in summa intensione de lege ordinaria possibili.

2 *Virtutes naturales, & per se acquisibiles fuerunt in anima Christi Domini.*

Deindè etiam, vt certam habemus conclusionem, quam ipse tradit *num.* 6. scilicet, virtutes naturales, & per se acquisibiles fuisse in anima Christi Domini; & ratio est: nam voluntas Christi non solum actus supernaturales, sed etiam naturales honestos elicuit, cum importent honestatem moralem cum vnione hypostatica, & beatifica visione non repugnantem, nec humanitati assumptæ indecentē; congruum autem sit, vt nulla bonitate morali istius conditionis carverit; sed vt istos actus promptè, facilè, & suavitèr, qualitèr decebant, eliceret, necessariæ erant virtutes per se acquisitæ naturalis ordinis, cum effectus formalis huiusmodi virtutum sit proptum reddere subiectum ad istorum actuum elicientiā: ergo fuerunt in voluntate virtutes per se acquisitę.

Denique: vt certam etiam habemus alteram Ill. Godoy conclusionē, quam statuit *num.* 36. scilicet, omnes virtutes morales per se acquisibiles Christo fuisse à primo suæ conceptionis instanti per accidens infussas. Hoc probat *num.* 45. 46. & 47; à nobis tamen sic ostenditur. Primò: nam Christus in primo instanti conceptionis suæ habuit omnes animæ potentias optimè dispositas in ordine ad finem, tàm naturalem, quàm supernaturalem: ergo habuit in eodem instanti virtutes naturales, sicut supernaturales, seu acquisibiles, sicut infussas, cum per virtutes naturales, & acquisibiles potentiæ disponantur in ordine naturali, sicut per infussas in ordine supernaturali. Secundò: quia perfectius est, & dignius Christo, habuisse à primò instanti conceptionis virtutes per se acquisibiles, quam illas decursu temporis suis actibus comparasse, quia compatatio virtutis supponit subiectum in carentia eiusdem, & carentia virtutis quædam imperfectio est, cum supponat subiectum saltem non perfectum simpliciter: ergo dicendum est, Christum habuisse illas virtutes per infusionem, cum Christo concedendum sit id, quod est dignius, & perfectius.

3 *Virtutes prædictæ fuerunt in Christo à 1 suæ conceptionis instāti per accidēs infussæ.*

§. II.

Corollaria de virtutibus per se acquisibilibus.

4 *Virtutes per se acquisibiles fuerunt in Christo cũ omni intensione posibili de lege ordinaria.*

EX his colligimus primò cum Ill. Godoy *num.* 78 : virtutes per se acquisibiles fuisse animę Christi infusas cum omni intensione de lege ordinaria posibili; ac proindè per exercitium actuum incrementum non suscepisse. Tùm; quia eadem est ratio de intensione harum virtutum, atque de illarum substantia, vt debuerint ab initio conceptionis infundi, vt consideranti constabit. Tùm etiam; nam quia decuit, quod habitualis gratia à primo instanti conceptionis fuerit in anima Christi, decens etiam iudicatur à Theologis ; quod ab illo tunc in anima Christi Domini extiterit cum omni intensione de lege ordinaria posibili, *vt diximus disput. 22. num. 15.* & docent Theologi communitèr: ergo si ob Christi decentiam fuerunt huiusmodi virtutes infusæ per accidens ab initio conceptionis, idem est de illarum incremento intensivo ferendum iudicium.

5 *Sine his virtutibus non potuit elicere facilitèr actus illarum.*

Secundò colligimus cum eodem *num.* 79 : quod licèt de potentia ordinaria potuit Christus sine his virtutibus elicere actus prædictarum virtutum ; sine illis tamen, nec de potentia Dei absoluta potuit cum facilitate, & promptitudine exercere illarum actus. Primum est manifestum. Secundum probatur: nam effectus formalis alicuius formæ adęquatus, non potest sine illa ; etiam de potentia absoluta, præstari; sed promptitudo, seu facilitas ad operandum honestè ex motivo naturali, est effectus formalis adæquatus virtutis per se acquisibilis: ergo sine illa non potuit Christus, etiam de potentia absoluta, elicere promptè, & facilitèr actum honestum ex motivo naturali.

6 *Liberalitas, & magnificentia fuerunt in Christo.*

Colligitur tertiò cum eodem *num.* 80: fuisse in Christo magnificentiam, & liberalitatem. Iustitiam vindicativam, Eutropeliam, & Philotymiam. Prima pars corollarij probatur. Primò : liberalitas, & magnificentia versantur erga divitias, non solum illas distribuendo, provt quomodo, & quando oportet, sed etiam illa pœnitus contemnendo, vt advertit Ill. Godoy, quod Christus fecit, vt in Sacra Scriptura patet : ergo habuit liberalitatem, & magnificentiam. Secundò: illæ virtutes non consistunt in actuali exercitio, sed in qualitate permanente; quæ sit productiva actus liberalitatis, & magnificentiæ ; vndè pauperes possunt esse liberales : ergo Christus, licèt fuerit pauper, & obediens, nihilominùs fuit liberalis. Tertiò: quia, vt notat Ill. Godoy, Christus exercuit altiorem liberalitatis actum modo sibi convenienti, scilicet, faciendo erogari pauperibus, quæ sibi dabantur : ergo nequit liberalitas Christo Domino negari.

7 *Fuit in Christo iustitia vindicativa.*

Secunda pars corollarij, nempè, quod fuerit in Christo iustitia vindicativa, probatur : nam duplex est eius actus. Primus est : petere à legitimo Iudice vltionem peccati. Secundus est: iniurias suas, vel Dei, defendendo propulsare, vt notat Ill. Godoy cum D. Thoma 2.2. *quæst.* 108. *artic.* 1. & 2. quorum neuter Christo repugnat, imò etiam vtrumquè exercuit. Primum, cum *Ioann.* 8. petijt adulteram lapidari, dicens : *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mitat.* In quo dicto Christum obseruasse Iustitiam, docuit Augustinus *tract.* 33. *in Ioann.* de Iustitia vindicativa necessario intelligendus. Secundum etiam exercuit cum Iudæis Christo conviciantibus, quod Dæmonium in se haberet ; propriam propulsans iniuriam, respondit: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum ; vos autem inhonorastis me.* Vbi Theophilatus ait, Patrem suum honorasse, vlciscendo. Quod etiam opere fecit. *Ioann.* 2. *cap.* cum facto ex funiculis flagello eiecit de Templo ementes, & vẽdẽtes.

8 *Eutropelia fuit in Christo.*

Tertia pars, scilicet, fuisse in Christo Eutropeliam, ostenditur : nam virtus Eutropeliæ versatur circa Iocos, & ludos, tamquam propriam materiã illius; sed non versatur circa Iocos, & ludos, vt exercendos tantùm, sed vt contemnendos: ergo habuit Christus virtutem Eutropeliæ. Maior est certa. Minor patet paritate liberalitatis, & magnificentiæ, quæ iuxta dicta *numer.* 6. non versantur circa diuitias, illas solum distribuendo, sed etiam illas contemnendo. Consequentia verò probatur : Eutropelia versatur circa Iocos, & ludos, non solum vt exercendos, sed etiam vt contemnendos; sed Christus Iocos, & ludos contemsit, vt est apud omnes certum : ergo

habuit Christus prædictam virtutem Eutropeliæ.

9 *Fuit in Christo Philotymia.*

Vltima tandem pars corollarij, nempè, quod in Christo fuit Philotymia, probatur: nam hæc virtus inclinat appetitum ad parvos honores acceptandos, vt ait Ill. Godoy *numer.* 83. ex D. Thoma; atqui Christus acceptavit parvos honores de facto, quando turbæ clamaverunt: *O ſanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini*: ergo actum proprium Philotymiæ exercuit de facto Christus: ergo fuit in Christo Philotymia.

§. III.

Corollarium de virtutibus moralibus.

10 *Fuit in Christo pœnitentia.*

QVartò colligitur: fuiſſe in Chriſto ex moralibus virtutibus pœnitentia. Hoc docuit Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *§. ad* 1. *argum.* eitque contra Ill. Godoy *numer.* 84. & previtèr oſtenditur, ſupponendo duo per oppoſitum ad duo, quæ ſupponit ipſe. Primum eſt: pœnitentiam non eſſe virtutem diſtinctam à Iuſtitia vindicativa. Secundum eſt: actum primarium, & ſpecificativum pœnitentiæ (dato, quod ſit virtus à Iuſtitia vindicativa diſtinctum) non eſſe dolorem peccati ex motivo emendationis, nec eſſe intentionem operandi ad delectionem peccati proprij præteriti; ſed eſſe dolorem peccati ex motivo reſarciendi iniuriam Deo illatam, vel eſſe intentionem operandi ad delectionẽ peccati præteriti, ſivè proprij, ſivè alieni, & ratio ſumitur ex Scoto docente: non pertinere ad rationem eſſentialem pœnitentiæ, quod peccatum ſit commiſſum à ſubiecto pœnitente.

Scotus.

11 *Probatur.*

Quibus ſuppoſitis probatur, habitum pœnitentiæ fuiſſe in humanitate Chriſti: ideò non fuiſſet in humanitate Chriſti habitus pœnitentiæ, quia illi ab intrinſeco repugnaret actus primarius illius; ſed humanitati Chriſti ab intrinſeco non repugnat actus pœnitentiæ primarius: ergo nec habitus pœnitentiæ, & conſequentèr fuit in Christo. Probatur minor: ideò humanitati Chriſti repugnaret actus pœnitentiæ primarius, quia ipſi ab intrinſeco repugnaret obiectum ſpecificans actum pœnitentiæ primarium; ſed humanitati Chriſti ab intrinſeco non repugnat obiectum ſpecificans actum pœnitentiæ primarium: ergo humanitati Chriſti ab intrinſeco non repugnat actus pœnitentiæ primarius. Probatur minor: ideò humanitati Chriſti ab intrinſeco repugnaret obiectum ſpecificans actum pœnitentiæ primarium, quia obiectum illius eſſet peccatum ſubiecti pœnitentis, vt expiabile, vel vt emmendabile; ſed hoc eſt falſum, vt cum Scoto diximus *numer. antecedent.* ergo humanitati Chriſti ab intrinſeco non repugnat obiectum ſpecificans actũ pœnitentiæ primariũ.

12 *Arguit Ill. Godoy.*

Hæc probatio formalizata eſt per oppoſitum ad probationem Ill. Godoy, qui *numer.* 84. ſic contra nos arguit: non enim poteſt habitus eſſe in ſubiecto, cui ab intrinſeco repugnat illius actus primarius; ſed humanitati Chriſti ratione vnionis ad Verbum ab intrinſeco repugnat actus pœnitentiæ primarius: ergo & habitus pœnitentiæ. Probatur minor: cui repugnat obiectum ſpecificans actum, & actus ipſe repugnat; ſed humanitati Chriſti ratione vnionis ad Verbum ab intrinſeco repugnat obiectum ſpecificans actum pœnitentiæ primariũ, cum illius obiectũ ſit peccatum ſubiecti pœnitentis, vt expiabile, vel vt emmendabile, quod humanitati Chriſti ex vi vnionis ad Verbum repugnat, vt contra Scotum docet communis ſententia *infrà quæſt.* 15: ergo repugnat illi actus pœnitentiæ primarius.

13 *Reſpondeo.*

Reſpondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem (ommiſſo, quod humanitati Chriſti ex vi vnionis ad Verbum repugnet peccatum, de quo hic non eſt curandum, & *tom. ſequent.* contra ipſum reſpondendum) nego maiorem cum probatione imbibita; quia obiectum pœnitentiæ non eſt peccatum ſubiecti pœnitentis, vt expiabile, vel vt emmendabile; ſed eſt, vt diximus, peccatum ſubiecti pœnitentis, vel alterius ſubiecti, eo quod ad rationem eſſentialem pœnitentiæ non pertineat, quod peccatum ſit commiſſum à ſubiecto pœnitente. Et ratio eſt: nam non implicat, quòd me pœniteat de malo, quod Petrus committit, nec quod peccatum ab eo commiſſum contra Deum ego vindicem, in quo pœnitentia conſiſtit.

***

§. IV.

Corollarium de Virtutibus Theologicis.

14 *In Christo non fuit fides.*

QVintò colligitur: ex virtutibus Theologicis fidem non fuisse in Christo; benè verò spem. Quod autem in Christo non fuerit fides, est communis Theologorum consensus; in ratione tamen ab Ill. God. dissentimus; hic namquè *num.* 85. sic probat, in Christo non fuisse fidem: obiectum primarium fidei est res Divina non visa; sed tale obiectū non habet locum in Christo, qui ab instanti conceptionis clarè vidit Dei essentiā: ergo nec habitus fidei. Hanc consequentiam probat ex eo, quod stare non potest, habitum convenire subiecto, cui primarium obiectum talis habitus repugnat.

Probat Ill. Godoy.

15 *Reijcitur 1*

Hæc tamen ratio sufficiens non est, & reijcitur. Primò: ideò probat Ill. Godoy, habitū fidei non fuisse in Christo, quia stare non potest, habitum convenire subiecto, cui primarium obiectum talis habitus repugnat; sed stare potest habitum convenire subiecto, cui obiectum primarium talis habitus repugnat: ergo ratio ipsius non probat. Minor ostenditur primò: stare potest: actum convenire subiecto, cui obiectum primarium talis actus repugnat: ergo pariter: stare potest habitum convenire subiecto, cui obiectū primarium talis habitus repugnat. Consequentia est paritate certa. Antecedens probatur: Christo convenit actus spei; sed obiectum primarium actus spei repugnat Christo: ergo stare potest: actum convenire subiecto, cui obiectum primarium talis actus repugnat. Consecutio legitima videtur. Maior patet: nam iuxta plures Theologos extra nostram Scholam, ex quibus ipse Ill. Godoy *num.* 88. citat Vasquium *disput.* 43. *cap.* 2. Christo convenit actus verus spei circa gloriā sui corporis, suique nominis exaltationem. Minor est certissima; nam Christo repugnat obiectum primariū actus spei iuxta omnes Theologos; quod fatetur, & probat Ill. God. *n.* 86.

hæc ratio.

16 *Reijcitur 2*

Sed quia id, quod de habitu fidei asserit Ill. Godoy, tenet etiam de habitu spei; aliter contra ipsum ex doctrina generali Thomistarum ostenditur secundò minor prędicta, & secundò reijcitur illius probatio: stat, potentiam convenire subiecto, cui repugnat actus correspondens potentiæ: ergo stare potest, habitum convenire subiecto, cui obiectum primariū talis habitus repugnat. Consequentia est paritate notoria. Antecedens probatur: stat, Angelum in primo instanti habere potentiam elicitivam peccati cum repugnantia elicientię peccati: ergo stat, potentiam convenire subiecto, cui repugnat actus correspondens potentiæ. Antecedens est Thomistarum asserentium: repugnare, Angelum in primo instanti peccare, non defectu potentiæ elicitivæ, quæ est voluntas, sed defectu applicationis. Consequentia videtur contra ipsos certa.

Vrgetur.

Vrgetur ad hominem contra Ill. Godoy: hæc propositio: *Stare non potest, habitum convenire subiecto, cui primarium obiectum talis habitus repugnat*, est falsa iuxta ipsum: ruit ergo fundamentum illius. Probatur antecedens: hæc propositio: *Stare non potest, habitum convenire subiecto, cui actus primarius talis habitus repugnat*, est falsa iuxta Ill. Godoy: ergo etiam illa. Deindè: hæc propositio: *Stare non potest, potentiam convenire subiecto, cui actus primarius talis potentiæ repugnat*, est falsa iuxta ipsum: ergo pariter, hæc propositio: *Stare non potest, habitum convenire subiecto, cui primarium obiectum talis habitus repugnat*. Consequentia est paritate notoria. Antecedens verò probatur: hæc propositio: *Non stat, habitum convenire subiecto, cui omnis actus talis habitus repugnat*, est vera iuxta Ill. Godoy *disp.* 25. *num.* 7. Item: hæc propositio: *Non stat, potentiam convenire subiecto, cui omnis actus talis potentiæ repugnat*, est vera iuxta ipsum *citat*: ergo hæc propositio: *Stare non potest, potentiam convenire subiecto, cui actus primarius talis potentiæ repugnat*, est iuxta ipsum falsa. Consequentia infertur; alioquin ita verum esset, obiectum primarium, vel primarium actum repugnare alicui, ac ipsi repugnare omne obiectum, vel omnem actum, quod falsum apperte videtur.

17 *Reijcitur 3*

Ostenditur tertio minor prædicta, & tertio reijcitur probatio Ill. God: vt habitus possit convenire subiecto, sufficit, quod circa aliquod obiectum, etsi secundarium, possit operari, vel operaturus sit: ergo ratio Ill. Godoy non probat. Probatur antecedens: vt

habitus poſsit convenire ſubiecto, ſufficit, vt non ponatur ſuperfluus; ſed dummodo circa aliquod obiectum, etſi ſecundarium, poſsit operari, vel operaturus ſit, non ponitur ſuperfluus: ergo vt habitus poſsit convenire ſubiecto, ſufficit, quod circa aliquod obiectum, etſi ſecundarium, poſsit operari, vel operaturus ſit.

Quartò. Quartò reijcitur: nam Chriſto ratione viſionis beatificæ repugnare obiectū primarium ſpei; ipſique convenire actum, & habitum ſpei, ſtatuemus infrà, ſolvendo argumentum Ill. Godoy contra tertiam partem corollarij.

18 *Vera ratio corollarij.* Vndè in Chriſto non fuiſſe fidem, ſic à nobis probatur: fides ordinatur ad viſionem beatificam, cuius vices gerit, iuxta illud Pauli 1. *ad Chorinthios* 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: ergo adveniente viſione fides ceſſat: ergo in Chriſto, in quo fuit viſio beatifica, non fuit fides, vt ſuadet Apoſtolus, dicens: *Cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.* Confirmatur: Chriſtus fuit ab inſtanti conceptionis perfectiſsimè beatus: ergo omnia clariſsimè cognovit: ergo non habuit actum fidei. Probatur hæc conſequentia: actus viſionis, & actus fidei inter ſe repugnant etiam de potentia abſoluta; ſed Chriſtus habuit actum viſionis circa omnia: ergo non habuit actum fidei. Minor, & conſequentia tenent. Maior conſtat: nam aſſenſus fidei eſt obſcurus, & dicit eſſentialitèr obiectum non viſum; actus verò viſionis eſt clarus, & dicit obiectum viſum; ſed viſum, & non viſum inter ſe repugnant, etiam de potentia abſoluta, quia contradictoriè opponuntur: ergo actus viſionis, & actus fidei inter ſe repugnant, etiam de potentia abſoluta.

Confirmatur.

19 Et licèt hac ratione ſolum videatur probare: fidem quoad actum non fuiſſe in Chriſto; ratio non deficit, vt etiam tollatur à Chriſto fides quoad habitum. Habitus namquè fidei inclinat ad cognitionem obſcuram, quæ eſt imperfecta: ergo non eſt in Chriſto ponendus. Deindè: quia talis habitus eſſet ſuperfluus; cum numquam futurus ſit actus, vt habet Scotus *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 11. his verbis: *Non enim poteſt poni aliqua forma, ſcilicet, habitus, in beato ſolum ad decorem, & pulchritudinem, & quod non ordinetur ad actum.* Idemque docet *in* 3. *diſt.* 31. §. *reſpondeo.* Vndè non tollitur à Chriſto habitus fidei, quia repugnet cum habitu luminis gloriæ, aut cum viſione beata; non enim cum illis repugnat, vt docuit Doctor *in* 3. *cit.* ſed tollitur ratione imperfectionis, & ſuperfluitatis.

Nec dicas: quod circa obiecta diverſa materialia non repugnant ſimul fides, & ſcientia, ideòque poſſe ſimul eſſe in beatis, tenet Scotus *in* 3. *diſt.* 31. §. *ad* 1. *argument.* Non (inquam) hoc dicas, quia licèt hoc verum ſit de cæteris beatis, eo, quod aliqua non videant, quæ credere poſſunt; falſum tamen eſt de Chriſto, cum omnia videat, ſivè per viſionem, ſivè per ſcientiam infuſſam, quæ cum ſit clara, etiam cum fide repugnat.

20 *Dices.* *Reſpondetur.*

Secunda denique pars corollarij, nempè, ſpem fuiſſe in Chriſto, eſt Scoti doctrina *in* 3. *diſt.* 26. §. *ad* 1. *horum*, quem præter ſuos (aliquo excepto) ſecuti ſunt Suarez *quæſt.* 7. *artic.* 4. Becanus *cap.* 8. *quæſt.* 8. Vazquez *diſp.* 43. *cap.* 2. Reguſa *diſput.* 71. & plures alij, etſi non omnes ſpem quoad habitum in Chriſto collocent. Fuiſſe tamen in Chriſto ſpem quoad habitum, id eſt, in Chriſto fuiſſe habitum ſpei, probatur primò: in Chriſto fuit actus proprius ſpei: ergo fuit in illo habitus ſpei. Antecedens oſtendunt noſtri Scotiſtæ *tract. de Virtutibus Theologicis*, illudque nos oſtendemus infrà contra Ill. Godoy procedendo. Conſequentia probatur: nam ille Chriſti actus elici debet ab aliquo habitu, vt connaturaliùs evadat; ſed non ab alio connaturaliùs, quam ab habitu ſpei: ergo fuit in Chriſto habitus ſpei. Conſequentia eſt legitima. Minor videtur connaturalis, & ipſam contra Ill. Godoy firmavimus infrà. Maior eſt certa, & patet: quia actus non procedens ab habitu, non elicitur connaturaliùs; quo circa *diſput. præcedent.* neceſsitatem gratiæ habitualis in Chriſto ad connaturalem ſupernaturalium actuum elicientiam conſtituimus cum Ill. Godoy: ergo ille Chriſti actus elici debet ab aliquo habitu, vt connaturaliùs evadat.

21 *Habitus ſpei fuit in Chriſto.*

Probat. 1.

Probatur ſecundò per oppoſitum ad rationem Ill. God: ideò in Chriſto non eſſet habitus ſpei, quia, cū Chriſto repugnet obiectum primarium habitus ſpei, & habitus ipſe repugnare debet, eo, quia cum repugnat obiectum

22 *Secundò.*

pri-

primarium habitus,& habitus ipſe repugnat; ſed ſtat,quod Chriſto repugnet obiectum primariũ habitus ſpei, quin habitus ſpei repugnet illi : ergo Chriſto non repugnat habitus ſpei, & conſequentèr eſt in illo ponendus. Minor, inqua eſt difficultas, probata manet ex dictis *num.*16. *&* 17. per ſecundam, & tertiam impugnationem, ibi contra Ill. Godoy formatam, & vltra probatur,rationẽ illius ſolvẽdo.

23 *Arguit Ill. Godoy.* Arguit Ill. Godoy *num.*86:cui namquè repugnat obiectum primarium habitus, & habitus ipſe repugnat; ſed Chriſto ratione viſionis beatificæ repugnat obiectum primarium ſpei: ergo & ipſa virtus repugnat. Minor probatur : obiectum primarium ſpei eſt Deus,vt non poſſeſſus;ſed ex vi viſionis beatificæ poſsidetur Deus à Chriſto, & conſequentèr tollitur non poſſeſsio : ergo cum viſione beatifica repugnat obiectum primarium ſpei. *Confirmatur.* Confirmatur : quia obiectum primarium fidei eſt res Divina non viſa, & Chriſtus clarè videt Deum, excluditur fides ab illo in ferè omniũ Theologorum ſententia;ſed obiectum primarium ſpei eſt,non quodlibet ſperabile, ſed res Divina non poſſeſſa, in ordine ad quam cætera attinguntur per ſpem,de quo 2. 2. *quæſt.*17.*art.*1. & Chriſtus per viſionem beatificam perfectè poſsidet Deum : ergo eſt ab illo virtus ſpei releganda.

24 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum negando maiorem ; quia habitus non repugnat ſubiecto,quia obiectum primarium habitus ipſi repugnet, ſed quando obiectum primarium, & ſecundarium habitus illi repugnat ; & ratio videtur manifeſta:nam tunc habitus ſubiecto repugnat,quando omninò ſuperfluus eſſet in ſubiecto ; ſed licèt obiectum primarium habitus repugnet ſubiecto, non omninò ſuperfluus eſſet habitus in illo, ſi obiectum ſecundarium non repugnet ; nã tunc iam eſſet obiectum, circa quod habitus poſsit operari, vel operaturus ſit: ergo habitus non repugnat ſubiecto, quia obiectum præciſsè primarium habitus ipſi repugnet, & conſequentèr falſa abſolutè eſt maior Ill. Godoy. Et iuxtà hanc doctrinam diſtinguo maiorem argumenti primò : cui repugnat obiectum primarium, & ſecundarium habitus,& habitus ipſe repugnat concedo maiorem;cui repugnat obiectum primarium habitus dumtaxat, & habitus ipſe repugnat nego maiorem ; diſtinguo minorem: Chriſto ratione viſionis beatificæ repugnat obiectum primarium ſpei dumtaxat concedo minorem; obiectum primarium, & ſecundarium nego minorem,& conſequentiam. Diſtinguo ſecundo: cui repugnat obiectum primarium habitus, & habitus ipſe repugnat, quoad actum præcipuum illius concedo maiorẽ ; quoad omnes illius actus nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione data.

25 *Ad confirmation.* Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo maiorem : quia obiectũ primarium fidei eſt res Divina non viſa, & Chriſtus clarè videt Deum, excluditur fides ab illo, quoad primò credibilia concedo maiorem ; quoad ſecundario credenda nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens : ergo eſt ab illo relegandã virtus ſpei, quoad primò ſperabilia concedo conſequentiam ; quoad ſecundario ſperanda nego conſequentiam. Vel nego abſolutè maiorem confirmationis ob rationem, qua maiorem argumenti negavimus. Theologi namquè non excludunt abſolutè fidem à Chriſto,quia clarè videt Deum præciſsè;ſed quia clarè cognovit,non ſolum quæ ad Deum ſpectant, quæ ſunt primò credibilia; ſed etiam ſpectantia ad creaturas,quę ſunt ſecundario credenda,vt diximus *num.*18.

26 *Solutio firmatur doctrina Ill. Godoy.* Imò hæc eſt expreſſa, & litteralis doctrina Ill. Godoy *numer.* 87. cuius verba ad litteram tranſcrivo. *Vbi obitèr* (inquit) *eſt advertenda differentia, quam ſtatuit D. Thomàs artic.* 4. *in corpore inter fidem, & ſpem, quod, videlicet, quia Chriſtus clarè, & perfectè cognovit,non ſolum,quæ ad Deum ſpectant, quæ ſunt primo credibilia ; ſed etiam ſpectantia ad creaturas,quæ ſunt ſecundario credenda, nec quoad primo credibilia, nec etiam quoad ſecundario credenda fuit in Chriſto fidei actus; in ſpe verò oppoſitum oppoſita de cauſa contingit;nam licèt Chriſtus perfectè poſsideat Deum, qui eſt obiectum primarium ſpei; non tamen alia extra Deum,& ideò circa illa, quæ nondum adeptus fuit, quamdiu erat viator,& comprehenſor, vt gloriam corporis, ſuique nominis exaltationem, habuit Chriſtus actum ſpei.* Eecè verba Ill. Godoy apertè approbantia noſ-

tram solutionem ad argumentum, & illius confirmationem.

27 *Retorq.* 1. Nunc autem ex illius verbis contra ipsum argumentum, & confirmationem retorqueo primò: si Christus solum clarè cognovisset, quæ ad Deum spectant, non tam absolutè fidem ab illo excluderent Theologi, ac modò excludunt, eo, quod clarè cognovit, non solum, quæ ad Deum spectant, sed etiam spectantia ad creaturas; atqui nunc excludunt à Christo fidem quoad primò, & secundario credibilia: ergo tunc excluderent fidem ab illo quoad primò tantum credibilia. Consequentia est legitima. Minor est manifesta, & à Theologis confessa.

28 *Maior patet* 1. Maior verò patet primò: nam si Christus solum clarè cognovisset, quæ ad Deum spectant, solum esset motivum, vt Theologi excluderent à Christo fidem quoad primò credibilia; modò autem clarè, scilicet, cognoscendo, quæ ad Deum, & creaturas spectant, est motivum, vt Theologi excludāt ab illo fidem, quoad primò, & secūdario credibilia: ergo si Christus solum clarè cognovisset, quæ ad Deum spectant, non tam absolutè fidem ab illo excluderent Theologi, ac modò excludunt, eo, quod clarè cognovit, non solum, quæ ad Deum spectant, sed etiam spectātia ad creaturas.

Secundò. Patet secundò: nam quia Christus habuit solum perfectam Dei possessionem, non tantum possessionem perfectam aliorum extra Deum, non tam absolutè Theologi excludunt spem ab illo, ac excluderent, si habuisset perfectam Dei, & aliorum extra Deum possessionem, quia si ita fuisset, quot Theologi excludunt à Christo fidem, excluderent ab illo spem, cuius oppositum apparet in tot Theologis, quot sunt in nostra Schola, aliquo tantum excepto, & in pluribus extra illam, pro quibus sufficiant gravissimi Authores quos *num.* 21. retulimus: ergo idem quod antea.

29 *Infero* 1. Supposita igitur veritate syllogismi suprà positi. Infero nunc primò contra Ill. Godoy: ergo cum impossibilitate obiecti primarij habitus stare potest possibilitas ipsius habitus. Probatur hæc consequentia: cum impossibilitate obiecti primarij habitus stat possibilitas obiecti secundarij; nam cum impossibilitate non possessionis Dei stat possibilitas non possessionis aliorum extra Deum, vt fatetur Ill. Godoy: ergo stare poterit possibilitas habitus operaturi, vel potentis operari circa obiectum secundarium: ergo cum impossibilitate obiecti primarij habitus stare potest possibilitas ipsius habitus, & consequenter nullum est argumentum Ill. Godoy.

30 *Infero* 2. Infero secundò: ergo nulla est paritas confirmationis Ill. Godoy. Probatur consequentia: paritas, quæ nottoriam habet disparitatem, nulla est; sed paritas confirmationis Ill. Godoy habet adhuc apud ipsum nottoriam disparitatem: ergo nulla est paritas confirmationis ipsius. Maior, & consequentia tenent. Minor autem alia probatione non indiget, nisi verba Ill. Godoy, quæ *num.* 26. transcripsimus, præ oculis habere.

31 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò confirmationem: si quia obiectum primarium fidei est res Divina non visa, & Christus clarè videt Deum, excluditur fides ab illo in ferè omnium Theologorū sententia, omnes ferè Theologi, qui fidem à Christo excludunt, spem ab eodem excluderent; sed hoc est falsum: ergo falsum est, quod quia obiectum primarium fidei est res Divina, & Christus clarè videt Deum, excludatur fides ab illo in ferè omnium Theologorum sententia. Consequentia legitimè infertur. Maior constat; nam sicut in omnium Theologorum sententia obiectum primarium fidei est res Divina non visa, & Christus clarè videt Deum; ita in omnium Theologorum sententia obiectum primarium spei est res Divina non possessa, & Christus perfectè possidet Deum ratione visionis beatificæ. Minor per dicta *n.* 28. sufficiētèr apparet.

32 *Retorq.* 3. Retorqueo tertiò: æquè omnes Theologi fatentur, quod obiectum primarium fidei sit res Divina non visa, & quod Christus clarè videt Deū; ac quod obiectum primarium spei sit res Divina non possessa, & quod Christus perfectè Deum possideat; sed hoc non obstante sine litigio inter Theologos, an in Christo fuerit fides? Litigant inter se, an in Christo fuerit spes? ergo nulla est paritas ab Ill. Godoy in confirmatione posita. Maior est indubitata. Minor ex præsenti patet disputatione; omnes namquè Theologi conveniunt in relegandā à Christo fide, vt diximus *num* 14. & ta-

men

men est inter ipsos litigium in relegandâ spe ab illo, vt ex dictis apparet. Consequentia est legitima; alioquim Theologi, qui, negando fidem in Christo, spem in illo fuisse, assererent, inconsequenter procederent, quod nemo illis imputabit, nec ex hoc capite aliquis contra ipsos argumentum sumpsit, nec de tot gravissimis Authoribus dicendum licet.

33 *Fuit in Christo actus proprius spei.*

Quod etiam in Christo fuisset actus proprius spei, facillimè à nobis ex dictis convincitur; & ratio est: nam iuxta dicta fuit in Christo habitus spei: ergo etiam fuit in illo actus proprius spei. Probatur consequentia: si in Christo non fuisset actus proprius spei, non fuisset in illo habitus spei; sed fuit in Christo habitus spei: ergo fuit in illo actus proprius spei. Probatur maior: si non fuisset in Christo actus proprius spei, superfluus in illo fuisset habitus spei; sed habitus spei non fuit in Christo superfluus; alioquim non poneretur in ipso: ergo si in Christo non fuisset actus proprius spei, non fuisset in illo habitus spei. Probatur maior: nam ideo excluditur à Christo habitus fidei, vt superfluus, quia numquam eliciturus esset actum fidei, vt diximus cum Scoto *n.* 19: ergo si non fuisset in Christo actus proprius spei, superfluus in illo fuisset habitus spei.

34 *In Christo non fuit actus spei circa gloriam animæ.*

His itaque de habitu, & actu spei breviter præiactis, quia de his agere, ad *tract. de Virtutibus Theologicis* pertinet, scire restat, circa quæ obiecta habuit Christus actum proprium spei? Et supposito: in Christo non fuisse actum spei circa gloriam animæ, quia perfectè illam possidebat, seu vt alij dicunt: non fuisse in Christo actum spei circa Deum, qui est obiectum primarium spei, quia, vtpotè, beatus, Deum perfectè possidebat, restat dubium circa obiecta secundaria, inter quæ de desiderio circa gloriam corporis, & nominis exaltationem, quod fuisse in Christo, est certum apud omnes, & constat ex *Psalmo* 17: *Deus meus sperabo in eum*, movet dubium Ill. Godoy, *num.* 88. verbis sequentibus.

35 *Dubitatio 1 Ill. Godoy.*

Circa quem actum (loquitur de gloria corporis Christi, suique nominis exaltatione) disputari poterat primò: an fuerit verus actus spei, vt à simplici desiderio distinguitur? Respondet negativè Ill. Godoy *num. cit.* quod probat ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 18. *artic.* 2. *ad* 4. vbi docet: habentibus gloriam animæ, non esse gloriam corporis arduam sufficienti modo, vt terminet actum spei, eo quod gloria animæ est sufficiens gloriæ corporis causa: ergo sentit D. Thomàs arduitatem ad actum spei verum, & proprium exactam, excludere causam sufficientem intrinsecam boni futuri, actum spei terminantis; at Christus, vtpotè, gloria animæ dotatus, habebat in se ipso sufficientem causam gloriæ corporis futuræ: ergo non speravit illam per actum proprium spei, à simplici desiderio distinctum, etsi ad actum spei proximiùs videatur accedere, quâ simile desiderium Beatorũ, vt insinuat D. Thomàs *artic. citat. ad* 1. eo, quod gloria corporis erat à Christo laboribus obtinenda; non autem ab alijs Beatis. Quia tamen labores illi fuerunt voluntariè suscepti, & in se ipso habebat gloriæ sui corporis sufficientem causam, ideò non fuit actus proprius spei, à simplici desiderio distinctus ab illo, quo gloriam corporis expectavit.

36 *Sententia affirmativa.*

Affirmativè tamen respondendum existimo cum Scoto *in* 3. *dist.* 26. *§. ad primum horum*, & probatur primò: desiderare rem futuram, & arduam est actus verus spei, vt à simplici desiderio distinguitur; sed Christus desideravit gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem, quæ futuræ erat, & illi arduæ: ergo actus, quo Christus desideravit gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem, fuit verus actus spei. Consequentia est legitima. Maior apud Theologos indubitata. Minor quoad vltimam partem, in qua tota præsens stat difficultas, probatur: nam arduitas consistit in difficultate consecutionis rei speratæ, sivè hæc difficultas oriatur ex magnitudine rei speratæ, superante vires nostras, sivè ex alijs circunstantijs, ex quibus vna est labor; atqui Christus per labores, nempè, per dolores, & tormenta acquisivit gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem: ergo gloria corporis, & nominis exaltatio fuerunt Christo Domino arduæ.

Scotus.

Probat. 1.

37 *Probat. 2. ad homin. contra Ill. Godoy.*

Probatur secundò ad hominem contra Ill. Godoy: sicut ad fugam mali culpæ, quæ est actus doni timoris strictè sumpti, requiritur, quod sit malum arduum, possibile, & futurum, ita ad actum spei strictæ sumptæ requiri-

tur,

tur, quod ſit bonum, arduum, poſsibile, & futurum; ſed ablata arduitate, & futuritione à malo culpæ, ſtat in Chriſto actus doni timoris ſtrictè ſumpti, quæ eſt fuga mali culpæ: ergo ablata arduitate, & futuritione à bono, ſtabit in Chriſto actus ſpei ſtrictè ſumptæ. Maior eſt vniverſaliter certa. Minor eſt ſententia probabilis Div. Thomæ, quam ex Caietano ſequitur Ill. Godoy *diſput.* 25. *num.* 20. vniverſaliterque probatur ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 11. *in corpore*, dicente: *Fuga ergo huius mali, quod eſt Deo non ſubijci, vt poſsibilis naturæ, impoſsibilis autem beatitudini, erit in Patria*: ergo ablata arduitate, & futuritione à malo culpæ, ſtat in Chriſto actus doni timoris ſtrictè ſumpti. Infero nunc: ergo adhuc ablata arduitate in Chriſto circa gloriam corporis, fuit in Chriſto actus ſpei ſtrictè ſumptæ circa illam. Conſequentia eſt ex dictis manifeſta.

38 *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *diſput.* 25. *numer.* 56. maiorem eſſe veram de fuga mali culpæ, quæ eſt actus doni timoris anxij, & pręcaventis à malo; falſam verò de fuga, quę eſt actus doni timoris ſecuri; ad hunc enim actum ſufficit, quod malum ſit poſsibile naturæ humanæ ſecundum ſe inſpectæ, etſi impoſsibile ratione beatitudinis.

39 *Contra.* Contra: ergo ablata arduitate, & futuritione à malo culpæ, datur in Chriſto actus doni timoris ſecuri, qui eſt fuga mali culpę: ergo ablata arduitate, & futuritione à bono, dabitur in Chriſto actus ſpei. Probatur conſequentia: ſi ablata arduitate, & futuritione à malo culpæ, datur in Chriſto actus doni timoris ſecuri, qui eſt fuga mali culpæ, non eſt ratio, cur ablata arduitate, & futuritione à bono, non detur in Chriſto actus ſpei; ſed per te ablata arduitate, & futuritione à malo culpæ, datur in Chriſto actus doni timoris ſecuri, qui eſt fuga mali culpæ: ergo ablata arduitate, & futuritione à bono, dabitur in Chriſto actus ſpei.

40 *Reſpond. 1.* Reſpondet primò Ill. Godoy *citat.* ſufficere pro ratione communem modum loquendi Theologorum, qui nomine ſpei ſemper intellexerunt proſecutionem boni ardui, poſsibilis, & futuri; nomine verò timoris ad vtrũque modum fugiendi malum extendunt.

Contra. Contra: quia plures Theologi ablata arduitate de futuritione à bono, concedunt in Chriſto actum ſpei, imo de hoc eſt quæſtio: ergo ſolutio eſt nulla.

Reſpond. 2. Reſpondet ſecundò: diſcrimen eſſe: quod per ſpem non ſperatur Omnipotentia ipſa, ſed bonum in vi Omnipotentiæ poſsibile, Omnipotentia ingrediẽte *vt quo*, & bono *vt quod*; at per donum timoris non ſolum malum, ſed etiam potentia inflictiva mali timetur. Sed vltrà hoc, quod hæc ſolutio ſupponit, Omnipotentiam, vt auxiliantem, eſſe obiectum formale *quo* habitus ſpei, quod eſt contra Scotum, ſic contra ipſam inſurgo:

Contra. non minus reſpectu timoris potentia inflictiva mali, & ipſum malum ingrediuntur vt *quod*, ac reſpectu ſpei bonũ ingreditur vt *quod*; ſed ablata arduitate, & futuritione à potentia inflictiva mali, & ipſo malo, ſtat in Chriſto actus doni timoris, qui ſit fuga potentiæ inflictivæ mali, & ipſius mali: ergo paritèr: ablata arduitate, & futuritione à bono, ſtabit in Chriſto actus ſpei.

41 *Probat. 3. ad homin. cõtra ipsũ.* Probatur tertiò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: bonum futurum, vt poſsibile tantum humanitati ſecundum ſe inſpectæ, eſt obiectum ſufficiens ſpei propriè acceptæ; ſed gloria corporis eſt Chriſto bonum futurum, vt poſsibile humanitati ſecundum ſe inſpectæ: ergo fuit in Chriſto actus proprius ſpei circa gloriam corporis. Maior, inqua ſtat difficultas, probatur: malum culpę, vt poſsibilis tantum humanitati ſecundum ſe inſpectæ, eſt obiectum ſufficiens actus timoris propriè accepti: ergo paritèr: bonum futurum, vt poſsibile tantum humanitati ſecundum ſe inſpectæ, eſt obiectum ſufficiens ſpei propriè acceptæ. Antecedens eſt Ill. Godoy *diſp.* 25. *num.* 20. Conſequentia paritate videtur certa.

Confirmatur. Confirmatur, & vrgetur: ſi malum culpæ, vt poſsibilis tantum humanitati ſecundum ſe inſpectæ, eſt obiectum ſufficiens actus timoris propriè accepti, potiori iure bonum futurum, & aliquomodo ſaltim arduum, quale in Chriſto fuit gloria corporis, vtpotè, laboribus obtinenda, erit obiectum ſufficiens actus ſpei propriè acceptæ; atqui malum culpæ, vt poſsibilis tantum humanitati ſecundum ſe inſpectæ, eſt iuxta Ill. Godoy obiectum ſufficiens actus timoris propriè accepti: ergo bonum etiam futurum, & aliquomodo arduum, nempè, gloria corporis, erit in Chriſto obiectum ſufficiens actus ſpei propriè acceptæ.

Minor,& consequentia tenent. Maior constat ex dictis *num.*37.

42 *Duplex solutio ad rationem Ill. Godoy.*

Ex his itaquè ad rationem Ill. Godoy duplex patet solutio. Prima negando antecedens iuxta dicta *num.*36. Secunda omisso antecedenti cũ consequentia,& data sussumpta,negando consequentiam,nempè,ergo non speravit illam per actum proprium spei, à simplici desiderio distinctum ; quia si ablata arduitate à malo culpæ stat in Christo actus doni timoris propriè sumpti, qui est fuga mali culpæ, vt ipse tenet ; non est ratio , cur (adhuc ablata arduitate in Christo circa gloriam corporis) non fuerit in ipso actus spei propriè sumptæ circa talem gloriam , vt ex dictis ad hominem contra ipsum est manifestum.

43 *Dubitatio 2 Ill. Godoy.*

Secundò dubitari poterat (inquit Ill. Godoy *numer.*89.) an dato, quod ille actus esset à simplici desiderio distinctus,ratione sufficientis arduitatis obiectivæ , esset eiusdem rationis cum illo , per quem viatores gloriam corporis expectamus ? Cui dubitationi negativè respondet Ill. Godoy *numer.*90. consequenter ad suam doctrinam , qua tenet , actum illum non elici à virtute spei Theologica.

44 *Responsio ex Scoto:*

Non tamen est à communi,& vera Scotistarum sententia recedendum, quæ docet, actum illum elici à virtute spei Theologica , & consequenter esse eiusdem rationis expectationem gloriæ corporis in Christo cum actu, per quem viatores gloriam corporis speramus. Quod expræsse deducitur ex Scoto *citat.* quem secutus est Suarius *in Commento artic.*4.vbi docet,actum illum in beatis elici à virtute spei , cuius actus adæquatus non est, bonum Divinum non possessum sperare , sed etiam de Divino bono , vt iam possesso gaudere : vndè sicut in viatoribus expectatio gloriæ corporis à virtute spei procedit ratione boni Divini, quod est primarium speratum,vt non adeptum,sed consequendum ; ita in beatis elicitur ab eadem spei virtute ratione boni Divini, non vt terminantis desiderium , sed vt gaudium terminantis.

45 *Probat: 1.*

Probatur breviter duplici ratione. Prima est : ideo iuxta Ill. Godoy actus,quo Christus desideravit gloriam corporis, non est eiusdem rationis cũ illo , per quem viatores gloriam corporis expectamus , quia actus ille in Christo elicitus non fuit à virtute spei Theologica;atqui actus ille in Christo à virtute spei Theologica fuit elicitus : ergo actus , quo Christus desideravit gloriam corporis,est eiusdem rationis cum illo , per quem viatores gloriam corporis expectamus.Consequentia est legitima. Minor claret ex dictis*num.*21.data suppositione,quam in propositione dubitationis facit Ill. Godoy, scilicet, quod ille Christi actus sit à simplici desiderio distinctus ratione sufficientis arduitatis obiectivæ , quod idem est , ac illum Christi actum esse proprium actum virtutis spei Theologicæ. Maior est notoria; nam ex eo infert Ill. Godoy *num.* 90: illum Christi actum non esse eiusdem rationis cum actu, per quem viatores gloriam corporis expectamus , quia à virtute spei Theologica non elicitur, vt claret ex verbis illius.

46 *Probat: 2.*

Probatur secundò : illi actus sunt eiusdem rationis iuxta Ill. Godoy,qui ab eodem specificè habitu eliciuntur, idemque habent obiectum ; sed actus ille Christi , & actus ille beatorum ab eodem specificè habitu eliciuntur, idemque habent obiectum : ergo actus,quo Christus desideravit gloriam corporis , est eiusdem rationis cum illo , per quem viatores gloriam corporis expectamus. Probatur minor: actus ille Christi, & actus ille viatorũ, eliciuntur ab habitu spei , vt de actu Christi,in quo est difficultas,proximè dicebamus, & obiectum vtriusque est gloria corporis , quatenus in gloriam Dei cædit : ergo actus ille Christi , & actus ille beatorum , ab eodem specificè habitu eliciuntur , idemque habent obiectum.

47 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

Vtrumque negat Ill. Godoy,& per oppositum ad vtrumque arguit primò sic *numer.*90:nam gloria corporis non est obiectum primarium spei virtutis Theologicæ , sed obiectum secundarium : ergo non potest actum eius terminare , nisi in ordine ad primarium obiectum; nullus enim habitus potest erga secundarium obiectũ, nisi in ordine ad primarium versari; sed Christus non expectavit gloriam corporis in ordine ad obiectum primarium spei virtutis Theologicæ: ergo actus , quo gloriam corporis sui expectavit , non fuit elicitus à virtute Theologica spei;& consequenter non fuit eiusdem rationis cum actu , quo

viatores gloriam corporis expectamus. Hæc ſecunda conſequentia ex prima evidenter colligitur: nam actus differentes pœnès obiecta formalia, neceſſario differunt ſpecie; eo autem ipſo, quod expectatio gloriæ corporis procedat nobis à virtute ſpei Theologicæ, & ab illa non procedat in Chriſto, differunt iſti actus pœnès obiecta formalia, cum actus ab habitu elicitus erga illius obiectum verſetur; & conſequenter in nobis attingat obiectum ſpei, quod non attingit in Chriſto. Minor, inqua eſt difficultas, probatur: etenim obiectum primarium ſpei eſt Deus, vt non poſſeſſus, ſed vt arduè poſſidendus, vt docet D. Thom. *in præſent. artic.* 4. fuſèque à Thomiſtis oſtenditur 2. 2. *artic.* 1. *quæſt.* 17. At hoc obiectum non habuit locum in Chriſto, perfectè Deum vidente, & poſſidente; & conſequenter non potuit in ordine ad illud operari: ergo expectatio gloriæ corporis in Chriſto non potuit elici ab illo in ordine ad obiectum primarium ſpei virtutis Theologicæ.

48 *Reſpondetur.* Reſpondeo ad argumentum, conceſſo antecedenti, negando primam conſequentiam cum probatione imbibita; quia adhuc repugnante obiecto primario, poteſt obiectum ſecundarium terminare actum ab habitu elicitum, & conſequenter poteſt habitus erga obiectum ſecundarium verſari ſine ordine ad primarium, vt conſtat ex dictis *num.* 22. & 24. Et vltra ibi dicta ratio eſt: nam licèt obiectum primarium ſpei ſit Deus, vt non poſſeſſus; non tamen eſt obiectum adæquatum, quia etiam Deus, vt iam poſſeſſus, terminare valet plures actus ſpei, nempè, in illo quieſcere, gaudere, & delectari in ratione commodi. Si ergo Deus, vt poſſeſſus, eſt obiectum valens terminare obiectum ſpei, quāto melius gloria corporis non poſſeſſa actum ſpei terminare valebit; cum habeat, vt diximus *num.* 36. conditiones ad rationem ſpei requiſitas?

49 *Arguit.* 2. Arguit ſecundò Ill. Godoy *num.* 91. admiſſo, quod actus, quo Chriſtus deſideravit gloriam corporis, fuiſſet elicitus à ſpe virtute Theologica: nam Deus, vt terminans gaudium, differt obiectivè à ſe ipſo, vt terminante deſiderium, & ſpem; ſed à nobis prædictus actus procedit in ordine ad Deū, vt ſui deſiderium terminantem; in Chriſto autem in ordine ad Deum, vt terminantem fruitionem, & gaudiū: ergo differunt iſti actus in Chriſto, & in nobis viatoribus pœnès obiectum formale; & conſequenter eſtò admittamus, elici à virtute ſpei in Chriſto, adhuc ſpecie differret ab actu, quo viatores gloriā corporis expectamus.

50 *Reſpondeo.* Reſpondeo ad argumentum negando maiorem; quia Deus, vt terminans gaudium, & vt terminans deſiderium, & ſpem, eſt obiectum ſpei. Ratio eſt: nam Deus, vt terminans gaudium, eſt Deus præſens, & Deus, vt terminans deſiderium, & ſpem, eſt Deus abſens; ſed Deus præſens, & Deus abſens, eſt obiectum ſpei: ergo Deus, vt terminans gaudium, non differt obiectivè à ſe ipſo, vt terminante deſiderium, & ſpem.

51 *Declaratur ſolutio.* Hęc eſt Scoti doctrina, quam egregiè declarat *in* 3. *diſtinct.* 31. vbi docet: quod ſpes eſt vnus habitus, qui per ſe Deum reſpicit, in quantum conveniens naturæ rationali, & quatenus bonum noſtrum, & ſic indiſtinctè inclinat in ipſum, ſivè abſens fuerit, ſivè præſens; vndè ſicut Charitas poteſt eſſe principium actus deſiderij, quo appetimus Deum abſentem, & tentionis, ac poſſeſſionis, quo amamus ipſum præſentem, vt in ſe bonus eſt, & propter ſe; ita habitus ſpei poterit eſſe principium actus, quo deſideramus in via ipſum abſentem, & tentionis, quo amamus in patria ipſum præſentem, vt bonum noſtrum.

52 *Declaratur amplius.* Amplius hoc declarat Doctor *in* 3. *diſt.* 26. vbi docet: quod ſpes, & Charitas non diſtinguuntur ab invicem per præſentiam, vel abſentiam obiecti, ſed ex eo præciſè, quod Charitas fertur in Deum, quatenus in ſe bonus eſt, & propter ſe. Spes autem, quatenus bonum noſtrum; vndè ibidem *infrà C.* inquit, quod ſpes ſecundum eandem rationem formalem reſpicit obiectū per actum deſiderij, & per actum tentionis, & quod præſentia, vel abſentia obiecti non diſtinguit ſpecie has virtutes, ſed actus deſiderij, & tentionis ab illis virtutibus procedentes. Et *litt. H.* repetit, quod præſentia, & abſentia obiecti non ingrediuntur rationem obiecti formalis, ſed ſolum ſunt conditiones requiſitæ, vt obiectum poſſit ſic, vel ſic appeti per actum, nempè, deſiderij, vel tentionis; abſolutè autē loquendo, eadem eſt ratio formalis

ten-

tendendi in obiectum per vtrumque actum, quia eadem est ratio formalis tendendi in illud, & quiescendi in illo, vt dixereat sub *litt. C.*

§3 *Retorqueo ex D. Thom.*

Declaratur denique solutio ex D. Thoma, ex quo contra Ill. Godoy retorqueo argumentum: si Deus, vt terminans gaudium, est obiectum spei, Deus, vt terminans gaudium, non differt obiectivè à se ipso, vt terminante desiderium, & spem; sed Deus, vt terminans gaudium, est obiectum spei: ergo Deus, vt terminans gaudiū, non differt obiectivè à se ipso, vt terminante desiderium, & spem. Minor probatur: gaudium de bono Divino consequitur ad spem: ergo Deus, vt terminans gaudium, est obiectū spei. Probatur antecedens: quod gaudium de bono Divino consequatur ad Charitatem, non tollit, quod consequatur etiam ad spem: ergo consequitur ad spem. Probatur antecedens: gaudium de bono Divino alitèr consequitur ad Charitatem, & alitèr ad spem: ergo quod gaudium de bono Divino consequatur ad Charitatem, non tollit, quod etiam consequatur ad spem. Consequentia est legitima. Antecedēs est D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 28. *artic.* 1. *ad* 3. dicentis: *de Deo potest esse spirituale gaudium dupliciter. Vno modo secundum quod gaudemus de bono Divino in se considerato. Alio modo secundum quod gaudemus de bono Divino, prout à nobis participatur.* Atqui gaudium primo modo consequitur ad Charitatē, quæ fertur in Deum, vt bonum in se; secundo modo consequitur ad spem. Tùm, quia non à Charitate ex Div. Thoma. Tùm, quia spes fertur in Deum, vt bonum nostrum: ergo gaudiū de bono Divino alitèr consequitur ad Charitatem, & alitèr ad spem.

§4 *Dubitatio 3*

Deniquè dubitari poterat (prosequitur Ill. Godoy *numer.* 92.) an actus ille ab habitu supernaturali processerit? Cui dubitationi affirmativè respondet, nempè, actum sperandi gloriam corporis in Christo, & in beatis, procedere ab habitu supernaturali. Ratio est: quia actus, ab habitu non procedens, non elicitur perfectè, quo circa necessitas gratiæ habitualis in Christo ad connaturalem supernaturalium actuum elicientiam constituitur; sed actus ille non est constituendus in Christo imperfectè, & inconnaturalitèr elicitus: ergo admittendus est habitus, per quem connaturalitèr eliciatur. Sic Ill. God, & nos cum ipso.

§5 *Ill. Godoy.*

A quo tamen habitu eliciatur actus prædictus, est dissensio. Ill. Godoy *numer.* 97. tuetur: actum sperandi gloriā corporis in Christo, & in Beatis, procedere ab habitu eliciente fruitionē, qui est habitus Charitatis. Nos verò cum Scoto statuimus: talē actum procedere ab habitu spei. Hoc manifestè convincitur ex à nobis dictis *num.* 21. & 22. vbi fuisse in Christo habitum spei virtutis Theologicę, ostendimus, in cuius suppositione evidens est: prædictum actum ab habitu spei procedere, neque hoc negaret Ill. Godoy, si talem habitum in Christo admitteret, vt fateri videtur *num.* 92.

Scotus.

§6 *Arguit Ill. Godoy.*

Contra hoc arguit *num.* 97: homo se ipsum diligit per Charitatem: ergo per illam Deum sibi absentem desiderat, & de Deo delectatur, quatenus præsenti, & possesso: in quo actu beatifica possessio consistit; & consequentèr ab eodem habitu secundario elicietur desiderium gloriæ corporis, habens pro motivo formali Deum, quatenus possessum.

§7 *Respondeo.*

Respondeo: quod homo per Charitatem Deum sibi absentem desiderat, & de Deo possesso delectatur, quatenus Deus est bonus in se; non verò quatenus est bonum nostrum; quia vt tale bonū est, homo per spem Deum sibi absentem desiderat, & de Deo possesso, delectatur, & hac doctrina distinguendum est consequens argumenti, quod ruit distinctione data. Imò argumentum retorqueo: homo per Charitatem se ipsum diligit: ergo per illam Deum sibi absentem desiderat: ergo non datur spes, per quam homo Deum sibi absentem desideret, quod admittere nequit Ill. Godoy. Sed de his videantur, quę docent nostri Scotistæ *in* 3 *Sent. tract. de Virtutibus Theologicis.* Solum tamen advertendum est: Patres, & Scholasticos dicentes: spem evacuari in Patria, solum intendere, quod evacuatur circa suum principalem actum, qui est sperare, ac desiderare essentialem beatitudinem; non verò circa alios actus, qui (vt diximus *num.* 48.) exerceri valent circa obiectum præsens, & potlori iure circa obiectum absens, vt fuit in Christo gloria corporis, & sui nominis exaltatio.

Retorqueo.

Advertentia quædā.

§. V.

Corollarium de pia affectione, & fide humana.

58 *Virtus piæ affectionis fuit in Christo.*

SExtò etiam ex dictis infertur: esse admittendam in Christo virtutem piæ affectionis, fuisseque in illo piam affectionem conditionatam, ita, quod si Deus illi revelaret aliquod obiectum, illud credere vellet propter fidei honestatem. Hoc corollariū est contra Ill. Godoy *num.* 98. & supposito, quod pia affectio est actus voluntatis, qua quis vult credere, probatur corollariū; nam sicut fuit in Christo promptitudo animi circa bonum Dei, ita congruit, quod habuerit promptitudinem circa veritatem Dei; sed ad hoc nullum est inconveniens, ponere actum specialem piæ affectionis: ergo pia affectio est in Christo admittenda. Atqui, licèt vt actus piæ affectionis connaturalitèr eliciatur, non requiratur habitus, vt docet Scotus *in* 3. *dist.* 25. *qu. est.* 2; est tamen perfectio, quod talis habitus detur: ergo fuit in Christo ipsa affectio quoad actum, & quoad habitum. Hoc potebit solvendo Ill. Godoy argumentum.

Probatur.

59 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit *num.* 98: cui namquè repugnat actus specificans habitum, & habitus ipse repugnat; sed actus dictam virtutem specificans repugnat humanitati Christi ratione visionis beatificæ: ergo & ipsa virtus repugnat. Maior habetur ex dictis. Minor autem probatur: actus specificans habitum virtutis non est conditionatus, & inefficax erga materiam illius, sed absolutus, & efficax; aliàs esset in Angelis virtus temperantiæ admittendà contra communē sententiam; sed quamvis Christo ratione visionis beatificæ non repugnet pia inefficax, & conditionata affectio ad credendum; illi tamen absoluta, & efficax credendi affectio repugnat, sicuti & actus credendi: ergo repugnat illi actus primario specificans virtutem piæ affectionis; quam nonnulli Theologi in nostra voluntate constituunt.

60 *Respondeo.*

Hoc tamen argumentum vim contra nos non facit. Tùm: quia falsa est maior primi syllogismi, vt habetur ex dictis *num.* 48. Tùm: quia data, & omissa prædicta maiori, falsa est maior probationis, nec valet inferre, quod in Angelis esset virtus temperantiæ admittenda. Tùm: quia virtus temperantiæ esse in Angelis admittenda, est valdè probabile apud Scotum *in* 3. *dist.* 33. §. *ad* 1. Tùm: quia ab hoc præscindendo; est disparitas: nam cum virtus temperantiæ sit, *quæ moderatur appetitum circa delectabilia, & voluptates secundùm tactum, & gustum, provt rectam rationem docet ob specialem honestatem, quæ est in tali moderatione*, repugnat Angelis actus temperantiæ adhuc inefficax, & conditionatus; cum talis conditio esset destructiva subiecti, vt patet ex diffinitione allata. At in Christo non repugnat inefficax, & conditionata affectio ad credendum, vt in argumento videtur concedere Ill. Godoy.

Quid sit tēperantia.

Tùm deniquè: quia adhuc datā, & omissā maiori probationis, falsa est minor absolutè; quia aliud est, fidem non fuisse in Christo, nec quoad actū, nec quoad habitum, ob rationes traditas *num.* 18. & 19; & aliud est, actum fidei repugnare Christo absolutè; hoc enim est falsum; nam poterat Deus non repræsentare Christo aliquid in Verbo, vel Christum aliquid non cognoscere scientia infusā, de quo haberet fidem, quod esse possibile, docuit Scotus *in* 3. *dist.* 31. *in fine*. Ex his habetur triplex in forma ad argumentum Ill. Godoy responsio. Prima est: negando maiorem. Secunda est: omissā maiori, negando minorem, ad cuius probationem negatur maior. Tertia deniquè est: omissā maiori probationis negare minorem, quod totum ex dictis sufficientèr apparet.

61 *Actus fidei non repugnat Christo absolutè.*

Triplex in forma responsio.

Deniquè ex dictis infertur cum Ill. Godoy *num.* 99: fidem humanam non esse in Christo admittendam. Tùm: ratione obscuritatis, qua ratione fidem Divinam relegamus à Christo. Tùm etiam ratione incertitudinis, & propter erroris periculum, cui actus errori expositus, sicuti, & error, repugnat. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 13. §. 2.

62 *Non fuit in Christo fides humana.*

Mag. Sent.

DISPVTATIO VIGESIMA QUINTA.

Qualitèr donum timoris fuerit in Christo?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

Num. 1 *In animâ Christi fuisse omnia dona Spiritus Sancti, probatur.*

FVisse in anima Christi Domini omnia Spiritus Sancti dona, vt fidei veritatem ex communi Theologorum sentētia supponimus; constatque ex illo Isaiæ 11: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilij, & fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Vbi fieri sermonem de Christo secundum humanitatem, est communis PP. & Scholasticorum sensus; cumque ibi enumerentur quatuor Spiritus Sancti dona, pertinentia ad intellectum, & tria spectantia ad voluntatem; omnia hæc dona in Christo fuisse, est indubitata fide tenendum. Vndè sententia Abaylardi, qui vt ex D. Bernardo *Epist.* 190. referunt Castro *de Hæresibus, hæres.* 9. verb. *Christus*, & Sanderus *lib.* 7. *de Visibili Monarchia, hæres.* 196. asseruit non fuisse donum timoris in Christo, reijcienda est, vt hæretica, & vt talis fuit damnata ab Innocentio II. vt constat ex Epistola Innocentij ad Bernardum, quæ est 194.

2 Deindè, vt hæretica etiam reijcienda est opinio aliquorū, qui dixerunt, in Christo non fuisse vnum ex septem donis Spiritus Sancti, nempè, timorem, verè, & propriè, sed methaphoricè tantum; & patet ex eo, quod verba Sacræ Scripturæ intelligenda sunt in toto rigore proprio, & verò, quando non est manifesta repugnantia, qualis in præsenti non reperitur. Nec obest, quod Augustinus explicās illud *Psalmi* 18: *Timor Domini Sanctus permanet*, dicat, quod quantum ad præmium permanet, non quantum ad actum; sicut *Psalm.* 9. dicitur: *Patientia pauperum non peribit in finem*, quia manet præmium patientiæ. Non (inquam) obest, nam Augustin. solum vult, quod in Beatis non est timor de peccato, quia certi sunt, se non peccaturos.

3 Hoc itaquè præmisso, quia circa donum timoris specialis difficultas versatur, ideò in examen vocamus, qualitèr sit constituendum in Christo, an quoad habitum, an etiā quoad actum, & quoad quem, vel quoad quos actus reperiatur in illo? Pro quo sciendum est. Primò: quod hic non loquimur de timore mundano, qualis est ille, quo quis timore rei temporalis peccat, v.g. quando Petrus negavit Christum; nam hunc timorem in Christo non fuisse, extra controversiā est. Nec loquimur de timore sumpto pro passione appetitus, qualis est ille, quo quis timet mortem, quia hunc timorem fuisse in Christo, constat ex illo *Marc.* 14: *Cæpit Iesus pavere, & tædere.* Loquimur itaquè de timore sumpto pro affectu voluntatis, quo quis timet Deum. Qui timor dividitur in servilem, & filialem. Timor servilis est affectus, quo quis metu pœnæ non peccat, aut dolet peccasse, & hic timor est bonus, sed non fuit in Christo, quia peccatum non fuit in illo. Timor filialis est affectus, quo quis timet separari à Deo per peccatum, vel timet, quod Deus permittat, ipsum peccare; vel reveretur ipsam Dei potestatem, & iste timor est donum Spiritus Sancti.

Timor mundanus explicatur.

4 Sciendum est secundò cum Div. Thoma *quæst.* 7. *artic.* 1. quod timor filialis habet duo obiecta. Primum est potestas, & maiestas Dei. Secundum est malum. Exemplum est: nam reus, & timet potestatem Iudicis, & timet pœnam. Et ex hoc duplici obiecto sequitur, quod duplex est actus timoris filialis. Vnus est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiā, & infinitam eius maiestatem, qui est timor reverentialis, qualis fuisse vide-

Timor filialis habet duo obiecta

Etiā habet duos actus.

tur timor ille Petri Christo Domino dicentis: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Lucæ 5. num. 8.* Ille etiam de quo *Lucæ 7.* dicentur: *Accepit omnes timor, & glorificabant Deum.* Nec non & ille, quem suadebat *Paulus ad Roman. 13.* dicens: *Reddite omnibus debita cum timore.* In quo etiam sensu Gregorius 17. *Moral. cap. 5.* intelligit illud *Iob cap. 26: Columnæ Cœli* (id est Angeli explicat Gregorius) *contremiscunt.* Denique: in hoc eodem sensu Div. Dionisius *cap. 13. de Cœlesti Hierarchia* explicat illud *Isaiæ 6: Seraphin velabant facies suas*, nam venerationem istam vocat plenam horroris. Alius timor est fuga à malo. Primus dicitur actus prosecutionis. Secundus est actus fugæ, & de omnibus procedit præsens difficultas.

5
1. *Sentētia.*

In qua, relictis aliorum opinionibus, quas refert Ill. Godoy. Prima asserit: in Christo fuisse donum timoris quoad habitum, & quoad actum, qui est fuga mali culpæ; & separationis à Deo, vt possibilis naturæ humanæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ. Sic Ill. Godoy *num. 5. & 20.* Secunda sententia docet: in Christo fuisse donum timoris quoad habitum, & quoad aliquem actum, qui est verus, & proprius timor; hic autem actus est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatem; non verò fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturæ humanæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ. Ita Scotus infrà citandus, cuius veram sententiam sequentibus assertionibus explico.

Ill. Godoy.

2. Sentētia.

Scotus.

6
1. *Conclusio*

Prima sit: *In Christo fuit donum timoris quoad habitum, & quoad aliquem actum, qui est verus, & proprius timor.* Sic Scotus *in 3. dist. 34. §. his suppositis à versic. de Donis*, vbi docet: Septem Spiritus Sancti dona non distingui realiter à tribus Virtutibus Theologalibus (quæ sunt Fides, Spes, & Charitas,) & à quatuor Cardinalibus (quæ sunt Iustitia, Fortitudo, Prudentia, & Temperantia.) Et quantum ad primā partem, supposito, vt fide certū, fuisse donum timoris in Christo, probatur ex verbis *Isaiæ cap. 11: Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* Quibus dona omnia Spiritus Sancti fuisse in Christo permanenter, satis exprimitur; nam requiescere permanentiam importat; sed donum permanenter inhærens est habitus, vel potentia: ergo cum donum timoris propriè potentia non sit, fatendum est, esse habitum, Christoque quoad habitum convenire.

Quod autem in eo fuerit etiam quoad aliquem actum, probat à priori Ill. Godoy *num. 7.* hac ratione: non stat convenire habitum, cui omnis actus talis habitus repugnat: ergo, si habitus doni timoris reperitur in Christo, non repugnat illi omnis actus doni timoris; & consequenter reperitur in illo quoad habitum, & quoad actum; solum enim ex repugnantia actus doni timoris excludit illum Durandus. Antecedens ostenditur primò: cui repugnat omnis actus alicuius potentiæ, & ipsa potentia repugnat; quia potentia dat posse ad actum; sed etiam habitus supernaturalis dat subiecto posse ad actū: ergo non stat convenire, cui omnis illius actus repugnat. Secundò: habitus non potest communicare subiecto, quim illi præstet proximam potentiam ad actum; sed subiecto, cui ab intrinseco repugnat actus, ad quem habitus ordinatur, non potest posse proximum ad talem actum præstare: ergo nec potest illi convenire.

7
Fuisse in Christo aliquem actū timoris, probat Ill. God.

Sed licèt hæc ratio optimè in nostris principijs convincat, fuisse in Christo aliquem actum doni timoris; in principijs autem Ill. Godoy non probat, quod sic ostendo: stat convenire habitum, cui omnis actus talis habitus repugnat: ergo stat, habitum doni timoris reperiri in Christo, etsi ipsi repugnet omnis actus doni timoris, & consequenter stat, reperiri in illo quoad habitum, & non quoad actum. Probatur antecedens: cui repugnat omnis actus alicuius potentiæ, non repugnat ipsa potentia: ergo stat convenire habitum, cui omnis actus talis habitus repugnat. Probatur antecedens: Angelo in primo instanti repugnat elicientia omnis peccati, quim ipsi repugnet potentia elicitiva peccati: ergo cui repugnat omnis actus alicuius potentiæ, non repugnat ipsa potentia. Antecedens est generalis omnium Thomistarum doctrina asserentium: repugnare, Angelum in primo instanti peccare, non defectu

8
Ratio Ill. Godoy reijcitur in suis principijs.

po-

potentiæ elicitivæ peccati, quæ est voluntas, sed deffectu applicationis.

9 *Vera probatio.*

Vndè fuisse in Christo aliquem actum doni timoris, sic à nobis probatur: in Christo fuit habitus doni timoris: ergo fuit etiam in illo aliquis actus doni timoris. Antecedens patet ex dictis *num.6.* Consequentia probatur: si in Christo non fuisset aliquis actus doni timoris, non fuisset in illo habitus doni timoris; sed fuit in Christo habitus doni timoris: ergo fuit in illo aliquis actus doni timoris. Probatur maior: si non fuisset in Christo aliquis actus doni timoris, superfluus in illo fuisset habitus doni timoris; sed habitus doni timoris non fuit in Christo superfluus; alioquim non poneretur in ipso: ergo si in Christo non fuisset aliquis actus doni timoris, non fuisset in illo habitus. Probatur maior: nam ideò excludunt à Christo aliqui Theologi habitum pœnitentiæ, & spei, vt superfluos, quia numquam elicituri essent actus pœnitentiæ, & spei, & ideò nos excludimus à Christo habitum fidei, vt superfluũ, quia numquam eliciturus esset actũ fidei, vt cum Scoto diximus *disp. præcedent. num.* 19: ergo si non fuisset in Christo aliquis actus doni timoris, superfluus in illo fuisset habitus doni timoris.

10 *Vltima pars cõclus. probatur.*

Tandem vltima pars nostræ conclusionis probatur: nam in locis Scripturæ, in quibus Christo, & Beatis attribuitur timor, non solum significatur habitus timoris, sed etiam actus, iuxta expositionem communem PP. vt in testimonio *Isaiæ cap.* 11. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et Psalm. 18. *Timor Domini Sanctus permanet in sæculum sæculi.* Iob. 28. *Columnæ Cæli contremiscunt*, idest Angeli Beati, vt interpretatur Gregorius *lib.* 7. *Moral. cap.* 17. At testimonia Scripturæ intelligenda sunt in rigorosa acceptione, nisi aliquod inconveniens sequatur: ergo Christo concedendus est timor actualis, verus, & proprius. Et augetur difficultas: nam si actum timoris rigorosè acceptum à Christo relegamus, etiam timoris habitum ab illo excludere possumus in rigorosa acceptione; consequens non admitteretur; aliàs nec quoad actum, nec quoad habitum erit timoris donũ in Christo, quæ fuit sententia Abaylardi ab Innocentio II. damnata: ergo fuit in Christo actus doni timoris, qui verè, & propriè sit timor. Patet sequela: nam in testimonijs Scripturæ attribuitur Christo timor actualis, & Authores contrarij ea explicant de timore non stricto, sed tantum similitudinario: ergo etiam illa, in quibus Christo Domino attribuitur donum timoris, possunt simili interpretatione explicari de dono timoris non stricto, sed de aliquo habente similitudinem cum dono timoris.

11 *Timorem in Christo repertũ esse habitũ, non est de fide.*

Si inquiras: qua certitudine gaudeat hæc prima conclusio. Respondeo: primam partem conclusionis, si de habitu, qui ab alijs speciebus qualitatis distinguitur, procedat, non esse immediatè de fide, nec conclusionem Theologicam, sed ita certam, vt oppositum sit temerarium. Primum constat: nam in verbis Scripturæ solum explicatur permanentia doni timoris in Christo; sed hæc est habitui; & potentiæ communis; nec potest evidenter probari prædictum donum permanens non esse potentiam, quæ est species qualitatis ab habitu condistincta: ergo nec est immediatè de fide, nec Theologica conclusio, quod in Christo fuerit habitus timoris, sumpto habitu pro specie qualitatis ab alijs huius generis speciebus condistincta.

12

Secundum patet ex his, quæ diximus de gratia habituali *disput.* 22. *numer.* 13. & ex ibi dictis probatur: nam illa est temeraria assertio, quæ opponitur torrenti Doctorum in re Theologica, & gravi, & materiam fidei concernente; sed donum timoris quoad habitum in Christo extitisse, est communis Scholasticorum consensus, estque res Theologica, & gravis, & materiam fidei concernens, cum ex pluribus testimonijs Scripturæ probetur, & probabiliter colligatur: ergo assertio contraria est temeraria: ergo temerarium est negare, in Christo fuisse donum timoris quoad habitum.

13

Secundam, & tertiam partem nostræ conclusionis esse de fide, tenet Ill. Godoy *num.* 9. cum Valentia *in præsenti disp.* 2. *punct.* 4. Suarez *in præsenti disput.* 20 *sect.* 2. Vazquez *disput.* 42. *cap.* 2. Lorca 2. 2. *quæst.* 19. *artic.* 11. vbi asserit: constanter à Theologis tamquam de fide defendi. Idem docet Aragon *in eundem artic.* probantque ex adductis testimonijs, iuncta

communi Patrum interpretatione. Sic sentio. Sed difficile mihi videtur, hoc posse Ill. Godoy defendere; cum attenta illius doctrina, nullum actum timoris in Christo reperiri videatur, quod patebit argumenta contra conclusionem proponendo, & solutiones Ill. Godoy impugnando.

§. II.

Argumentis occurritur, & solutiones Ill. Godoy impugnantur.

14 *Arguit. 1.*

ARguitur primò ex illo 1. Ioannis *cap.* 4. dicentis: *Perfecta Charitas foras mittit timorem*; sed in Christo Domino fuit perfectissima Charitas: ergo nullus fuit in illo actus proprius timoris.

15 *Notat Ill. Godoy pro responsione*

Respondet Ill. Godoy *num.* 10. notando primò: duplicem inter alios esse timorem: servilem vnum, & filialē alium, de quo D. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *artic.* 4. *& seqq.* Primus est timor pœnæ. Secundus culpæ, aut separationis à Deo. Notando secundo: timorem servilem dupliciter considerari posse. Primò: vt servilem formaliter, quæ servilitas consistit in eo, quod timeatur pœna ex amore sui, vt vltimi finis, quod tunc contingit, quando taliter pœna timetur, & culpa propter pœnam, quod si pœna non esset, culpa committeretur. Secundò considerari potest, non vt servilis *reduplicativè*, sed *specificativè* tantum, qualiter est timor pœnæ ex amore sui proveniens, non vt vltimi finis, sed tamquam non vltimi.

16 *Respondet ad argum.*

Quibus notatis ad argumentum respondet: Ioannem loqui de timore servili, qui quoad servitutem per quamcumque Charitatem excluditur, eo, quod Charitas Dei esse nequit cum amore sui vltimi finis, in quo servilitas timoris consistit; quoad substantiam autem cum Charitate componitur; compatitur enim cum illa, hominem se ipsum amare; & consequenter ex amore sui pœnam timere; sed crescente Charitate minuitur, & adveniente perfecta Charitate penitùs tollitur, vt docet D. Thom. *citat. artic.* 6. *&* 10. quia quantò aliquis magis diligit Deum, tantò minus ad proprium attendit commodum, cui opponitur pœna; & in tantum potest Dei Charitate absorveri, vt nihil ad proprium attendens commodum, nihil ad pœnam illi contrariam attendat. Quæ solutio expressa est D. Augustin. *tom.* 9. *tract.* 9. *in* 4. *cap.* 1. *Epist. Ioan.* vbi verba relata conferens cum illis Psalm. 18. *Timor Domini Sanctus permanet in sæculum sæculi*; post multa, elegantia, & eruditione plena, ita concludit: *Audivimus duas tibias consonantes: ille de timore dicit, & ille de timore loquitur; sed ille de timore, quo timet anima, ne damnetur; ille de timore, quo timet anima, ne deseratur: ille est timor, quem Charitas excludit: ille est timor permanens in sæculum sæculi.* Est etiam D. Thom. *locis relatis, & in præsenti artic.* 6. *ad* 3.

17 *Impugnatio solutio Ill. Godoy.*

Hæc tamen solutio Ill. Godoy impugnatur: ideò iuxta ipsum non datur in Christo timor servilis, nec reduplicativè, nec specificativè, quia ille per quamcumque Charitatem tollitur, & iste per perfectam; sed timor filialis tollitur per beatitudinem, aut vnionem hypostaticam: ergo nullus fuit in Christo actus timoris. Probatur minor: ideò timor servilis reduplicativè (idem dico de timore servili specificativè proportione servata) tollitur per quamcumque Charitatem, quia Charitas Dei esse nequit cum amore sui, vt vltimi finis, in quo servilitas timoris consistit; atqui beatitudo, aut vnio hypostatica, nequit esse cum culpa, vel cū separatione à Deo, in quo iuxta Ill. Godoy timor filialis consistit: ergo timor filialis tollitur per beatitudinem, aut vnionem hypostaticam.

18 *Vera solutio.*

Vndè ad argumentum respondeo, notando primo: duplicem inter alios esse timorem. Servilem vnum, & filialem alium, vt diximus *numer.* 3. Noto secundò: quod timor filialis duplicē habet actum. Primus est subiectio reverentialis ad Deum, ob Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatem, qui est actus prosecutionis. Secundus est fuga à malo, qui est actus fugæ, iuxta dicta *num.* 4. Quo supposito, ad argumentum respondeo: loqui Ioannem de timore servili quomodocumque consideretur, non verò de timore filiali; nam in viatoribus, quacumque Charitate ornatis, manet timor filialis quoad vtrumque actum; in beatis verò, & in Christo manet timor quoad primum actum, & licèt timor quoad secundum actū deficiat, hic non tollitur per Charitatem, sed per beatitudinem, qua

stante, certi sunt, se non peccaturos.

19 *Arguit. 2.* Arguitur secundo: timor propriè acceptus est fuga mali apprehensi, vt imminentis, & difficilè vitabilis, vt ex Aristotele docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 41. *artic.* 2. & *quæst.* 44. *artic.* 3. Sed Christo non fuit imminens malum pœnæ propter culpam propriã, quod est obiectum timoris seruilis, nec fuit imminens malum culpæ, aut separationis à Deo, quod est obiectum timoris casti, & filialis, cum non potuerit de potentia absoluta peccare; & consequenter nec propter propriã culpam puniri: ergo non fuit in illo timor seruilis, nec castus; & consequenter nullus in illo fuit actus, propriam obtinens rationem timoris. Hoc argumento fuit convictus Durandus, vt timorem à beatis excluderet, quod cum pari, imò & maiori efficatia militet in Christo, videtur etiam ab illo omnem timoris actum relegare. Sed antequam illius difficultatem, quæ (ait Ill. Godoy *numer.* 19.) maxima est, occurramus, sit secunda conclusio.

§. III.

Occasione vltimi argumenti statuitur secunda conclusio.

20 *2. Conclusio* Secunda conclusio: *In Christo fuit actus doni timoris reverentialis, qui est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatem; non verò fuit in illo actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, aut vnionis hypostaticæ.* Hæc conclusio quoad primam partem supponi videtur ab Ill. God. Quoad secundam verò est expressè contra ipsum *n.* 20. & quoad vtramque est Scoti *citat. num.* 6. & videtur esse etiam D. Thomæ pluribus in locis, ex quibus vtramque partem nostræ conclusionis probabimus.

2. Pars est contra Ill. Godoy.

21 *1. Pars probatur 1. ex D. Thom.* Prima itaque pars conclusionis probatur primò ex D. Thom. *quæst.* 4. *de Virtutibus, artic.* 4. *ad* 2. vbi cùm sibi obiecisset: *Spes est perfectior timore: iste manet in Beatis: ergo etiam permanet spes.* Duplicem distinguens defectum, pœnæ, scilicet, quem respicit timor seruilis, & culpæ, qui à timore casto in præsenti vita respicit, sic ait: *Neutro autem modo erit timor in patria, sublata potestate culpæ, & pœnæ; est autem tertius defectus naturalis, secundum quod quælibet creatura in infinitum distat à Deo, qui defectus numquam tollitur; & hunc defectum respicit timor reverentialis, qui erit in Patria, qui reverentiam exhibebit suo creatori ex consideratione maiestatis eius in propriam resiliens parvitatem, sed obiectum spei, quod est beatitudinem esse futuram, tolletur, ea superveniente; & ideò spes non remanebit:* ergo iuxta D. Thomam timor in Beatis manebit quoad respectum naturalis defectus infinitè distantis à Deo. Atqui hunc defectum respicit timor reverentialis iuxta Div. Thom. in verbis relatis: ergo iuxta ipsum datur in Beatis actus doni timoris; qui est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatem, & consequenter etiam in Christo.

22 *Probat. 2. ex eodem.* Probatur secundò ex eodem 2. 2. *quæst.* 19. *artic.* 11. *ad* 3. dicente: *Dicendum, quod spes importat quendam defectum, scilicet, fruitionis beatitudinis, qui tollitur per eius præsentiam; sed timor importat defectum naturalem creaturæ, secundum quod in infinitum distat à Deo, quod etiam in Patria remanebit; & ideò timor non evacuabitur totaliter*: ergo iuxta Doctorem Angelicum manet in Patria timor quoad respectũ naturalis defectus infinitè distantis à Deo, qui est timor reverentialis: vera igitur est prima pars nostræ conclusionis.

23 *Probat. 3. ex eodem.* Probatur tertiò ex eodem *in præsenti artic.* 6. *in corpore*, vbi ait: *Dicendum est, quod in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam, nec etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam Divinam eminentiam*: ergo secundum D. Thom. fuit in Christo timor, secundum quod respicit Diuinam eminentiam. Atqui hic est timor reverentialis: ergo fuit in Christo talis timor.

24 *Probat. 4. ex eodem.* Probatur quartò ex eodem *in solutione ad* 1. asserente, ideò fuisse donum timoris in Christo; non autem virtutem spei: *Quia de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet, Divini, cuius potestate aliquod malum infligi potest; spes autem secundum quod virtus est, respicit, non solum actorem boni, sed etiam ipsum bonum, in quantum est non habitum; & ideò Christo, qui iam*

habebat perfectum beatitudinis bonum, non attribuitur virtus spei, sed donum timoris: ergo idem quod prius.

25 Has authoritates adducit Ill. Godoy *num.* 30. 31. 33. & 35. Quia tamen illas adducit ad tollendum à Christo actum doni timoris, qui sit fuga mali culpę, & separationis à Deo; non verò ad tollendum ab illo actum doni timoris, qui sit subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatē; ideò responsiones Ill. Godoy ad prædictas D. Thomæ authoritates non sunt contra primam partem conclusionis, quam in præsenti probamus; illas tamen proponemus, & reijciemus infrà, dum ex eisdem D. Thomæ authoritatibus secundam partem nostræ conclusionis contra Ill. Godoy ostendamus.

26 *1. Ratio probativa conclusionis.* Rationibus etiam probatur prima pars conclusionis. Prima est: nam contrahere se coram Deo, non audere aspicere maiestatem illius, formidare scrutari secreta eius, sunt actus proprij timoris; sed non sunt actus timoris, qui est fuga mali culpæ, aut separationis à Deo: ergo sunt actus timoris, qui est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatem. Sumo nunc: atqui nulli dubium, actus prædictos habuisse Christum Dominum: ergo in Christo fuit actus timoris, qui est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, & maiestatem eius infinitam. Consequentia cū sumpta est manifesta. Maior constat ex dictis *num.* 4. Minor autem probatur: actus timoris, qui est fuga mali culpæ, aut separationis à Deo, versatur circa malum; sed nullus ex actibus prædictis versatur circa malum, vt evidenter apparet: ergo actus prędicti non sunt actus timoris, qui est fuga mali culpæ, aut separationis à Deo.

27 *Secunda.* Secunda ratio est: affectus, quo quis ob reverentiam Deo debitam timet, aut quasi refugit ipsam Dei maiestatem, est timor reverentialis; sed hic actus fuit in Christo Domino: ergo fuit in illo actus doni timoris reverentialis. *Tertia.* Tertia est: quod est in nobis perfectio, à Christo relegandum non est; sed timere, & revereri homines, qui in potentia, & dignitate nos excedunt, quamvis nihil mali nobis ab ipsis immineat, est in nobis perfectio, multotiès enim hoc facimus, & hoc facere est perfectio, vt claret ex locis allegatis *num.* 4: ergo relegenda non est à Christo. Atqui hic est timor reverentialis: ergo talis timor fuit in Christo.

28 *Quarta.* Quarta ratio est: Divina eminentia, & infinita eius maiestas, est obiectum timoris reverentialis; sed in Christo fuit actus circa Divinam eminentiam, & infinitam eius maiestatem; fuit namquè in illo subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiā, & infinitam eius maiestatem: ergo in Christo fuit actus timoris reverentialis. *Quinta.* Quinta denique ratio est: in Christo fuit aliquis actus doni timoris; sed non fuit in illo actus doni timoris servilis, nec filialis, qui sit fuga mali culpæ, aut separationis à Deo: ergo fuit in illo actus doni timoris reverentialis. Consequentia est legitima. Maior patet ex dictis *numer.* 9. Minor quoad primam partem constat ex allatis *num.* 3. quoad secundam verò, in quo stat litigium cum Ill. Godoy, clarebit ex probationibus secundæ partis nostræ conclusionis.

29 *2. Pars conclusionis probat. 1. ex D. Thom.* Probatur itaquè secunda pars nostræ conclusionis, & primò ex D. Thoma locis pro prima parte allegatis; ibi enim Doctor Angelicus non solum admittit in Christo timorem reverentialem, verum etiam excludit ab illo timorem quoad respectum mali pœnæ, & culpæ, vt apparet ex authoritatibus relatis: ergo iuxta D. Thomam in Christo non fuit actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, aut separationis à Deo.

30 *Respondet Ill. Godoy, ad 1. & 2. authorit.* Respondet Ill. Godoy *num.* 32. ad authoritates D. Thomæ adductas *num.* 21. & 22. D. Thom. in prioribus verbis non excludere à beatis timorē per respectum ad malum culpæ, vt possibile naturæ secundum se, sed per respectum ad malum culpæ, vt omnino possibile; qualitèr respicitur à timore casto in via. Nec ex eo, quod confugerit ad naturalem defectum infinitè à Deo distantem, infertur, excluisse respectum ad malum culpæ, vt possibilis naturæ; etenim respectus timoris ad naturalem defectum, non est ad illum secundum se, sed ad illū, vt comparabilem cum maiestate Divina, nam terminatur ad proprium defectum naturalem, resiliendo in illum ex Divina maiestate, hoc est, fugien-

giendo illius comparationem cum Deo, & non plenam ſubiectionem ad ipſum, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 9. *in corpore*, ibi: *Hoc autem facit timor filialis, & caſtus, in quantum per ipſum Deum reueremur, & refugimus nos ipſi ſubducere.* Et *artic.* 10. *ad* 3. ibi: *Dicendum, quod timor filialis non importat ſeparationem à Deo, ſed magis ſubiectionem ad ipſum, ſeparationem autem refugit à ſubiectione ipſius.* Nos autem Deo comparare, vel ipſi nos ſubducere, peccatum eſt; & conſequentèr quando ait D. Thom: timorem reſpicere naturalem defectum, non excludit defectum culpæ, vt poſſibilis ratione naturalis defectus inſpecti ſecundum ſe, ſed vt omninò poſsibilis.

31 *Ad* 3. Ad authoritatem relatam *num.* 23. reſpondet Ill. Godoy *numer.* 34: Div. Thom. ſolum excludere à Chriſto habitudinem timoris ad malum culpæ, vt vndequaquè poſsibile, qualitèr malum reſpicitur à timore caſto in via; non autem reſpectum timoris ad malum culpæ, vt poſsibile naturæ ſecundum ſe ex permiſsione Divina, vt ſecundum ſe poſsibili; niſi enim ſic accipiamus doctrinam huius articuli, contradicit D. Thom. ſibi ipſi 2. 2. *quæſtion.* 19. *articul.* 11. *verbis ſuperius adductis.*

32 *Ad* 4. Ad authoritatem poſitam *num.* 24. reſpondet *num.* 36: malum, quod reſpicit timor, poſſe conſiderari dupliciter. Primò: vt in ſe futurum, & difficile vitandum, vel vt exequendum, ſeu executivè, & omninò poſsibile. Secundo: vt poſsibile non executivè, & omninò, ſed naturæ ſecundum ſe, & ex vi eminentiæ Divinæ conſideratæ abſolutè, & non provt ſubeſt decreto libero voluntatis Divinæ de non infligendo, aut permittendo malo pœnæ, vel culpę. Ordo ad malum hoc ſecundo modo non eſt timoris dono eſſentialis. Ordo autem ad malum primo modo conſideratū eſſentialitèr convenit illi. Vndè, quando D. Thom. ait: de eſſentia doni timoris non eſſe illud malum, quod reſpicit timor, ſic intelligendus eſt, nempè, non eſſe de eſſentia doni timoris illud malum, quod reſpicit timor vię, quod eſt malum culpæ, vt vndequaquè poſsibile; non autem negat, eſſentialitèr illi competere ordinem ad idem malum, vt naturæ ſecundum ſe poſsibile; hoc enim malum ſaltim ſecundario, aut de connotato reſpicere, conſtat ex eodem D. Thoma aſſerente: eſſe de eſſentia doni timoris ordinem ad Divinam eminentiam, vt inflictivam mali, qui ordo à malo, ſaltim ſecundario, aut in obliquo, nequit præſcindere. Spes autem reſpicit eſſentialitèr in recto bonum Divinum, vt non poſſeſſum, & non ſolum Divinam Omnipotentiam, vt auxiliativam ad illud aſpiciendum; & quia per poſſeſsionem perfectam tollitur non poſſeſsio boni Divini, ideò in Chriſto perfectè Divinum bonum poſsidente, non remanet locus ſpei.

33 *Solutiones declarātur.* Omnes iſtæ ſolutiones in eandem incidunt, per omnes namquè intendit Ill. Godoy, eodem modo mentem D. Thom. explicare, & ait: Doctorem Angelicum excludere à Chriſto, & Beatis timorem per reſpectum ad malum culpæ, vt omnino poſsibile; non verò excludere timorem per reſpectum ad malum culpæ, vt poſsibile naturæ ſecundum ſe; alioquim D. Thom. ſibi ipſi contradiceret. Vndè hac impugnata ſolutione, omnes impugnatæ manent.

34 *Impugnatur ſolutio Ill. Godoy, ex D. Thom.* Impugnatur itaquè ſolutio Ill. Godoy ex eodem D. Thoma: nam iuxta D. Thom. ideò ſpes non remanet in Patria, quia defectus ab ipſa importatus tollitur per eius præſentiam; ſed ideò timor remanet in Patria, quia defectus naturalis creaturæ ſecundū quod in infinitum diſtat à Deo, non tollitur in Patria: ergo timor ſecundum quemcumque alium defectum non remanet in Patria. Maior eſt D. Thomæ *quæſt.* 4. *de Virtutibus, artic.* 4. *ad* 2. dicentis: *Obiectum ſpei, quod eſt, beatitudinem eſſe futuram, tolletur, ea ſuperveniente, & ideò ſpes non remanebit.* Minor eſt eiuſdem 2. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 11. *ad* 3. aientis: *Timor importat defectum naturalem creaturæ ſecundum quod in infinitum diſtat à Deo, quod etiam in Patria remanebit, & ideò non evacuabitur timor totaliter.* Conſequentia probatur: nam ſi timor ſecundum quemcumque alium defectum remaneret in Patria, non ideò evacuaretur timor, quia importat defectum naturalem creaturæ ſecundum quod in infinitum diſtat à Deo, quod eſt contra D. Thomam.

35 *Dices pro Ill. Godoy.* Nec obeſt, quod ait Ill. Godoy, ſcilicet, quod niſi doctrina D. Thomæ

ac-

accipiatur in sensu ab ipso explicato, sibi ipsi contradiceret D. Thomas 2. 2. *quæst.* 19. *artic.* 11. *in solut. ad* 1. *& in corpore.* Non (inquam) obest; nam idē nos per oppositum dicere valemus, nempè, quod nisi doctrina D. Thomę accipiatur in sensu à nobis explicato, sibi ipsi contradicet D. Thomas omnibus locis, quibus ex ipso nostram conclusionem probavimus. Hæc pro mente D. Thomæ sufficiant, & ad rationes progrediamur.

Contra.

36 Sed quia rationes, quæ probant secundam partem nostræ conclusionis, sunt immediatè impugnativę solutionis, quam adhibet Ill. Godoy ad argumentum contra primam conclusionem positum *num.* 19. solutionem ipsius videamus, & quot fuerint contra ipsam impugnationes, tot erunt probationes nostræ conclusionis.

37 *Respondet Ill. Godoy, ad argum. positū n.* 19. Ill. Godoy *num.* 49. respondet ad argumentum suprà positum: veram esse maiorem de timore anxio habente solicitudinem, & à malo præcavente; falsum autem de timore securo, quos duos timores distinguendos esse docet Augustin. *locis vbi suprà relatis*, & ex ipso D. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *artic.* 11. *ad* 1. vbi cum obiecisset illud *Proverb.* 1. *Abundantia perfruetur timore malorum sublato*: quod intelligitur de homine sapientia perfruente in beatitudine æterna: *Sed omnis timor est alicuius mali: ergo nullus timor erit in Patria*: his verbis respondet: *Dicendum, quod in authoritate prædicta excluditur à Beatis timor solicitudinem habens, de malo præcavens; non autem timor securus, vt Augustin. dicit lib.* 14. *de Civitat. Dei, cap.* 9. Sentit ergo D. Thomas, non esse de ratione omnis timoris ad malum, vt futurum, & arduum aprehensum terminari, sed tantum de ratione timoris anxij, & soliciti, à maloque præcaventis; ad rationem autem timoris non anxij, & tranquilli sufficere, quod sit fuga mali vt aprehensi, non vt omninò possibilis, sed vt possibilis naturæ secundum se, & ex vi eminentiæ Divinæ, non vt subest voluntatis decreto, sed secundum se inspectæ: ac proindè huiusce modi timorem non esse Christo negandum; nam licèt separatio à Deo per culpam, non fuerit illi possibilis omnimoda possibilitate, ideſt, omnibus attentis, quia illi repugnabat: tùm, ratione visionis beatificæ: tùm, ratione vnionis hypostaticę: tùm deniquè, ratione Divini decreti de numquam permittenda culpa; illius tamen naturæ est secundum se possibilis, & eminentia Divina attenta secundum se, vt antevertens decreta, & cum humana Christi natura secundum se comparata, potens est culpam permittere, & separatio per culpam sub ista consideratione, terminat timorem castum in beatis, & in Christo.

38 *Solutio Ill. Godoy impugnatur* 1 *& est* 1. *ratio conclusionis.* Hæc tamen solutio impugnatur primò, & est prima ratio nostræ conclusionis: malum culpæ, vt possibilis tantum humanitati secundum se inspectæ, non est obiectum sufficiens timoris fugæ propriè accepti: ergo in Christo non fuit actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, & consequentèr ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: bonum futurum, vt possibile tantum humanitati secundum se inspectæ, non est obiectum sufficiens spei propriè acceptæ iuxta omnes: ergo paritèr: malum culpę, vt possibilis tantum humanitati secundum se inspectæ, non est obiectum sufficiens timoris fugæ propriè accepti. Hanc replicam sibi obiecit Ill. Godoy *numer.* 52. sub hac forma: timor fugæ eodem modo erga malum versatur, quo actus prosecutivus spei versatur erga bonum; sed ad actum prosecutivum spei, strictè sumptæ, non sufficit possibilitas boni de potentia absoluta, sed requiritur omnimoda possibilitas boni, & aprehensio illius, vt futuri, & ardui: ergo ad actum fugæ, qui propriè, & strictè sit timor, non sufficit possibilitas mali de potentia absoluta, sed requiritur omnimoda mali possibilitas, & aprehensio mali, vt futuri, & difficile vitabilis.

Aliter formatur impugnatio.

39 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc replicam secundò modo formatam respondet Ill. Godoy *num.* 56. veram esse maiorem de timore anxio, & præcavente à malo; sic namquè in modo respiciendi malū æquiparatur tendentiæ prosecutivæ spei ad bonum; falsam autem de timore securo, quas duas species, sivè modos timoris distinguendos esse ex Augustino, & D. Thom. iam vidimus. Quod si rationem petas, cur sicut damus duplicem modum timoris, alterum cum anxietate, & alterum cum securitate, quorum primus mali omnimodam possibilitatē exposcit; secundus verò

non

non ita, sed possibilitatem ex vno capite tantum: ita etiam duplex modus sperandi non detur, quorum vno spectetur bonum vndequaquè possibile, & arduum; altero verò bonum possibile ex vno capite tantum? Respondeo primò: sufficere pro ratione communem modum loquendi Theologorum, qui nomine spei nunquam intellexerunt, nisi prosecutionem boni possibilis, futuri, & ardui; cum tamen nomen timoris ad vtrumque modum fugiendi malum extenderint. Respondeo secundò: rationem discriminis esse: nam per spem non speratur Omnipotentia ipsa, sed bonum in vi Omnipotentiæ possibile, ingrediente Omnipotentia *vt quo*, & bono in virtute illius obtinendo *vt quod*; per donum autem timoris non solum malum, sed etiam potentia inflictiva mali timetur: & ideò, etsi malum non sit vndequaquè possibile, potest dari timor ad potentiã inflictivam mali sine anxietate terminatus.

40 *Contra* 1. Contra primò: nam falsum est, quod communitèr Theologi nomine spei nunquam intellexerint, nisi prosecutionem boni possibilis, futuri, & ardui; cum plures Theologi, ablata arduitate, & futuritione à bono, concedant in beatis actum spei, vt diximus *disput. præcedent. num.* 40. *Contra* 2. Contra secundò: quia etiam falsum est, quod communiter Theologi nomen timoris ad vtrumque modum fugiendi malum extenderint, vt apparet ex tot Theologis à Christo timorem fugæ excludentibus. *Contra* 3. Contra tertiò: quia non minus respectu spei bonum ingreditur *vt quod*, ac respectu timoris potentia inflictiva mali, & ipsum malum ingrediuntur *vt quod*; sed bonum futurum, vt possibile tantum humanitati secundum se inspectæ, non est obiectum sufficiens spei propriè acceptæ: ergo potentia inflictiva mali, & ipsum malum, vt possibilia tantum humanitati secundum se inspectæ, non sunt obiectum sufficiens timoris fugæ propriè accepti: ruit ergo vtraque solutio Ill. Godoy.

41 *Impugn. 1. & 2. prob. conclusio.* Impugnatur secundò solutio principalis Ill. Godoy, & secundò probatur secunda pars nostræ conclusionis: humanæ Christi naturæ, acceptæ secundum se, non solum fuit possibilis culpa de potentia absoluta, sed etiam fuit ei possibilis pœna propter culpam propriam; & tamen non fuit in Christo timor strictè acceptus erga pœnam, prædicta ratione possibilem: ergo nec erga culpam, vt possibilem naturæ secundum se, fuit in Christo strictus timor. Maior negari non potest. Consequentia probatur à paritate rationis. Minor autem sic ostenditur: Timor pœnæ est timor servilis; vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *artic.* 4. *in corpore*, ibi: *Obiectum timoris servilis est pœna*; sed timor servilis non admititur in Christo iuxta D. Thom. *citat. artic.* 11. *in corpor.* vbi timorem istum à Beatis excludit; *& in præsenti artic.* 6. *ad* 3. vbi illum à Christo relegat: ergo non fuit in Christo timor mali pœnæ, vt possibilis naturæ secundũ se.

42 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc impugnationem respondet Ill. Godoy *num.* 57. concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio discriminis est: quod malum terminans timorem debet esse terribile, & vt tale æstimari; Christus autem, & idem de quolibet beato est dicendũ, ratione perfectissimæ Charitatis ad Deum, terribile æstimat malum culpæ; malum verò pœnæ, seu proprium, non ita, & idcirco nolitio mali pœnæ rationem timoris non obtinet; fuga verò mali culpæ, verè, & propriè timor est.

43 *Contra* 1. Sed contra primò: nam hęc responsio omninò voluntaria videtur; cum rationem non assignet Ill. Godoy, cur Christus, vt terribile æstimet malum culpæ, & terribile non æstimet malũ pœnæ. Contra secundò: Christus æstimat vt terribile malum culpæ: ergo æstimat vt terribile malum pœnæ. Probatur consequentia: malum pœnæ supponit malum culpæ; sed Christus, iuxta concessa, æstimat vt terribile malum culpæ: ergo & malum pœnæ. Maior est certa: nam timor pœnę, qui est timor servilis, est timor pœnæ propter culpam; vt omnes fatentur, & nos diximus *num.* 3. Minor est doctrina Ill. Godoy in responsione. Consequentia legitima videtur, & vlteriùs probatur: malum supponens malum terribile, & vt terribile æstimatum, est malum terribile, & vt terribile æstimatum; sed malum pœnæ supponit malum culpæ, quod est malum terribile, & vt terribile à Christo æstimatum, iuxta responsionem Ill. Godoy: ergo malum pœnæ est malum terribile, & vt terribile à Christo æstima-

Secundò.

tum:

tum: ergo Chriſtus æſtimat vt terribile malum pœnæ.

44 *Contra 3.* Contra tertiò: Chriſtus ratione perfectiſsimæ Charitatis ad Deum terribile æſtimat malum culpæ: ergo Chriſtus ratione perfectiſsimæ viſionis, & fruitionis Dei terribile æſtimat malum pœnæ. Antecedens eſt doctrina Ill. Godoy in ſolutione. Conſequentia probatur: non minus perfectiſsima Dei viſio, & fruitio opponitur malo pœnæ, ac perfectiſsima Charitas ad Deum opponitur malo culpæ; ſed Chriſtus ratione perfectiſsimæ Charitatis ad Deum terribile æſtimat malum culpæ: ergo ratione perfectiſsimę viſionis, & fruitionis Dei terribile æſtimat malum pœnæ. Hac ratione videtur, nullum eſſe diſcrimen ab Ill. Godoy traditum, etſi hæc ratio non placet, aſsignet rationem, cur Chriſtus non æſtimat vt terribile malum pœnæ, & tunc ratione, quam aſsignet; oſtendetur, paritatem tenere, & eandem eſſe de vtroque malo rationem.

45 *Contra 4. ad homin. cõtra ipſum* Contra quarto ad hominem contra Ill. Godoy: diſcrimen ab ipſo in reſponſione traditum eſt contra ipſum: ergo nullum eſt. Conſequentia eſt legitima. Vt autem antecedens probetur; referenda eſt doctrina Ill. Godoy. Ipſe namquè *num.* 39. adducit ſolutionem quorundam Recentiorũ ad argumentum, quod *num.* 19. propoſſuimus; quam hic tranſcribo. *Reſpondent* (inquit Ill. Godoy *num. citat.*) *non eſſe in Chriſto actum, qui ſit propriè timor reſpectu mali culpæ propriæ; benè tamen reſpectu mali culpæ aliorum, quod verè erat poſsibile, & arduum, difficileque vitabile; ac proindè Chriſtus Dominus circà illud, vt imminens alijs, verum actum timoris exercuit.*

46 Quam ſolutionem ſic reijcit *num.* 43. *nam iuxta hanc ſolutionem etiam erit conſtituendus timor ſervilis quoad ſubſtantiam in Chriſto; conſequens eſt contra D. Thom. in præſent. artic. 6. & contra communem Theologorum ſententiam: ergo: Patet ſequela: timor quoad ſubſtantiam ſervilis eſt, qui terminatur ad pœnam, vt poſsibilem, & arduam: ſicut timor filialis eſt, qui terminatur ad culpam, aut ſeparationem à Deo: ergo ſi, vt ſalvetur timor filialis in Chriſto, ſufficit ponere in ipſo timorem culpæ, vt poſsibilis alijs, etiam vt in ipſo admittatur ſubſtantia doni ſervilis, ſufficiet in ipſo agnoſcere fugam pœnæ alijs poſsibilis.*

His itaquè relatis. Probatur antecedens ſupra poſitum: ſi diſcrimen ab Ill. Godoy traditum teneret, idem diſcrimen pateretur impugnatio ipſius ad reſponſionem Recentiorum: ergo diſcrimen ab Ill. Godoy in reſponſione traditum eſt contra ipſum. Probatur antecedens: poſſent Recentiores vti eodem diſcrimine, ad ſolvendam impugnationem Ill. Godoy: ergo ſi diſcrimen ab ipſo traditum teneret, idem diſcrimen pateretur impugnatio ad reſponſionem Recentiorum. Probatur antecedens: poſſent Recentiores reſpondere, quod malũ terminans timorem debet eſſe terribile, & vt tale æſtimari; Chriſtus autem ratione perfectiſsimæ Charitatis ad Deum terribile æſtimat malum culpæ alijs poſsibilis; malum verò pœnæ non ita, & ideirco nolitio mali pœnæ, alijs poſsibilis, rationem timoris non obtinet; fuga verò mali culpę, alijs poſsibilis, verè, & propriè timor eſt; atqui hoc eſt diſcrimen ab Ill. Godoy in reſponſione traditum: ergo poſſent Recentiores vti eodem diſcrimine, ad ſolvendam impugnationem Ill. Godoy.

47 *Probatur antecedens ſuprà poſitum.*

Et ex his contra quintò: ſi, vt ſalvetur timor filialis in Chriſto, ſufficit, ponere in Chriſto timorem culpæ, vt poſsibilis naturæ humanæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſsibilis ratione beatitudinis, aut vnionis hypoſtaticæ, etiam vt in ipſo admittatur ſubſtantia doni ſervilis, ſufficiet, in ipſo agnoſcere fugam pœnæ, vt poſsibilis naturæ humanæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſsibilis ratione beatitudinis, aut vnionis hypoſtaticæ: ergo iuxta ſolutionem Ill. Godoy erit etiam conſtituendus in Chriſto timor ſervilis quoad ſubſtantiam, quod eſt contra D. Thomam *in præſent. artic. 6.* & contra communem Theologorum ſententiam. Probatur antecedens: ex eo, quod ſufficiat ponere in Chriſto timorem culpæ, vt poſsibilis alijs; vt ſalvetur timor filialis in illo, infert Ill. Godoy *numer.* 43. quod vt in ipſo admittatur ſubſtantia doni ſervilis, ſufficiet, in ipſo agnoſcere fugam pœnæ alijs poſsibilis: ergo ſi, vt ſalvetur timor filialis in Chriſto, ſufficit, ponere in Chriſto timorem culpæ, vt poſsibilis naturæ humanę ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſsibilis ratione beatitudinis, aut vnionis hypoſtaticæ,

48 *Contra 5.*

etiam,

etiam, vt in ipso admittatur substantia doni servilis, sufficiet in ipso agnoscere fugam pœnæ, vt possibilis naturæ humanæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, aut vnionis hypostaticæ.

49 *Impugn. 3. & ad hom. probat. 3. conclusio.*

Impugnatur tertiò suprà dicta solutio, & ad hominem contra Ill. Godoy probatur tertiò conclusio: in Christo fuit actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ: ergo in Christo fuit actus fidei, spei, & piæ affectionis, vt possibilis naturæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis. Antecedens est conclusio, quam ad litteram adducit Ill. Godoy *in præs. numer.* 20. Consequentia probatur: ideò in Christo fuit actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ, quia talis actus fuit possibilis naturæ humanæ Christi secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ; atqui actus fidei, spei, & piæ affectionis, est possibilis naturæ humanæ Christi secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis: ergo in Christo fuit actus fidei, spei, & piæ affectionis, vt possibilis naturæ secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis. Probatur minor: actus fidei, spei, & piæ affectionis solum est impossibilis Christo ratione beatitudinis: ergo est possibilis naturæ humanæ Christi secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis. Consequentia est legitima. Antecedens verò est Ill. Godoy *disput. 24. num. 85. 86. & 98.*

50 *Impugn. 4. ad homin. contra Ill. Godoy, & 4. probat. conclusio.*

Impugnatur quartò eadem solutio, & quartò ad hominem contra Ill. Godoy probatur conclusio: in Christo fuit actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturę secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ: ergo in Christo fuit existentia, & subsistentia connaturalis illius humanitati. Probatur consequētia: ideò in Christo fuit actus doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturę secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione beatitudinis, & vnionis hypostaticæ; atqui existentia, & subsistentia connaturalis humanitati Christi est possibilis naturæ humanę Christi secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione vnionis hypostaticæ: ergo in Christo fuit existentia, & subsistentia connaturalis illius humanitati. Probatur minor: existentia, & subsistentia connaturalis humanitati Christi solum est illi impossibilis ratione vnionis hypostaticæ, vt de subsistentia Scotistæ fatemur, & de vtraque fatentur Thomistæ: ergo existentia, & subsistentia connaturalis humanitati Christi est possibilis naturę humanę Christi secundum se consideratæ, etsi impossibilis ratione vnionis hypostaticę.

51 *Impugn. 5. & 5. prob. nostra conclusio.*

Impugnatur quintò suprà posita solutio, & quintò probatur secunda pars nostræ conclusionis: repugnat timor fugæ securus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: repugnat dubitatio certa: ergo similitèr. Antecedens est certum; alioquim in Christo, & in beatis, esset dubitatio de sua beatitudine, & consequentèr non haberent securitatem de illa, quia securitas certitudinem supponit, quod totum est falsum in sententia omnium Theologorum. Consequentia probatur: ita opponitur securitas timori fugæ, ac certitudo dubitationi; sed ob oppositionem repugnat dubitatio certa: ergo ob eandem oppositionem repugnat timor fugæ securus. Consequentia legitima apparet. Minor est certa. Maior, quam veram apud Theologos iudico, si fortè negetur, probatur: sicut timor fugæ non habet aliud oppositum, nisi securitatem; ita certitudo non habet aliud oppositum, nisi dubitationem: ergo ita opponitur securitas timori fugæ, ac certitudo dubitationi.

52 *Probat. 6. conclusio.*

Prætèr has ad solutionem Ill. Godoy impugnationes, quarum quælibet est probatio secundæ partis nostræ conclusionis, vlterius venit probanda. Probatur itaquè sextò: ad actū doni timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, non sufficit, quod culpa sit aliquomodo possibi-

lis ; ſed culpa ſolum fuit Chriſto aliquomodo poſsibilis : ergo in Chriſto non fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo. Conſequentia eſt notoria. Minor eſt Ill. Godoy aſſerentis: culpam ſolum eſſe poſsibilem naturæ humanæ Chriſti ſecundum ſe conſideratæ. Maior verò, in qua eſt difficultas, probatur : ſi ad actum doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, & ſeparationis à Deo, ſufficeret, quod culpa eſſet aliquomodo poſsibilis, ad quemcumque timorem fugæ ſufficeret malum aliquomodo poſsibile ; ſed ad quemcumque timorem fugæ non ſufficit malum aliquomodo poſsibile : ergo ad actum doni timoris, qui eſt fuga mali, & ſeparationis à Deo, non ſufficit, quod culpa ſit aliquomodo poſsibilis. Probatur minor: Cœlum ruere, eſt aliquomodo poſsibile ; ſed nullus timore fugæ timet, Cœlum ruere: ergo ad quemcumque timorē fugę non ſufficit malum aliquomodo poſsibile.

53 *Probat. 7.* Probatur ſeptimò concluſio: ideò iuxta Ill. Godoy in Chriſto fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, quia culpa, aut ſeparatio à Deo ; eſt poſsibilis naturæ humanæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſsibilis ratione beatitudinis, aut vnionis hypoſtaticæ ; ſed hæc ratio multùm probat: ergo nulla eſt. Probatur minor : hæc ratio probat : hominem timore fugæ timere, eſſe irrationalem; ſed hoc eſt multum probare: ergo ratio Ill. Godoy multū probat. Conſequentia tenet. Minor eſt certa ; nam quis fuit homo, qui timore fugæ timeret, eſſe irrationalem? Maior verò probatur : irrationalitas eſt poſsibilis humanitati hominis ſecundum ſe conſideratæ, etſi impoſsibilis ratione rationalitatis; ſed hac ratione probat Ill. Godoy, in Chriſto fuiſſe actum doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo: ergo hæc ratio probat: hominē timore fugæ timere, eſſe irrationalem.

54 *Probatur deniquè.* Probatur deniquè ſecunda pars concluſionis : in anima Chriſti, ſivè in potentijs illius, fuerunt omnes virtutes ſupernaturales per ſe infuſæ, quæ cum ſtatu beatifico, & cum vnione humanitatis ad Verbum non repugnant: ergo in Chriſto fuerunt omnia dona Spiritus Sancti, quæ cum ſtatu beatifico, & cum vnione humanitatis ad Verbum non repugnant. Antecedens tradit Ill. Godoy *diſput. præced. numer.* 1. vt concors Theologorum conſenſus, idquè nos ſuppoſuimus *diſput. & num. citat.* Conſequentia eſt paritate legitima. Infero nunc: ergo in Chriſto fuerunt actus omnes donorum Spiritus Sancti, qui cum ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum non repugnant. Hęc conſequentia ex antecedenti infertur. Suſſumo : atqui actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, repugnat cum ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Deum, vt fatetur Ill. Godoy in ſua concluſione *num.* 20 : ergo in Chriſto non fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo.

55 *Dices ex doctrina Ill. Godoy.* Dices ex doctrina Ill. Godoy: ſuſſumptam eſſe diſtinguendam, ſcilicet, actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, vt omninò poſsibilis, repugnat cum ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Deum concedo minorem; vt poſsibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ nego minorem, & eadem diſtinctione diſtinguitur conſequens, ex quo ſolum à Chriſto tollitur actus doni timoris ; qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, vt vndequaquè, vel omninò poſsibilis ; non verò vt poſsibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ, quod eſt, quod docet Ill. Godoy *in præſenti.*

56 *Contra ad hom: contra Ill. Godoy.* Sed contra ad hominem contra Ill. Godoy : in Chriſto fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, vt poſsibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi cum ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum impoſsibilis: ergo fuerunt in Chriſto virtutes ſupernaturales per ſe infuſæ, quæ etiam ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum repugnant ; quod eſt contra Ill. Godoy *citat. num.* 54. Probatur conſequentia: in Chriſto per te fuit actus doni timoris, qui eſt fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, vt poſsibilis naturæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi cum ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum impoſsibilis ; ſed virtutes ſupernaturales per ſe infuſæ, quæ cū ſtatu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum repugnant, ſunt poſsibiles naturæ ſecundum ſe conſideratæ, etſi cum ſtatu beatifico, & vnione huma-

nitatis ad Verbum impossibiles: ergo fuerunt in Christo virtutes supernaturales per se infusæ, quæ cum statu beatifico, & vnione humanitatis ad Verbum repugnant.

§. IV.

Argumenta Ill. Godoy contra conclusionem diluuntur.

57 COntra primam partem nostræ conclusionis nihil adducit Ill. Godoy in præsenti; adversus secundam autem arguit primò *num.* 20: nã eadem est ratio quoad actum doni timoris, de Beatis, ac de Christo; sed in Beatis manet actus prædictus: ergo etiam reperitur in Christo. *Arguit. 1.* Maior constat: nam sicut Christo est impossibilis culpa, & pœna propter culpam propriam, ratione beatitudinis, & ratione vnionis hypostaticæ: ita beatis est impossibilis culpa, ratione beatitudinis: ergo si hoc non obstante, manet in illis fuga mali culpæ, vt possibilis naturæ, esto impossibilis ratione beatitudinis sit, etiam reperitur in Christo, cuius naturæ, secundum intrinseca inspectæ, manet possibilis culpa, esto impossibilis sit, & ratione beatitudinis, & ratione vnionis hypostaticæ. *Minorem probat. 1.* Minor ostenditur primò ex D. Augustino *lib. 14. de Civitat. Dei, cap. 9.* illis verbis: *Timoris casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit, nolle peccare, & non solicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, sed trãquilitate Charitatis vitare peccatum:* ergo iuxta D. Augustinum timor castus consistens in voluntate, seu fuga peccati, vt possibilis naturæ, impossibilis autem ratione beatitudinis, manet in Patria.

58 Secundò probatur: nam id expressè docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 19. articul. 11. in solut. ad 1. in corpor.* vbi de malo culpæ, quod est obiectum timoris casti, loquens, sic ait: *Hoc autem malum creaturæ rationali, secundum suam naturam consideratæ, possibile est propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem, sed in Beatis fit non possibile per gloriæ perfectionem. Fuga ergo huius mali, quod est Deo non subijci, vt possibilis naturæ, impossibilis autem beatitudini, erit in Patria*: ergo iuxta D. Thom. manet in Beatis actus doni timoris, non solum, qui est prosecutio, sed etiam, qui est fuga mali culpæ, vt possibilis naturæ. *Secundò.*

59 Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius primam probationem dico: Augustinum non loqui de timore, vt ab Ill. Godoy accipitur, quod evidenter ostenditur: nam Ill. Godoy loquitur de actu timoris, qui est fuga mali culpæ, & separationis à Deo, vt possibilis naturæ humanæ secundum se consideratæ; impossibilis autem ratione beatitudinis, aut vnionis hypostaticæ; sed nequit Augustin. loqui de hoc actu timoris; nam vt ex verbis ipsius patet, loquitur de timore reperto in nobis, in quibus culpa non solum est possibilis naturæ humanæ secundum se consideratæ; sed etiam est vndequaquè possibilis; alioquim vel beatitudine frueremur, vel vnione hypostatica gauderemus; cum istæ sint iuxta Ill. Godoy rationes, quare culpa sit impossibilis: ergo D. Augustin. non loquitur de timore, vt ab Ill. Godoy accipitur. Quomodo autem sit intelligendus, constabit ex solutione secundæ probationis. *Respondeo ad argum.* *Ad 1. prob. minoris.*

60 Ad secundam probationem respondeo: D. Thom. loqui de timore latè sumpto; non verò de timore, qui propriè timor sit; & quod hæc sit verior mens Angelici Præceptoris, apparet ex tot clarissimis illius authoritatibus, quibus nostram conclusionẽ probavimus, etsi aliud intentet Ill. Godoy, negare nequibit, quod D. Thom. sibi ipsi contradicit omnibus locis, quibus ipsum pro nostra conclusione adduximus, quod non est dicendum. Et in hoc sensu intelligendus est Div. Augustin. ab Ill. Godoy relatus. *Ad 2.*

61 Arguit secundò Ill. Godoy *numer.* 22: nam fuga futuritionis culpæ apprehensæ, vt possibilis naturæ, nullam imperfectionem Christo repugnantẽ dicit: ergo est constituenda in Christo. *Arguit. 2.* Tertiò: nam est possibilis Christo actus prosecutivus, qui est primarius doni timoris; vt sequenti conclusione videbimus; sed vbi est possibilis prosecutio alicuius obiecti, etiam est possibilis fuga mali oppositi, quatenus illi opponitur: ergo Christo est possibilis fuga peccati, vt oppositi obiecto specificanti actum timoris prosecutivum. *Arguit. 3.*

62 Respondeo ad vtrumque argumentum, totum omittendo, quia his argumentis solum probatur: quod detur in Christo fuga mali culpæ ap- *Respondeo ad vtrũque*

prehensæ, vt posibilis naturæ; non autem, quod iste actus sit verus, & proprius timor, vt fatetur Ill. Godoy de actu spei; tenet namquè, quod actus, qui versatur circa bonum apprehensum, vt posibile naturæ, non est actus veræ, & propriæ spei, ex quo posteà argumentum in ipsum retorqueam. Hanc solutionem (instantia præcisa) sibi dedit Ill. Godoy *numer.* 23. & contra ipsam.

63 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Replicat primò: nam timor castus verè, & propriè timor est, vt nos fatemur, & fateri debemus; sed iuxta Augustin. *loco vbi proximè*, timor castus istam voluntatem significat: ergo ista voluntas est verus, & proprius timor.

Secundò. Secundò: quia si non esset verus, & proprius timor, maximè, quia non procedit ex apprehensione mali culpæ, vt imminentis; at hæc ratio, licèt probet, non esse timorem anxium, & perturbantem, non tamen probat, non esse timorem securum; quæ duplex timoris species traditur ab Augustin. *citat.* & à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *articul.* 11. *ad* 1: ergo prædicta voluntas est verus, & proprius timor.

64 *Tertiò.* Replicat Ill. Godoy tertiò *num.* 24: quia non minus est de ratione timoris, provt à Phylosopho diffinitur, esse fugam mali; quam mali imminentis; sed hoc non obstante asserimus, timorem reverentialem, qui est primarius actus doni timoris, esse verè, & propriè timorem, quamvis non ad malum fugiendo, sed ad bonum prosequendo, terminetur primariò: ergo paritèr: fuga mali culpæ, vt posibilis, quamvis non imminentis, erit verè, & propriè timor. Patet consequentia: nam si actus prosecutivus, & ad bonū terminatus primariò, verè, & propriè timor est, quamvis timor à Phylosopho diffinitus petat terminari ad malum; cur etiam, quamvis petat terminari ad malum apprehensum, vt imminens, imminentia ablata, non remanebit vera, & propria ratio timoris?

65 *Respondeo ad 1. replicam.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo maiorem: timor castus, qui est fuga mali apprehensi, vt imminentis, & difficilè vitabilis, verè, & propriè timor est concedo maiorem; timor castus, qui est fuga mali non apprehensi, vt imminentis, & difficilè vitabilis, verè, & propriè timor est nego maiorem. Distinguoque minorē: iuxta D. Augustin. timor castus, qui est timor latè sumptus, voluntatem istam significat concedo minorem; timor castus, qui est verè, & propriè timor nego minorem, & consequentiam. Ad secundam replicam concessa maiori, nego suppositum minoris; supponit namquè, timorem fugæ, qui propriè timor sit, posse esse securum, quod est falsum, vt diximus *numer.* 51. & etiam apparet ex diffinitione timoris fugæ à Phylosopho tradita, & à D. Thoma recepta, ex allatis *num.* 19. *Ad 2.*

66 *Ad 3.* Ad tertiam respondeo negando consequentiam, ad cuius probationē dicimus: rationem esse; quod Phylosophus non diffinivit timorem vt sic, seu timorem abstrahentem à timore prosecutionis, & fugæ, ideòque timor prosecutionis non petit ad malum terminari; sed diffinivit timorem, qui fuga est; ideòque omnis timor, qui fuga est, petit terminari, non solùm ad malum quomodocumquè, sed ad malum apprehensum vt imminens; alioquim nulla esset diffinitio timoris fugæ propriè accepti à Phylosopho tradita, & malè eam accepisset D. Thom.

67 *Instat Ill. Godoy.* Sed contra hanc solutionem instat Ill. Godoy *num.* 27. nam Phylosophus nusquam diffinivit timorem in prædicta abstractione, sed solum timorē, qui fuga est, & hunc per respectum ad malum apprehensum, vt incussum, & imminens, & tamen hoc non obstante, admittunt prædicti Theologi timorem prosecutivum, cui diffinitio Phylosophi adaptari non potest: ergo paritèr admitti à Theologis poterit timor fugę, qui verè, & propriè sit timor, quamvis diffinitio à Phylosopho tradita adæquatè non competat illi.

68 *Respondeo.* Respondeo concessis præmissis, negando consequentiam. Disparitas est: nam in concedendo timorem reverentialem nulla est oppositio cum Phylosopho, qui solum timorem fugæ diffinivit, nec diffinitio timoris fugæ adaptari potest timori reverentiali, cum sint timores omninò diversi. Ast in concedendo timorem fugæ, qui terminetur ad malum non apprehensum, vt imminens, est nottoria oppositio cum Phylosopho, timorem fugæ diffiniente per hoc, quod sit fuga mali apprehensi, vt imminentis; nam hoc ipso, quod hæc sit diffinitio timoris fugæ, omni tali timori, qui propriè timor sit, debet adaptari dif-

fini-

finitio prædicta, vt verius apparet, & connaturalius videtur.

69 *Doctrina vtilis.*

Denique tota hæc disputatio ordinatur, ad statuendum in Christo donum timoris, qui est donum Spiritus Sancti, & consequenter actum talis doni, quod Scriptura multotiès repetit. Si ergo admisso timore reverentiali in Christo, & timore fugæ negato, salvatur optimè, sine sudore, & labore, in Christo fuisse donum timoris, & actum illius; ad quid recurrendum est ad timorem fugæ, qui sine magno sudore, & labore maximo in Christo salvari nequit, attenta diffinitione Phylosophi, & omnium Theologorum acceptatione.

70

Soluto iam vtroque argumento Ill. Godoy, solutisque replicis, & instantijs, quas contra nostras solutiones adducit, restat nunc principale illius argumentum contra ipsum retorquere. Retorqueo itaque primò: actus circa bonum futurum apprehensum, vt possibile naturæ secundum se consideratæ, nullam imperfectionem Christo repugnantem dicit: ergo est constituendus in Christo, & consequenter constituendus est in Christo actus spei, contra Ill. God. Secundò: actus circa obiectum credibile apprehensum, vt possibile naturæ secundū se consideratæ, nullam imperfectionem Christo repugnantem dicit: ergo est constituendus in Christo; & consequenter constituendus est in Christo actus fidei, quod est contra Ill. Godoy, & omnes Theologos. Tertiò: velle credere apprehensum, vt possibile naturæ secundum se consideratæ, nullam imperfectionē Christo repugnantem dicit: ergo est in Christo constituendum, & consequenter constituenda est in Christo pia affectio, quod est contra Ill. Godoy. Quartò: fuga futuri tionis pœnæ apprehensæ, vt possibilis naturæ, nullam imperfectionem Christo repugnantem dicit: ergo est constituenda in Christo: ergo fuit in Christo actus timoris servilis contra Ill. Godoy, & omnes. Efficatia istarum retorsionum, & aliarum, quæ fieri possunt contra ipsum, sumitur ex dictis *à n. 38. vsque ad 57.*

Retorqueo 1. argum.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

71 *Vltimū argumētū factū num. 19.*

Denique oppones vltimum argumentum *num.* 19. factum contra primam conclusionem, ad quod reiecta solutione Ill. Godoy, vt reiecta manet *num.* 38. *vsque ad* 57. & omissis aliorū solutionibus, respondeo distinguendo maiorem: timet fugæ, propriè acceptus, est fuga mali apprehensi, vt imminentis, & difficile vitabilis concedo maiorem; timor prosecutivus, seu reverentialis, proprie acceptus, est fuga mali apprehensi, vt imminentis, & difficilè vitabilis nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: ergo non fuit in Christo timor servilis, nec castus, qui sit timor fugæ concedo consequentiam; non fuit in Christo timor castus, qui sit timor prosecutivus, seu reverentialis nego consequentiam. Hæc solutio satis constat ex dictis, per ipsamque salvatur facillimè, in Christo fuisse donum timoris propriè accepti; quod est intentum Scripturæ, & Patrum, & etiam facillimè salvatur diffinitio timoris à Phylosopho tradita absquè eo, quod argumentum, quod in opinione Ill. Godoy maximam habet difficultatem, vt ipse fatetur, difficultatem aliquam habeat in nostra opinione.

Solutio.

§. V.

Explicatur primarius actus timoris.

72 *3. Conclusio*

TErtia conclusio: *Fuga mali culpæ non est primarius actus doni timoris, sed subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, non inspectam absolutè, sed vt facientem mirabilia.* Hæc conclusio quoad vltimam partem est contra Ill. Godoy *num.* 58. asserentem: quod actus primarius doni timoris est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, vt potentem infligere malum positivè, aut permisivè.

Vltima pars est contra Ill. Godoy.

73 *Probat. 1. pars concl.*

Probatur prima pars conclusionis: nam habitus virtutis, aut doni, respicit per se primò donum: ergo non respicit primariò actum, qui sit purè fuga. Consequentia est evidens: nam actus primò elicitus ab aliquo habitu debet erga primum obiectum talis habitus versari; pura autem fuga non potest terminari ad bonum, sed ad malum: ergo si primarium obiectum habitus virtutis, aut doni, est bonum, primarius actus illius nequit esse fuga. Antecedens probatur: nam malum non fugitur, nisi ratione boni, cui opponitur, vt terminantis prosecutionē: ergo ratio formalis obiectiva fugiendi malum, est bonum, cui opponitur tale malum; sed eo ipso, quod ratio

formalis obiectiva fugiendi malum sit bonum, habitus per se primò specificatur à bono: ergo habitus virtutis, aut doni, respicit primariò bonum. Probatur minor primò: quia non alia ratione potentia per se primò specificatur à bono, nisi quia ratio obiectiva fugiendi malum est bonum: ergo eadem ratione idem est dicendum de habitu. Secundò: nam habitus duo obiecta respiciens, quorum vnum est alteri ratio obiectiva terminandi, ab eo, quod est ratio terminandi, specificationem sumit: ergo si bonum est malo ratio terminandi actum, non potest excludi à primario obiecto specificante habitum.

74 *2. Pars probatur.* Secunda pars conclusionis probatur: fuga mali non est actus primarius doni timoris: ergo subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam est actus primarius illius. Antecedens constat *ex num. anteced.* Consequentia probatur: hoc ipso, quod fuga mali non sit actus primarius doni timoris, non restat alius actus primariò elicitus à prædicto habitu, nisi subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam; sed iuxta dicta fuga mali non est actus primarius doni timoris: ergo actus primarius illius est subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est communis omnium Theologorum consensus.

75 *3. Pars suadetur 1.* Quod verò à prædicto actu non respiciatur eminentia Divina absolutè, sed vt faciens mirabilia, quod asserit vltima pars conclusionis, deducitur ex illo Abacuc 3: *Domine audivi auditionem tuam, & timui.* Et ratione suadetur primò: nam subiectio ad Deum in absoluta consideratione est actus humilitatis absquè vlla distinctione; revereri Deum, absolutè consideratum, est actus religionis absquè vlla distinctione; atqui subiectio reverentialis ad Deum, qui est actus doni timoris, etsi realiter sit actus humilitatis, aliquomodo tamen est ab illo distinctus: ergo debet hic actus Deū, non absolutè consideratum, inspicere, sed illum inspicere, vt facientem mirabilia. Maior est communis doctrina Theologorum, quam docet Ill. Godoy *num.* 62. Minor est ita certa, vt realem distinctionem inter actum doni timoris, & actus aliarum virtutum cum Thomistis cognoscat Ill. Godoy *num. citat.* Consequentia pro prima parte est doctrina ipsius. Pro secunda, inqua stat oppositio.

76 *Probatur cōsequētia.* Probatur: subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, qui est actus doni timoris, non inspicit Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè: ergo debet hic actus Deum inspicere, vt facientem mirabilia. Probatur antecedens: ideò subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, qui est actus doni timoris, inspiceret Deū, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè, quia talis actus eliceretur ab habitu realiter distincto ab habitu virtutum; sed hoc est falsum, & quando verum esset, non debet talis actus inspicere Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè: ergo subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, qui est actus doni timoris, non inspicit Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *numer.* 62. Minor autem duas habet partes, quarum prima est expressa Scoti sententia *in* 3. *dist.* 34. *§. his suppositis*, docentis: Septem Spiritus Sancti dona non distingui realiter à tribus Virtutibus Theologalibus, & à quatuor Cardinalibus; ad has enim dona Spiritus Sancti reducit his verbis. *1. Pars minoris est Scoti.*

77 *Ibi enumerantur quatuor Virtutes Cardinales. Prudentia per donum consilij; prudentia enim est habitus consiliativus, quia est habitus rectè syllogizandi, & tale syllogizare est consiliari. Vndè habitus, quo quis est consiliativus, est prudentia. Fortitudo exprimitur suo nomine inter dona. Timor autem est species temperantiæ: idem enim est omninò timor, quod humilitas, licèt alio nomine nominetur. Sicut patere potest per Augustinum super illud Matth. 5. Beati pauperes Spiritu. Frequenter enim nominantur non nominibus proprijs. Et ideò Scriptura frequenter commendat timorem: vndè illud: Initium Sapientiæ timor Domini, nihil aliud est, nisi humilitas, quæ est principium Virtutum. Et cum inter dona ponitur pietas, hæc est, quæ apud Salvatorem vocatur misericordia; & ista est species Iustitiæ.*

78 Quod autem Virtutes Theologales declarentur per reliqua dona, sic explicat Scotus ibi vers. *Exprimuntur.*

Per

Per alia dona (intellectum, & scientiam) exprimitur fides infusa. Itaquè illa duo non circumlocuntur duos habitus; sed vnum tantum secundum perfectum, & imperfectum. Et vnus potest dari sine alio, sed non è converso. Potest enim intellectus dici fides imperfecta, quæ est notitia articulorum primorum; & scientia fides perfecta, quæ est explicita notitia de articulis. Sicut in scibilibus naturalibus intellectus dicitur esse principium, & scientia conclusionis. Spes autem explicitè non enumeratur hic, sed datur intelligi per Charitatem, quæ est sapientia: sapientia enim est, qua sapit mihi Deus in se, & qua sapit mihi, vt bonum: nam qui sapit, & saporem in se approbat, & sibi appetit. Itaquè donum sapientiæ spectat ad Charitatem, & spē: est enim voluntatis actus, quo mihi Deus sapit, seu approbo Deum, aut mihi placet Deus propositus, vt obiectum; hac obseruata differentia: quod actus, quo mihi sapit Deus, vt in se est, spectat ad Charitatem: actus verò, quo mihi sapit Deus, vt est bonus mihi, pertinet ad spem.

79 Vndè apparet, falsum esse in Scoti opinione, quod dona Spiritus Sancti sint habitus realitèr distincti ab habitibus aliarum virtutum, cum virtutes dentur ad opus commune, & dona ad opus extraordinarium, & eximium, quæ sicut perfectum, & magis perfectum distinguntur dumtaxat. Et consequentèr falsam esse primam partem minoris suprà positi, cuius falsitatem probant nostri Scotistæ aliquibus rationibus, quas omitto, & in ipsis videndas relinquo *tract. de Virtutibus*, ad quod pertinet, hanc difficultatem per tractare.

80 *Probat. 2. pars minoris.* Secunda pars minoris, scilicet, quod dato, quod Spiritus Sancti dona realiter distinguerentur ab habitibus Virtutum Theologarum, & Cardinalium, adhuc actus ille doni timoris non inspiceret Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè, probatur: actus ille doni timoris inspiciens Diuinam eminentiam, vt facientem mirabilia, eliceretur ab habitu realitèr distincto ab habitu virtutum: ergo dato, quod Spiritus Sancti dona realitèr distinguerentur ab habitu virtutum, adhuc actus ille doni timoris non inspiceret Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè. Probatur antecedens: Diuina eminentia, vt faciens mirabilia, potest ad actum mouere, qui aliquem specificet habitum; sed non ad actum specificantem habitum humilitatis, nec habitum religionis; quia primus respicit Deum absolutè vt superiorem, & secundus ipsum respicit, prout est principium creationis, & gubernationis rerum absolutè, & ratione supræmæ excellentiæ: ergo dato, quod Spiritus Sancti dona realitèr distinguerentur ab habitibus Virtutū Theologarum, & Cardinalium, adhuc actus ille doni timoris non inspiceret Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè. Probatur maior: Diuina eminentia, vt potens infligere malum, potest iuxta Ill. Godoy *num.* 62. ad actum mouere, qui aliquem specificet habitum: ergo paritèr: Diuina eminentia, vt faciens mirabilia, potest ad actum mouere, qui aliquem specificet habitum.

§. VI.

Occurritur argumentis Ill. Godoy.

81 OMisso argumento, quod ab authoritate D. Thomæ adducit Ill. Godoy *num.* 61. arguit primò à ratione *num.* 62: nam subiectio ad Deum in absoluta consideratione est actus humilitatis, reuereri Deum absolutè consideratum, est actus religionis: ergo vt subiectio reuerentialis ad Deum ab habitu, ab his virtutibus distincto, eliciatur, debet ille actus Deum, non absolutè consideratum inspicere, sed vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè. *Arguit. 1.*

82 Respondeo primò: concessa maiori, & minori, negando suppositum consequentis; supponit namquè, quod subiectio reuerentialis ad Deū, qui est actus doni timoris, procedat ab habitu realitèr distincto ab habitibus virtutum, quod in nostra opinione est falsum, vt diximus *numer. 76. & seqq.* Et hoc gratis dato. *Respond. 1.*

Respond. 2. Respondeo secundò: concessis præmissis, negando consequentiam, quia vt subiectio reuerentialis ad Deum, qui est actus doni timoris, ab habitu, ab illis virtutibus distincto, eliciatur, non requiritur, quod actus ille inspiciat Deum, vt potentem infligere malum positivè, aut permissivè, sed sufficit, quod inspiciat Deum, vt facientem mirabilia, vt probatum relinquimus.

83 Arguit secundò *num. cit.* nam emi-

Arguit. 2.

nentia Divina, vt potens infligere malum, potest ad actum movere, qui aliquem specificet habitum; at non ad actum specificantem habitum humilitatis, nec habitum religionis, quia primus respicit Deum absolutè, vt superiorem, & secundus ipsum respicit, provt est principium creationis, & gubernationis rerum absolutè; & ratione supræmæ excellentiæ: ergo movet ad actum specificantem habitum doni timoris.

84 *Respond. 1.*

Respondeo primò ad argumentum, negando minorem, & distinguēdo probationem: habitus humilitatis perfectus respicit Deum absolutè vt superiorem concedo probationem; habitus humilitatis magis perfectus nego probationem; quia habitus humilitatis magis perfectus respicit Deū, non vt superiorem absolutè, sed vt facientem mirabilia; quia habitus humilitatis, & habitus doni timoris sunt realiter idem, & solum distinguntur sicut perfectum, & magis perfectum, qualiter differunt intellectus, v. g. concurrens ad intellectionem perfectam, & magis perfectam; sicut enim intellectus est idem, quando concurrit ad intellectionem, vt quatuor, & quando concurrit ad intellectionem, vt octo, & solum differt à se ipso pœnès hoc, quod efficatiùs movetur ab obiecto, vel ab imperante, seu applicante, quando perfectiorem intellectionem producit. Sic etiam eadem virtus prudentiæ applicata communi modo communem producit effectum, & tunc absolutè dicitur virtus; si tamen specialiori modo applicetur, specialiorem, extraordinarium, aut eximium producit effectum, vt fuit iudicium illud Salomonis de puero dividendo, & tunc dicitur donum Spiritus Sancti. Et certè aptum videtur exemplum; cum virtutes dentur ad opera communia; dona autem ad opera extraordinaria, & eximia, quæ solū differunt secūdū magis, & minus.

85 *Respond. 2.*

Respondeo secundò aliter distinguendo probationem minoris: habitus humilitatis respicit Deum absolutè, vt superiorem præcisè nego probationem; respicit Deum, vt superiorem, & vt facientem mirabilia concedo probationem; quia habitus humilitatis, etsi vnicus sit, est principium actus humilitatis, qui est circa Deum, vt superiorem, & actus doni timoris, qui est circa Deum, vt facientem mirabilia; sicut intellectus, qui vnicus cum sit, est principium speciei impræssæ, & expræssæ.

86 *Respond. 3.*

Respondeo tertiò aliter distinguendo probationem minoris: habitus humilitatis secundum aliquam formalitatem respicit Deum absolutè, vt superiorem concedo probationem; secundum omnem formalitatē nego probationem; quia habitus humilitatis duplicem habet formalitatem. Vnam, qua respicit Deum, vt absolutè superiorem. Alteram, qua respicit Deum, vt facientem mirabilia. Secundum illam est principium actus humilitatis, & secundum istam est principium actus doni timoris, sicut quæcumque entitas, quæ per diversas formalitates, in se realiter identificatas, est principium diversorum actuum, quorum vnus est perfectior alio, vt Charitas producens amores erga Deum, & erga proximum.

87 *Retorqueo argument.*

Respondeo deniquè: argumentum prædictum æquè probare de eminentia Divina, vt potente infligere malū, ac de eminentia Divina, vt mirabilia faciente, ideòquè eodem argumento vsi fuimus *num.* 80. ad pro nobis probandum ad hominem contra Ill. Godoy: Divinam eminentiam, vt mirabilia facientem, posse movere ad actū, qui habitum doni timoris specificet, dato, quod habitus doni timoris realiter distingueretur ab habitu virtutū; ex quo fiat cōtra Ill. God. retorsio.

§. Vltimus.

Brevis difficultas resolvitur.

88 *An in Christo fuerint gratiæ gratis datæ?*

DVbitari poterat secundò: an in Christo fuerint gratiæ gratis datæ? Res est facilis, & longa discussione non indiget, ait Ill. Godoy *numer.* 95. vbi hanc difficultatem proponit. Et licèt oppositionem cum illo in hac difficultate non habeamus, res est doctrinalis, quam declarare non nocebit, ideòquè brevitèr, & sine oppositione illam declarabimus.

89 *Quid nomine gratiæ gratis datæ intelligantur, & in quo à gratia Iustificante distinguantur.*

Nomine *gratiæ gratis datæ* intelligunt Theologi donum, quod (sivè per modum habitus, sivè per modum actus) datur homini primo, & per se, vt reddatur potens operari, vel cooperari saluti aliorum, per quod differt à gratia habituali iustificante, quę primo, & per se datur homini, vt in se ipso sanctificetur, & in finem super-

naturalem promoveatur. Vndè gratia iustificans discriminatur à gratijs gratis datis in hoc, quod gratia iustificans ordinatur in bonum habentis; gratiæ verò gratis datæ ordinantur in bonum aliorum.

90 *Gratiæ gratis datæ sunt novē.*

Istæ gratiæ gratis datæ, licèt aliæ præter novem enumerentur, vt Sacramenti administratio, de quibus agit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 111. *artic.* 4. *Et* 2. 2. *à quæst.* 171. *vsque ad quæst.* 179; novem tantum enumerantur 1. ad Chorint. 12. nempè: *Sermo Sapientiæ, Scientiæ, Fidei, gratia sanitatum, gratiá virtutum, Prophetia, Discretio Spirituum, gratia linguarum, & interpretatio sermonum.* De his ergo locuntur Theologi in præsenti, & ante difficultatis resolutionem, opus est dona prædicta explicare.

91 *Quid sint Sapientia, & Scientia.*

Per Sapientiam itaquè, & Scientiam significatur cognitio, quam ex fidei principijs discursu, & ratione deducimus. Differunt autem inter se: quia Sapientia considerat res divinas, & supernaturales: Scientia autem humanas, & naturales. Notat autem D. Thom. 1. 2. *cit.* Sapientiam, & Scientiam posse dupliciter considerari. Primò, vt perficiunt mentem hominis, vt sit facile mobilis à Spiritu Sancto ad ea, quæ sunt Sapientiæ, & Scientiæ. Et sic sunt dona Spiritus Sancti. Secundò: quatenus important quandam abundantiam Sapientiæ, & Scientiæ, per quam homo, non solum possit in se ipso sapere rectè de eorum obiectis; sed etiam alios instruere, & contradicentes revincere; & sic saluti aliorum providere, non solum per internam cognitionem, sed etiam per externam expositionem, & sensibilia signa, seu sermonem. Et hac ratione sunt gratiæ gratis datæ. Vndè advertit D. Thom. notanter Apostolum vocasse has gratias Sermonem Sapientiæ, & Scientiæ. Sapientia enim, & Scientia, nisi sermone explicentur, aliorum saluti prodesse non possunt.

92 *Quod sit fides.*

Per fidem significatur specialis fidei constantia, & firmitas, qua homo redditur potens, vt aptè, & publicè fidei misteria valeat docere per externum sermonem. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *artic.* 5. *ad* 4. cum D. Anselmo, & Interlineali, in qua acceptatione fides est gratia, non gratum faciens, sed gratis data, quia in aliorum vtilitatem ordinatur. Alitèr, & optimè fidem exponit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 111. *artic.* 4. *ad* 2. dicens: Fidem significare præstantem misteriorum fidei intelligentiam, & exactiorem penetrationem, quam homo potest habere sine hoc dono, & qua potens sit, alijs declarare, & persuadere misteria fidei.

93 *Quid sint gratia sanitatum, & operatio virtutum.*

Gratia sanitatum significat virtutem quamdam, per quam homo salutem corporalem aliorum operatur miraculosè. Operatio autem virtutum significat virtutem faciendi miracula ad ostensionem divinæ virtutis. Differunt autem inter se: quia gratia sanitatum specialem vim habet inducendi ad fidem: est enim miraculum, & vltra est beneficium maximè aliciens, & inducens affectum ad conversionem in Deum. Ita D. Thom. *proximè cit. artic.* 4. *ad* 3. Nisi dicas cum D. Chrisostomo, & multis Græcis, differre in hoc, quod gratia sanitatum inducit ad amorem; operatio autem virtutum ad timorem. Quare miraculum, quo Petrus *Actor.* 5. interfecit Ananiam, & Saphiram vocant operationem virtutum: miraculum autem, quo Petrus, & Ioannes *Actor.* 3. claudo restituerunt ambulandi facultatem, vocant gratiam sanitatum.

94 *Quid sit Prophetia.*

Prophetia ex omnium sententia consistit in revelatione, & infallibili cognitione eorum, quæ longè distant à cognitione hominum. (quæ revelatio præcipuè est circa futura contingentia) Dicitur enim Propheta, quasi procul videns, à *pro*, hoc est, procul, & *phanós*; quod est visio. Discretio Spirituum consistit in cognitione occultarum cogitationum cordis: deservitque ad discernendum dolosas, & sublatentes insidias hæreticorum, & dæmonum, qui sæpè ovina pelle teguntur. Gratia linguarum est diversorum Idiomatum notitia, & ad loquendum in illis in ordine ad aliorum salutem expeditio. Demum interpretatio sermonum est donum intelligendi, & interpretandi reconditos Scripturæ sensus. Ex quibus constat, has gratias (si gratiam sanitatum, & operationem virtutum demas) includere, vel saltem necessariò connotare, externum sermonem, sine quo aliorum saluti prodesse non possunt.

Quid discretio.

Quid gratia linguarum.

Quid interpretatio sermonum.

95 *Concl. est affirmativa, & prob. 1.*

His itaquè scitis, & declaratis, conclusio est affirmativa, scilicèt: *quod in Christo fuerunt omnes prædictæ gratiæ*

gra-

gratis datæ. Sic communiter Theologi, cum quibus Ill. Godoy *num.* 95. & probatur primò ex D. Augustino *Epist.* 57. *ad Dardanum* dicente: *Sicut in capite vigent omnes sensus, ita & in Christo omnes gratiæ.* Probat. 2. Secundò: quia vt constat ex *ad Ephes.* 4. Christus fuit dispensator harum gratiarum: ergo omnes illas debebat habere. Probat. 3. Tertiò: nam omnes istæ gratiæ spectant ad excellentiam Christi Domini, nullaque illarum repugnat cum visione beatifica, nec cum vnione hypostatica; omnes enim dicunt perfectionem absque imperfectione, & deniquè in bonum aliorum ordinantur: ergo omnes fuerunt in Christo.

96 Quartò probatur singularitèr de omnibus: nam ex Evangelio constat, Christum vsum fuisse his gratijs: *Sermone Sapientiæ*, declarando misteria fidei per altissimas causas, & æternas, vel declarando prima misteria fidei. *Sermonè Scientiæ*, declarando per causas creatas misteria, quæ ex primis misterijs colliguntur. *Interpretatione Sermonum*, declarando reconditos Sacræ Scripturę sensus, vt fecit in Templo Doctoribus, & Discipulis in via Emaus, licèt non transtulerit Sacram Scripturam ex vna lingua in alteram, sicut fecerunt setuaginta senes in Egipto, neque scripserit libros, quod erit proprium huius gratiæ; nam conveniens erat, vt in cordibus omnium suam doctrinam scriberet. *Gratia sanitatum*, sanando infirmos. *Gratia virtutum*, faciendo stupenda miracula. *Discretione spirituum*, cognoscendo occultas cogitationes, Math. 9. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Fuisse in Christo *Gratiam fidei* certum est, sivè sumatur pro constantia in confessione fidei, sivè pro eminenti misteriorum notitia, vt alijs explicet talia misteria, sivè pro fiducia futuritionis miraculi, iuxta illud Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c.*

97 Deindè fuit in Christo *gratia linguarum*, non solum quo ad habitum, eo, quod per scientiam infusam habuerit notitiam omnium linguarum; sed etiam quoad actum, & vsum; nam licèt D. Thom. *cit. artic.* 7. *ad* 3. doceat, quod communitèr lingua tantum Hæbraica prædicabat; tamen in specialibus colloquijs locutus est varijs linguis; locutus namquè fuit proprio Idiomate Gentilibus, Samaritanis, Cananeis, & Egiptijs. Imo Eusebius Cæsarienſis *lib.* 1. *Historiæ* refert Epistolam, quam Christus Idiomate Syriaco scripsit ad Agabarum Regem Civitatis Edessenæ.

98 Deniquè fuit in Christo *Gratia Prophetiæ*; nam fuit verè, & propriè Propheta, quidquid dicat Abulensis; hoc enim communitèr docent Theologi cum D. Thom. in præsenti, & prætèr hos hoc docent ex Patribus D. Augustinus *tract.* 5. *in Ioann. & lib.* 16. *contra Faustum cap.* 18. Ambros. *Serm.* 8. *in Psalm.* 118. Cyrilus *lib.* 8. *contra Lucianum.* Isidorus *lib.* 7. Origines *cap. de Filio Dei.* Hieronymus *in cap.* 1. *Hieremiæ*, & alij, quos referunt Commentatores D. Thomæ *in præsenti.* Constatque ex illo Deuteronomij 18: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.* Quem locum de Christo intelligi, licèt negent Iudæi, affirmant constantèr P. P. & Augustinus *lib.* 16. *contra Faustum cap.* 18. D. Thom. *in præsenti artic.* 8. *in argum. sed contra.* Et quod magis est D. Petrus *Actor.* 3. prædictum testimonium, vt à Moyse dictum, refert de Christo: at intelligendum est in rigore; cum nullum ex inde inconveniens sequatur: ergo in Christo fuit Gratia Prophetiæ.

99 Et etiam ratione constat: nam ille est ex omnium sententia Propheta, qui hominibus prædicit ea, quæ sunt procul, seu quæ longè distant à cognitione hominum; sed Christus prædixit hominibus ea, quæ erant procul, seu quæ à cognitione hominum longè distabant, nempè, destructionem Templi, & adventum Anti-Christi: ergo fuit verè Propheta. Aliqua sunt, quæ objici possunt contra hanc gratiam Prophetiæ, quæ omisso; quia illa adducit, & optimè soluit Ill. Godoy *à num.* 96. *vsque ad finem.* Et hæc de istâ disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 34. §. 2. ad illa verba: *In Christo hæc etiam eadem fuisse, &c.* Mag. Sent.

DISPVTATIO VIGESIMA SEXTA.

An Gratia Christi fuerit sub aliqua ratione simpliciter infinita?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

Num. 1 *Gratia Christi Domini nō est infinita simpliciter in esse entis.*

GRatia Christi Domini quadruplicitèr potest considerari. Primò in esse entis. Secundò in esse talis entis, nempè, vt est accidens, seu qualitas physica, dicens ordinem ad subiectum, in quo recipitur. Tertiò in esse gratiæ, penès ordinem ad effectus, ad quos se extendit. Quartò in esse moris, & secundū valorem, & moralem æstimationem, quam habet. Ex hac quadruplici gratiæ acceptione, vt indubitatum supponimus primò: gratiam Christi non fuisse simpliciter infinitam in esse entis. Tùm: quia omne ens creatum est finitum. Tùm: quia infinitas entitativa est proprietas Dei. Tùm deniquè: quia id dicitur infinitum in ratione entis, quod in se continet totius entis plenitudinem; sed gratia Christi non continet totius entis plenitudinem: ergo gratia Christi non est simpliciter infinita in esse entis.

2 *Nec fuit infinita in esse qualitatis.*

Secundò etiam vt indubitatum supponimus: gratiam Christi non esse simpliciter infinitam in esse talis entis, seu quod idem est, in esse qualitatis, & ratio est: nam illud est simpliciter infinitum in esse qualitatis, quod in se continet perfectionem omnis qualitatis; atqui gratia Christi non continet in se perfectionem omnis qualitatis: ergo gratia Christi non est simpliciter infinita in esse qualitatis. Vnde difficultas non est de gratia Christi primo, & secundò modo accepta, scilicet, in esse entis, & in esse qualitatis. Restat ergo difficultas de gratia Christi in esse gratiæ; & in esse moris.

3 *Si qualitas infinitæ intensionis in actu esset possibilis, gratia Christi haberet hanc infinitatem*

In qua convenimus cum Ill. Godoy *num.* 5. quod si non repugnaret qualitas infinitæ intensionis in actu, gratia Christi hanc infinitatem habuisset; quia data hypotesi nullam in hoc repugnantiam invenio, & alias humanitatem Christi ob illius coniunctionem ad Verbum talis gratia deceret, consequenterque illam habuisset, vt optimè probat, & defendit Ill. Godoy *à num.* 5. *vsque ad* 21.

4 *Non est simpliciter infinita in esse moris.*

Convenimus etiam cum illo *num.* 68. gratiam Christi non esse simpliciter infinitam moralitèr, seu in esse moris, vel secundum valorem, & moralem æstimationem, quod probat, & defendit Ill. Godoy *à num.* 68. *vsque ad finem disput.*: à nobis tamen sic probatur: satisfactio Christi in esse moris non est valoris simpliciter infiniti: ergo nec gratia Christi. Antecedens constat ex dictis *tom. anteced. disput.* 3. Consequentia probatur: nam ideò gratia Christi esset simpliciter infinita in esse moris, quia illius opera essent valoris simpliciter infiniti; sed opera Christi non sunt valoris simpliciter infiniti, vt de Christi satisfactione dictum est: ergo gratia Christi in esse moris non est simpliciter infinita. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est certa: nam ex infinitate valoris operationum Christi probant Authores, in hoc nobis oppositi, infinitatem gratiæ Christi in esse moris.

5 1. *Sententia Ill. Godoy*

His itaquè breviter præsuppositis, quia à doctrina Ill. Godoy in illis non discedimus, quod in examen vertimus est: an gratia Christi in esse gratiæ, aliquam infinitatem simpliciter talem habuerit? Qua in re varijs aliorum Theologorum sententijs omissis, quas refert Ill. Godoy *num.* 3. & 4. Prima sententia asserit: gratiā Christi posse dici physicè in ratione gratiæ infinitam, licèt hæc infinitas non sit simpliciter talis. Sic Ill. Godoy *n.* 54. Secunda, & verior sententia docet: gratiam Christi physicè in esse gratiæ non esse actu infinitam. Ita Scotus *in* 3. *dist.* 13. *§. ad* 1. *quæst.* versic. *Ad quod ostendendum, & §. ad argumenta* 1. *quæs-*

2. *Sententia. Scotus.*

tio-

tionis, vers. *Si 1. modo*, & pro hac opinione citatur etiam Div. Thomas 3. *p. art. quæst. 7. artic. 11.*

D. Thom.

6 1. Conclusio

Prima conclusio: *Gratia habitualis non fuit intensionis infinitæ Cathegorematicè in Christo, quia repugnat intensio Cathegorematicè infinita.* Hanc conclusionem statuo, non quia oppositum habeat Ill. Godoy, ipsam namquè in terminis adducit *num. 21*; sed quia rationes, quibus ipsam probat, mihi inefficaces videntur. Primò namquè (reiectis aliorum rationibus) probat conclusionem *numer. 32.* hac ratione: quia implicante lumine gloriæ infinito in intensione, non potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ; sed lumen gloriæ infinitè intensum implicat: ergo etiam implicat infinita intensio gratiæ. Discursus est legitimus, & maior certa videtur: nã proprietates consequuntur essentiã, eique debentur in proportionata, imo, & æquali intensione, quo circa gratiam, vt duo consequuntur virtutes in eadem intensione; lumen autẽ gloriæ est proprietas gratiæ consummatæ: ergo implicat intensio gradualis gratiæ, si repugnat proportionata luminis intensio; ac proindè, si implicat contradictionem infinita intensio luminis, non potest non implicare infinita intensio gratiæ.

1. Ratio Ill. Godoy.

7 Probat minorem 1.

Minorem autem ostendit primò: nam adæquata causa, ad quam radicaliter consequitur lumen gloriæ, non est gratia habitualis; sed conflatum ex illa, & intellectuali natura; & consequentèr, vt lumen evaderet infinitum, vtriusquè partis causæ radicantis lumen infinitas esset necessaria; nã infinitas effectus ex limitatione cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur; sed implicat natura intellectualis infinita: ergo & lumen gloriæ infinitum.

8 Secundò.

Secundò ostendit minorem prædictam: nam repugnante visione infinitè intensa, & lumen infinitæ intensionis repugnat, cum lumen sit propter visionem sibi proportionatam, & adæquatam; & consequentèr lumen infinitè intensum propter infinitè intensam visionem; sed implicat visio infinitæ intensionis, cum adæquata eius causa sit intellectus, & lumen; intellectus autem infinitæ perfectionis repugnet: ergo implicat etiam lumen infinitè intensum.

Hoc tamen argumentum, quod prædicto Authori placuit, mihi displicet, & reijcitur primò: implicante lumine gloriæ infinito in intensione, potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ: ergo nulla est ratio Ill. Godoy. Probatur antecedens: ideò implicante lumine gloriæ infinito in intensione, non potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ, quia lumen gloriæ est proprietas gratiæ consummatæ; sed lumen gloriæ non est proprietas gratiæ consummatæ: ergo implicante lumine gloriæ infinito in intensione, potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy. Minor verò est Scoti *in 1. dist. 17. in fine. Et in 2. dist. 7. §. de 2. Et in 3. dist. 11. quæst. 1. §. cum ista opinio. Et in 4. dist. 1. quæst. 4. & 5. §. contra istam opinionem, §. ad 1. ergo quæst. & dist. 16. quæst. 2. §. respondeo*, quibus in locis docet Doctor: Lumen gloriæ habere esse per veram, & propriam creationem, sicut gratia habitualis, de qua *in 3. citat.* ait: *Hoc enim modo solummodo Angeli, & anima intellectiva, & gratia, & quædam huiusmodi, quæ de nihilo producuntur à primo efficiente, dicuntur creari.* Quod quidem colligitur ex Tridentino *Sess. 6. cap. 7.* vbi dicitur: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accepit homo per Iesum-Christum: cui inseritur, fidem, spem, & Charitatem.*

9 Ratio Ill. Godoy, reijcitur 1.

Sed quia hoc negabit Ill. Godoy, hoc dato, nempè, quod lumen gloriæ sit proprietas gratiæ consumatæ, reijcitur secundo ratio illius ad hominẽ contra ipsum: implicante lumine gloriæ infinito in intensione, potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ: ergo ruit illius ratio. Probatur antecedens: ideò iuxta Ill. Godoy implicante lumine gloriæ infinito in intensione, non potest non implicare gratia habitualis infinitæ intensionis, quia lumen gloriæ est proprietas gratiæ consumatæ; sed licèt lumen gloriæ sit proprietas gratiæ consumatę, stat, implicare lumen gloriæ infinitum in intensione, quim implicet gratia habitualis intensionis infinitæ: ergo implicante lumine gloriæ infinito in intensione, potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ. Probatur minor: licèt lumen

10 Reijcitur 2. ad homin. contra Ill. Godoy.

glo-

gloriæ sit proprietas gratiæ consumatæ, repugnat lumen gloriæ infinitum in intensione, dummodo repugnet natura intellectualis infinita, stante adhuc infinita intensione gratiæ habitualis; sed implicat natura intellectualis infinita, adhuc stante infinita intensione gratiæ habitualis: ergo licèt lumen gloriæ sit proprietas gratiæ consumatæ, stat, implicare lumen gloriæ infinitum in intensione, quin implicet gratia habitualis intensionis infinitæ. Consequentia est manifesta. Minor est Ill. Godoy *num.* 33. Maior verò, inqua poterat esse difficultas.

11 *Probatur maior.*

Probatur eadem ratione; qua ipse probat primò, implicare lumen gloriæ infinitum in intensione: licèt lumen gloriæ sit proprietas gratiæ consumatæ; tamen adæquata causa, ad quam radicalitèr consequitur lumen gloriæ, non est gratia habitualis, sed conflatum ex illa, & intellectuali natura: ergo licèt lumen gloriæ sit proprietas gratiæ consumatæ, repugnat lumen gloriæ infinitum in intensione; dummodò repugnet natura intellectualis infinita, stante adhuc infinita intensione gratiæ habitualis. Probatur consequentia: ad hoc, vt conflatum ex duobus infinitum evadat, necessariò requiritur, quod vtraque pars radicans illud sit infinita; sed iuxta concessa lumen gloriæ est conflatum ex gratia habituali, & intellectuali natura: ergo repugnante infinitate in qualibet parte radicante, repugnat conflatum esse infinitum; atqui vna pars radicans lumen gloriæ est natura intellectualis, quæ repugnat esse infinita: ergo licèt lumen gloriæ sit proprietas gratiæ consumatæ, repugnat lumen gloriæ infinitum in intensione, dummodò repugnet natura intellectualis infinita, stante adhuc infinita intensione gratiæ habitualis.

12 *Ostenditur ratione esse contra Ill. Godoy.*

Hæc ratio est ad hominem contra Ill. Godoy, qui *num.* 33. probat, repugnare lumen gloriæ infinitè intensum hac ratione: *Nam adæquata causa, ad quam radicalitèr consequitur lumen gloriæ, non est gratia habitualis, sed conflatum ex illa, & intellectuali natura; & consequentèr, vt lumen evaderet infinitum, vtriusque partis causæ radicantis lumen infinitas esset necessaria; nam infinitas effectus ex limitatione cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur; sed implicat natura intellectualis infinita: ergo, & lumen gloriæ infinitum.* Sic ad litteram Ill. Godoy, ex quo evidenter patet; quod adhuc stante infinita intensione gratiæ habitualis, repugnat lumen gloriæ infinitè intensum, vt potè, conflatum non solum ex gratia habituali, sed etiam ex intellectual natura, cuius infinitate repugnante repugnat infinitas in conflato.

13 *Reijcitur 3 etiam ad hominem cõtra ipsum*

Reijcitur tertiò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: implicante lumine gloriæ infinito in intensione, potest non implicare gratia habitualis intensionis infinitæ: ergo nulla est illius ratio. Probatur antecedens; destruendo secundam probationem Ill. Godoy: implicante visione infinitè intensa, potest non implicare lumen infinit intensionis: ergo paritèr: implicante lumine gloriæ infinito in intensione, potest non implicare gratia habituali infinitæ intensionis. Consequentia in ipsius doctrina est paritate notoria; nam sicut adæquata causa visionis est intellectus, & lumen, vt ipse asserit in probatione secunda; ita adæquata causa luminis est gratia habitualis, & intellectualis natura, vt tenet in prima probatione. Antecedens verò probatur: ad hoc, vt implicet visio infinita sufficit, quod repugnet intellectus infinitus: ergo implicante visione infinitè intensa, potest non implicare lumen infinitæ intensionis. Probatur antecedens: ad hoc, vt implicet visio infinita, sufficit, quod quælibet causa illius infinita repugnet; sed intellectus est vna causa visionis: ergo ad hoc, vt implicet visio infinita, sufficit, quod repugnet intellectus infinitus. Maior est Ill. Godoy *num.* 33. asserens: quod infinitas effectus ex limitationes cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur. Minor est etiam ipsius in secunda probatione confitentis, quod adequata causa visionis est intellectus, & lumen. Consequentia manifesta videtur.

14 *Reijcitur 4 ostendendo quandã incõsequentiã Ill. Godoy.*

Reijcitur quartò, ostendendo inconsequentiam, quam ostendere promisimus *tom. præced. disput.* 1. *num.* 53: in præsenti namquè, vt Ill. Godoy probet, repugnare lumen gloriæ infinitè intensum, statuit, vt absolutè veram hanc propositionem: *Infinitas effectus ex limitatione cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur*; & supposita absoluta veritate talis propositionis, probat, repugnare visionem

in-

infinitæ intensionis; atqui stante absoluta veritate propositionis prædictæ, nequit Ill. Godoy defendere, quod peccatum in ratione offensæ sit simpliciter infinitum, nec quod Christi satisfactio sit valoris simpliciter infiniti: ergo cum hoc defendat *tom. præced. disput.* 1. & 3. inconsequenter ad ibi dicta procedit in præsenti. Consequentia est legitima. Maior est ipsius doctrina *in præsent. num.* 33. & à nobis relata *num.* 7. & 8. Minor vero probatur: stante absoluta veritate propositionis prædictæ, nec peccatum in ratione offensæ potest esse simpliciter infinitum, nec Christi satisfactio valoris simpliciter infiniti: ergo stante absoluta veritate propositionis prædictæ, nequit Ill. Godoy defendere, quod peccatum in ratione offensæ sit simpliciter infinitū, nec quod Christi satisfactio sit valoris simpliciter infiniti. Probatur antecedens: peccatum in ratione offensæ est effectus dependens ab aliqua causa finita, scilicet, cognitione, deliberatione, & connatu potentiæ; satisfactio etiam Christi est effectus dependens ab aliqua causa finita, nempè, voluntate humana Christi, gratia habituali, & obiecto: ergo stante absoluta veritate prædictę propositionis, nec peccatum in ratione offensæ esse potest simpliciter infinitum, nec Christi satisfactio valoris simpliciter infiniti. Antecedens est indubitatum, & ab Ill. Godoy proprijs locis concessum. Consequentia legitima apparet.

15 *2. Ratio Ill. Godoy.*

Probat secundò Ill. Godoy conclusionem prædictam *num.* 34. hac ratione: implicat habitualis gratia, cui ab intrinseco repugnet, sui augmentū promereri; sed hoc repugnaret gratię infinitæ intensionis: ergo implicat intensio infinita gratiæ. Illatio est legitima. Præmissæ indigent probatione. Probatur maior: nam gratiæ habituali convenit ab intrinseco esse principium meriti incrementi sui ipsius, sicut viventibus naturalibus convenit ab intrinseco proprium argumentum causare: ergo implicat habitualis gratia, cui ab intrinseco repugnet sui augmentum principiare: sicut, quia viventia petunt habere ab intrinseco sui augmenti principium, licèt possit vivens ab augmento aliquando cessare, vel ab extrinseco impediri; non tamen potest ab intrinseco viventi repugnare suum augmentum causare. Probatur etiam minor: gratiæ infinitæ intensionis repugnaret ab intrinseco augeri: ergo repugnaret etiā illi ab intrinseco sui augmetū promereri.

Sed nec ratio illa est sufficiens; nam falsa est absolutè maior; licèt enim verum sit, quod implicet habitualis gratia, cui in esse gratię, seu præcisivè ab intensione, ab intrinseco repugnet, sui augmentum promereri; falsum tamen est, quod implicet habitualis gratia, cui ratione summæ, aut infinitæ intensionis ab intrinseco repugnet, sui augmentum promereri. Quod patet in qualibet qualitate; licèt enim implicet qualitas, cui in esse qualitatis, seu præcisivè ab intensione, ab intrinseco repugnet, proprium augmentum causare; tamen si semel qualitas esset in summa, aut infinita intensione, ab intrinseco illi repugnaret, proprium augmentum causare, sicut infinito ab intrinseco repugnat augmētū; alioquin infinitū non esset.

16 *Hoc argument. non urget, & illius insufficientia ostenditur* 1.

Respondetur ad rationem.

Vndè ex hac doctrina distinguenda est maior argumenti Ill. Godoy hoc modo: implicat habitualis gratia, cui in esse gratiæ, seu præcisivè ab intensione, ab intrinseco repugnet, sui augmentum promereri, concedo maiorem; cui ratione summæ, aut infinitæ intensionis, ab intrinseco repugnet, sui augmentum promereri, nego maiorem; & hac distinctione distinguendum est antecedens probationis; patetque in exemplo de viventibus naturalibus ab ipso tradito; hæc enim (vt dicitur 6. *Physic.*) habent ex natura sua terminos intrinsecos magnitudinis, & paruitatis, consequentèrque nequeunt in infinitum augeri, vt cum Philosopho docuit Scotus *in 2. distinct. 2. quæst. 9.* & tenent communitèr Philosophi.

17 *Replicat Ill. Godoy.*

Contra hanc responsionem replicat Ill. Godoy *num.* 36: nam intensio gratiæ est eiusdem rationis cum gratia: ergo quod convenit gratiæ ratione suæ essentiæ, non potest illi repugnare ex quacumque magna intensione. Respondeo distinguendo antecedens: intensio gratiæ est eiusdem rationis cum gratia, & pertinet ad essentiam gratiæ nego antecedens; & est extra essentiam gratiæ concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo quod convenit gratiæ ratione suæ essentiæ intra lineam essentialem, non

Respondetur.

po-

potest illi repugnare ex quacumque magna intensione concedo consequentiam; quod convenit gratiæ ratione suæ essentiæ intra lineam gradualem, quæ est extra essentiam gratiæ, non potest illi repugnare ex quacumque magna intensione nego consequentiam. Itaquè licèt intensio gratiæ sit eiusdem rationis cum gratia; non tamen est de essentia gratiæ; sed omninò extra essentiam illius; gradus enim intensionis, tàm inter se, quàm à qualitate, quam intendunt, realitèr distinguntur, vt dicitur *in lib. de Generatione.* Vndè licèt gratiæ ratione suæ essentiæ conveniat, sui augmentum promereri; hoc potest illi repugnare ex summa, vel infinita intensione, eo, quod intensio non sit de essentia gratiæ, & vltrà summam, vel infinitam intensionem repugnet augmentum.

18 *Ostenditur 2. insufficiētia prædictæ rationis.* Ostenditur secundò insufficientia prædictæ rationis Ill. Godoy: nam data maiori, falsa est minor, cum probatione; quia licèt gratiæ infinitæ intensionis repugnet augeri; non tamen ab intrinseco illi repugnat, sed ab extrinseco, scilicèt, ratione infinitæ intensionis, quæ omninò est extra essentiā gratiæ. Hoc patet: id namquè ab intrinseco alicui repugnat, quod repugnat ratione suæ essentiæ; sed intensio non est de essentia gratiæ; cum sit realitèr à gratia distincta: ergo gratiæ infinitæ intensionis non repugnat ab intrinseco augeri: ergo falsa est minor argumenti Ill. Godoy, & simul probatio illius.

19 *Ostenditur 3. insufficiētia prædictæ rationis.* Tertiò ostenditur insufficientia rationis prædictæ: ratio Ill. Godoy multum probat: ergo nihil probat. Probatur antecedens: ratio probat, repugnare summam intensionem gratiæ; sed hoc est multum probare: ergo multum probat. Minor patet: nam gratia summè intensa est quid creatum, & consequentèr non repugnat. Maior verò probatur ratione Ill. Godoy: implicat habitualis gratia, cui ab intrinseco repugnet, sui augmentum promereri; sed hoc repugnat gratiæ summæ intensionis: ergo implicat intensio summa gratiæ. Præmissæ sunt probandæ. Probatur maior: nam gratiæ habituali convenit ab intrinseco, esse principium meriti incrementi sui ipsius; sicut viventibus naturalibus convenit ab intrinseco proprium augmentum causare: ergo implicat habitualis gratia, cui ab intrinseco repugnet, sui augmentum principiare: sicut quia viventia petunt habere ab intrinseco sui augmenti principium, licèt possit vivens ab augmento aliquando cessare, vel ab extrinseco impediri; non tamen potest ab intrinseco viventi repugnare, suum augmentum causare. Minor etiam probatur: gratiæ summæ intensionis repugnat ab intrinseco augeri: ergo etiam repugnaret illi ab intrinseco, sui augmentum promereri.

20 *Probatur antecedens.* Ecce rationem Ill. Godoy æquè probantem: repugnare gratiam infinitæ intensionis; ac gratiam summæ intensionis, quod vt clariùs appareat, probatur vltimum antecedens: gratiæ infinitæ intensionis repugnat ab intrinseco augeri: ergo etiam gratiæ summæ intensionis. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia probatur: ideò gratiæ infinitæ intensionis repugnat ab intrinseco augeri, quia infinito repugnat augmentum, vt ipse tenet *num.* 36. & est apud omnes certum; atqui summo repugnat etiam augmentum: ergo gratiæ summæ intensionis repugnat ab intrinseco augeri. Probatur minor: ideò infinito repugnat augmentum, quia si additio foret, infinitum non esset; sed si summo foret additio, summum non esset: ergo summo etiā repugnat augmētū.

21 *3. Ratio Ill. Godoy.* Probat tertiò Ill. Godoy conclusionem *num.* 37. ratione D. Thomæ *in præsenti artic.* 11: nam ex potentia limitata, & finitā, non potest accidens infinitæ intensionis educi; sed gratia habitualis inhærens animæ Christi educitur de potentia obedientiali illius, quæ est actu limitata, & finita: ergo implicat; gratiam habitualem Christi esse intensivè actu, & cathegorematicè infinitam. Consecutio est legitima. Minor pro prima parte est communis Theologorum sententia cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 1. asserentium: gratiam non creari, sed educi de potentia obedientiali animæ; & consequentèr idem est dicendum de gratia habituali Christi. Pro secunda etiam nota videtur: nam potentia obedientialis est ab illius essentia indistincta, quæ finita, & limitata est; & consequentèr obedientialis potentia etiam erit cathegorematicè actu finita.

22 *Maiorem probat.* 1.

Maiorem ostendit. Primo: quia namque potentia limitata est, non potest recipere accidens infinitum specificè; sed eadem ratio est de infinitate intensiva: ergo non potest accidens infinitæ intensionis ex potentia limitata educi. Secundò: nam accidens limitatur à subiecto, in quo recipitur; sed si potentia finita posset accidens infinitum recipere, non limitaretur ab illa: ergo non potest ex potentia receptiva finita accidens infinitum educi. Tertio: nam eo ipso, quod potentia sit finita, accidens ex illa eductum, non potest esse infinitum in essentia; sed cum finitate essentiæ non stat infinitas intensiva: ergo. Probatur minor: intensio accidentis est modus accidentalis in illius essentia, sicut in subiecto immediato, & connaturali receptus; sed formalitas recepta limitatur a subiecto, in quo recipitur, & ex quo educitur connaturaliter: ergo cum limitatione potentiæ non stat infinitas intensiva.

Secundò.

Tertiò.

23 *Insufficientia huius rationis ap peritur.*

Nec ratio ista est sufficiens: quia licèt vera sit apud Thomistas asserentes: gratiam habitualem educi de potentia obedientiali animę; falsa tamen est apud Scotistas omnes, qui gratiam habitualem creari firmiter substinemus cum Doctore Subtili *in* 1. *dist.* 17. *in fine. Et in* 2. *dist.* 7. §. *de secundo. Et in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 4. *&* 5. §. *Contra istam opinionem.* §. *ad* 1. *ergo quæst. Et dist.* 16. *quæst.* 2. §. *respondeo.* Deinde falsa est etiam ratio prædicta apud Thomistas illos, qui cum Scoto sentiunt: gratiam habitualem creari, de quorum numero sunt Caietanus, & Conradus 1. 2. *quæst.* 112. *artic.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 3. *artic.* 1. Ledesma 1. *p. quæst.* 3. *artic.* 1. Fonseca 5. *Methaphisicæ, cap.* 2. *quæst.* 4. Conimb. 1. *Phisicorum, cap.* 9. *quæst.* 12. *artic.* 5. *&* 6. Capreolus, Paludanus, Ferrara, & alij. Vndè negata minori pro prima parte, quam non probat Ill. God, ratio illius evanescit.

24 *Dices.*

Dices cum Ill. Godoy *num.* 39: nam licèt possit Deus gratiam creare, & subiecto gratificando vnire, quin actu educatur ex illo; non tamen potest facere, quod gratia, quamtumcumquè creata, non dicat ordinem ad subiectum, vt potens, & petens ex illius potentia obedientiali educi, cum iste ordo essentialis gratiæ sit; sed gratia infinita creata non potest hunc ordinem dicere, cum repugnet eo ipso, quod infinita sit, educi de potentia finita; & consequentèr, quod ordinem educibilis dicat: ergo non solum repugnat gratia infinita intensivè per eductionem facta, sed etiam à Deo creata. Cœterum hoc non obest; nam qui semel negant, gratiam habitualem educi de potentia obedientiali animæ, à fortiori negant, quod gratia dicat ordinem ad subiectum, vt potens, & petens ex illius potentia obedientiali educi; & consequentèr quod iste ordo sit essentialis gratiæ: nulla ergo est ratio, nullaque replica.

Contra.

25 *Suadetur* 1 *conclusio.*

His igitur rationibus Ill. Godoy, & alijs aliorum prætermissis, proba nda venit conclusio rationibus, quibus 3. *Phisicorum* probatur: repugnare infinitum in actu, & primò sic: repugnat, quod vnum infinitum sit maius alio: ergo repugnat sanctitas infinita creata: ergo repugnat gratia habitualis infinitè intensa. Hæc secunda consequentia patet ex prima: nam gratia habitualis est sanctitas creata: ergo si repugnat sanctitas creata infinita, repugnat etiam gratia habitualis infinitè intensa. Prima autem consequentia probatur: si sanctitas creata esset infinita, vnum infinitum esset maius alio; sed iuxta concessa repugnat, quod vnum infinitum sit maius alio: ergo repugnat sanctitas infinita creata. Probatur maior: sanctitas increata est infinita; sed sanctitas increata est maior omni sanctitate creata: ergo si sanctitas creata esset infinita, vnum infinitum esset maius alio. Maior, & consequentia tenent. Minor verò patet primò: nam sanctitas increata longè præstantior est omni sanctitate creata. Secundò: quia omnis sanctitas creata est participatio sanctitatis increatæ. Tertiò: quia ridiculum est, Deum non esse magis Sanctum sanctitate increata, quam Sancta posset esse quævis creatura, quacumquè sanctitate creata.

26 *Suadetur* 2

Secundò probatur conclusio: si gratia habitualis esset infinitæ intensionis, esset infinitè perfecta; sed repugnat creatura infinitè perfecta: ergo repugnat gratia habitualis infinitę intensionis. Minor patet: nam solus Deus est infinitè perfectus. Maior autem probatur primò: infinitas secundum se est perfectio: ergo si gratia habitualis esset infinitæ intensionis esset infinitè perfecta. Secundò pro-

ba-

batur : nam ſecundus gradus intenſionis addit perfectionem ſupra primum : ergo ſi gratia habitualis eſſet infinitæ intenſionis, eſſet perfecta infinitè. Conſequentia eſt legitima. Antecedens verò patet ex dictis *in libris de Generat.* vbi aſſeritur : gradus qualitatis dicere perfectionem, ſivè numero, ſivè ſpecie graduali diſtinctam.

27 *Suadetur deniquè cõcluſio.*

Deniquè probari poteſt concluſio ex dictis *lib. de Gener.* ibi enim docuimus, quod quælibet qualitas in intenſione, & remiſsione habet terminum certum; ſed gratia habitualis eſt qualitas : ergo habet in intenſione terminum certum : ergo ei repugnat infinita intenſio : ergo gratia habitualis non fuit in Chriſto intenſionis infinitæ cathegorematicè, quod eſt noſtra concluſio. Argumenta, quæ militare poſſunt contra concluſionem, philoſophica ſunt, & eorum ſolutionem in Philoſophia 3. *Phiſicorum* videndam relinquo.

§. II.

Gratiam Chriſti non poſſe dici in ratione gratiæ infinitam, probatur.

28 *2. Concluſio Eſt contra Ill. Godoy.*

SEcunda concluſio : *gratia Chriſti non poteſt dici phiſicè in ratione gratiæ infinita.* Hæc concluſio eſt contra Ill. Godoy *num.* 54. ipſam tamen tenet Scotus *cit. num.* 5. quam primò ſic probo : gratia habitualis Chriſti ſecundum phiſicam entitatem, ſeu in eſſe qualitatis, eſt finita : ergo etiam eſt finita in eſſe gratiæ, ſeu in munere gratificandi. Antecedens eſt Ill. Godoy, nobiſcum in concluſione antecedenti convenientis in eo, quòd gratia habitualis Chriſti non eſt intenſionis infinitæ. Conſequentia verò probatur : eſſe gratiæ, ſeu munus gratificandi, eſt gradus inferior reſpectivè ad gratiam habitualem in eſſe qualitatis; ſed gratia habitualis Chriſti ſecundum phiſicam entitatem, ſeu in eſſe qualitatis, eſt finita : ergo etiam eſt finita in eſſe gratiæ, ſeu in munere gratificandi. Maior eſt certa; valet enim hæc conſequentia : *eſt gratia : ergo eſt qualitas; non verò è contra*, quod verum non eſſet, niſi eſſe gratiæ eſſet gradus inferior ad eſſe qualitatis. Conſequentia probatur : gradus inferior proportionatur cum ſuperiori; ſed gratia in eſſe qualitatis, quæ eſt gradus ſuperior, eſt finita : ergo gratia in eſſe gratiæ, quæ eſt gradus inferior, eſt etiam finita.

Probat. 1. ratione.

Probatur ſecundò concluſio paritate deſumpta ex quacumquè qualitate, quæ ſicut gratia, conſideratur in eſſe qualitatis, & in eſſe talis qualitatis : gratia habitualis Chriſti in eſſe qualitatis eſt finita : ergo reddit ſubiectum finito modo gratum : ergo finita eſt in eſſe gratiæ. Probatur prima conſequentia : albedo (& ſic etiam de quacumque qualitate) quæ in eſſe qualitatis eſt finita, reddit ſubiectum finito modo album; ſed iuxta conceſſa gratia habitualis Chriſti eſt finita in eſſe qualitatis : ergo reddit ſubiectum finito modo gratum. Probatur conſequentia : non alia ratione albedo reddit ſubiectum finito modo album, niſi quia albedo in eſſe qualitatis eſt finita; ſed gratia Chriſti habitualis in eſſe qualitatis eſt finita : ergo reddit ſubiectum finito modo gratum. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem patet : nam non alia ratione albedo reddit ſubiectum finito modo album, niſi; quia ſicut albedo in eſſe qualitatis, quæ eſt prædicatum ſuperius, eſt finita; ita albedo in eſſe albedinis, quæ eſt prædicatum inferius, debet eſſe finita : ergo non alia ratione albedo reddit ſubiectum finito modo album, niſi quia albedo eſt finita in eſſe qualitatis.

29 *Probat. 2. paritate.*

Dices pro Ill. Godoy.

Dices pro Ill. Godoy : gratia in noſtra, & Scoti ſententia, non habet gratificare, ſeu expellere peccatum, & reddere filium Dei ex natura ſua, ſeu ſecundum ſuam phyſicam entitatē, ſed ſolum ex acceptatione Divina, vel ratione pacti : ergo etiam ſi gratia ſecundum ſuam phyſicam entitatē, ſeu in eſſe qualitatis, ſit finita, poterit eſſe infinita in eſſe gratiæ, ſeu in munere gratificandi. Probatur conſequentia : gratia per nos non ex natura ſua, ſed ſolum ex acceptatione Divina, habet gratificare; ſed nullum eſt inconveniens, vt poſsit Deus ſic acceptare gratiam Chriſti Domini, vt per illam gratificetur infinitè : ergo etiam ſi gratia ſecundum ſuam phyſicam entitatem, ſeu in eſſe qualitatis, ſit finita, poterit eſſe infinita in eſſe gratiæ, ſeu in munere gratificandi.

Reſpondetur.

Reſpondeo negando conſequentiā, ad cuius probationem nego mino-

rem; quia Deus acceptat gratiam iuxta congruentiam, aut exigentiam naturalem illius; nulla autem gratia finita in sua physica entitate exigit acceptationem infinitam, seu quod Deus illam acceptet ad infinitè gratificandum aliquod subiectum.

31 *Probat. 3. conclus. destruendo fundament. Ill. Godoy.*

Probatur tertiò conclusio, destruendo fundamentum Ill. Godoy: vt gratia habitualis in Christo se extendat ad omnes effectus, & operationes gratiæ, nempè, ad infinitorum hominum redemptionem, & sanctificationem, non requiritur, quod gratia Christi habitualis sit physicè in ratione gratiæ infinita, seu quod sit infinita secundum quantitatem virtualem extensivam, & physicam: ergo gratia Christi habitualis non est physicè in ratione gratiæ infinita. Consequentia est legitima per oppositum ad fundamentum Ill. Godoy. Antecedens verò, quod contradictoriè opponitur fundamento illius, est doctrina Scoti *in 3. dist. 19. §. quantum ad sufficientiam.* vers. *Tamen ex circunstantia*, vbi docet: quod vt gratia habitualis in Christo se extendat ad omnes effectus, & operationes gratiæ, non requiritur, quod extensio attendatur per respectum, quem effectus, & operationes dicunt ad gratiam habitualem, sed per respectum, quem dicunt ad suppositum Divinum, à quo hauriebant quandam infinitatem, ratione cuius poterant acceptari pro infinitis.

32 *Probatur antecedens.*

Sed quia hanc doctrinam negare tenetur Ill. Godoy, aliter probatur antecedens: vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum, sufficit, quod gratia sit altioris ordinis ad homines redimendos, & satisfaciendos: ergo vt gratia habitualis in Christo se extendat ad infinitorum hominum redemptionē, & sanctificationem, non requiritur, quod gratia Christi habitualis sit physicè in ratione gratiæ infinita. Consequentia legitimè infertur; antecedens verò, in quo dumtaxat potest esse difficultas, latè à nobis manet ostensum *tom. præced. disput. 3. à num. 68. vsque ad num. 79.* Videantur, quæ ibi diximus, & vltrà ibi dicta probandum venit, tum paritatibus; tùm etiam doctrinis ab Ill. Godoy traditis.

33 *Probatur*

Probatur itaquè antecedens. Primò triplici paritate. Prima est: vt sol se extendat ad infinitos effectus lucis, seu ad infinitas res illuminandas, sufficit, quod sol sit altioris ordinis ad omnes effectus lucis: ergo pariter: vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum, sufficit, quod gratia sit altioris ordinis ad homines redimendos, & satisfaciendos. Secunda paritas est: vt caput se extendat ad influendum in infinita membra, si infinita essent, sufficit, quod caput sit altioris ordinis ad membra: ergo similiter. Tertia paritas est: vt homo sit perfectior infinitis viventibus materialibus, si infinita forent; sufficit, quod homo in esse viventis sit altioris ordinis ad omnia, illa viventia materialia: pariter ergo de gratia.

antecedens paritatibus

Prima.

Secunda.

Tertia.

34 *Probat. 2. antecedens doctrina Ill. Godoy.*

Secundò probatur idem antecedens doctrina Ill. Godoy: ipse namquè *tom. præced. disput. 2. num. 77.* hoc habet corollarium: *Infero secundò ex dictis, etiam si esset dabilis gratia infinitæ intensionis, & actus ab illa eliciti infinita intensione gaudentes, adhuc per tales actus non posse pro offensa mortali satisfieri condignè. Quod patet; nam etsi illi actus essent infiniti intensivè, illorum tamen infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatem offensæ mortalis: ergo illius gravitatem non adæquarent in morali æstimatione, & consequenter pro illa satisfactio condigna non esset. Probatur antecedens: nam infinitas offensæ mortalis est ordinis per communicationem divini, vtpotè ab ipsa Dei maiestate præstita immediatè formaliter; sed infinitas intensiva, qua in gratia habituali, & in actibus ab illa procedentibus, disputationis causa supponimus, istius ordinis non est; non enim est per communicationem divinitatis Divina, sed tantum per participationem illius: ergo talis infinitas esset inferioris ordinis ad infinitudinem offensæ mortalis.*

35

Quod sit explicat *num. 78: Etsi gratia infinitæ intensionis per impossibile in anima Christi residens, illam infinitè Sanctam redderet, non tamen æquè Sanctam constitueret, ac est Sancta per gratiam substantialem vnionis, eo quod infinitas à gratia vnionis proveniens est divina per communicationem, quia ab ipsa Deitate, vel ab alio prædicato divino, tanquam à forma, præstatur; quæ tamen à gratia habituali infinitè intensa daretur, non esset per communicationem divinam, sed tantum per participatio-*

nem;

nem; at infinitas offensæ est ordinis divini communicativè, scilicèt, per communicationem immediatam divinitatis, se ipsa, vt forma, offensam gravificantis; infinitas autem illis actibus permissa non est divini ordinis per communicationem, sed tantum per participationem: ergo huiuscemodi infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatem offensæ. Ex quo vlteriùs sit, vt gravitatem offensæ non adæquaret, ac proinde tales actus, quamvis infinitè intensi; pro mortali offensa condigna satisfactio non esset.

36 Ex hac igitur doctrina Ill. Godoy evidentèr, & absque dubio sequitur, quod etsi peccatum esset in ratione offensæ simpliciter infinitum, adhuc in illius opinione purus homo non posset condignè, & ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere, eo, quod actus satisfactorius esset inferioris ordinis ad gravitatem peccati mortalis. Hoc igitur ex doctrina illius legitimè deducto, infero contra ipsum: ergo quod peccatum in ratione offensæ sit altioris ordinis, sufficit, vt superexcedat infinitos actus satisfactorios puri hominis: ergo vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum, sufficit, quod sit altioris ordinis ad homines redimendos, & satisfaciendos.

37 *Probat. 3. antecedens aliâ doctrina ipsius.* Probatur tertiò dictum antecedens alia doctrina Ill. Godoy: ipse namque *tom. & disput. cit. num. 79.* hoc statuit corollarium: *Tertiò colligo, si asseratur, peccatum mortale in ratione offensæ non esse infinitum simpliciter, nec superioris ordinis ad satisfactionem à pura creatura elicitam adoptionis gratia formatam, & valoratam, non posse consequentèr negari puræ creaturæ sufficientes vires ad condignè satisfaciendum pro illo.* Hæc Ill. Godoy. Nunc verò contra ipsum: ergo dummodo peccatum mortale in ratione offensæ sit superioris ordinis ad satisfactionem, à pura creatura elicitam, peccatum mortale in ratione offensæ superexcedit infinitas puri hominis satisfactiones: ergo superioritas ordinis in gratia habituali Christi sufficiet, vt se extendat ad redemptionem, & satisfactionem infinitorum hominum.

38 *Probat. 4. alia ipsius doctrina.* Denique clariùs, & vrgentiùs probatur antecedens prædictum alia doctrina Ill. Godoy: ipse namquè *tom. cit. disp. 3. num. 9.* impugnando solutionem quandam, hæc habet: *Res ordinis inferioris, etiam si infinita sit, non potest in perfectione constitutum in ordine superiori, quamvis finitum sit, adæquare, v.g. albedo, estò finitè intendatur, si hoc sit possibile, non adæquabit perfectionem gratiæ finitæ, quia gratia in superiori oraine est: ergo etiam si offensa mortalis sit moralitèr infinita, non adæquabit dignitatem satisfactionis Christi finitam, semel dato, quod in superiori ordine sit.* Hæc Ill. Godoy, & ego non ampliùs, quia manifesta apparet consequentia, scilicet, ergo vt gratia habitualis in Christo se extendat ad infinitorum hominum redemptionem, & sanctificationem, non requiritur, quod gratia habitualis Christi sit physicè in ratione gratiæ infinita.

39 *Probat. 5. conclusio destruendo fundament. Ill. Godoy.* Probatur quintò conclusio, destruendo fundamentum Ill. Godoy: vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominũ, non requiritur, quod verè, & propriè sit physicè infinita in ratione gratiæ: ergo gratia Christi habitualis non est physicè in ratione gratiæ infinita. Probatur antecedens: vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum, sufficit, quod sit summa negativè, seu quod sit lato modo infinita: ergo vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum, non requiritur, quod verè, & propriè sit in ratione gratiæ physicè infinita. Probatur antecedens exemplo solis: nam vt sol se extendat ad infinitas res illuminandas, sufficit, quod sol in ratione lucis sit summus negativè, seu quod sit lato modo infinitus: ergo pariter: vt gratia habitualis in Christo se extendat ad redemptionem, & sanctificationem infinitorum hominum, sufficit, quod sit summa negativè, seu quod lato modo sit infinita.

40 *Confirmatur.* Sed quia hoc est exemplum, quo vtitur D. Thom. *in præsenti*, & quod adducit Ill. Godoy *num. 56.* ipso etiam ego vtor ad dicta confirmanda. Confirmatur itaquè: gratia habitualis Christi Domini potest dici infinita, sicut dicitur infinita lux solis; sed lux solis in ratione lucis non est verè, & propriè infinita: ergo gratia habitualis

Christi Domini non est verè, & propriè infinita in ratione gratiæ. Consequentia est legitima. Maior est Div. Thom. *citat.* Minor verò probatur: lux solis in ratione lucis ad summum est lato modo infinita, seu summa negativè; non enim habet attributa, quę infinito, verò, & propriò conveniunt, de quibus 3. *Physic.* agitur: ergo lux solis in ratione lucis non est verè, & propriè infinita.

§. III.

Obiectionibus Ill. Godoy occurritur.

41 *Arguit.* 1. ARguit primò Ill. Godoy *num.* 54: nam secundum Ioannem gratia fuit data humanitati Christi, non ad mensuram, vt dicitur Ioannis *cap.* 3. *v.* 34. quod non solum ad vnionis gratiam, sed etiam ad gratiam habitualem referendum esse, docet Div. Thom. *in allegatis locis*, hancque intelligentiam alijs preferendam censet *quæst.* 29. *de Veritate, artic.* 3. cum tamē alijs hominibus ad mensuram detur gratia, vt constat ex illo Pauli ad Ephesios *cap.* 4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*: ergo gratia habitualis Christi sub aliqua ratione sine mensura intelligitur; sed quod est sine mensura infinitum est; nam omne finitum mensuram habet: ergo gratia Christi fuit sub aliqua ratione infinita

42 *Respond.* 1. Respondeo primò negando antecedens; neque illud probant verba Ioannis *citat.* quæ sunt hæc: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*; quia nomine *Spiritus* non intelligitur ibi gratia habitualis, sed ipsemet Spiritus Sanctus, qui ratione vnionis hypostaticæ fuit per concomitantiam communicatus humanitati Christi Domini. Vel (vt plures PP. exponunt) intelligitur Divinitas ipsa per æternam generationem Verbo communicata.

Respond. 2. Secundò (dato, quod nomine *Spiritus* intelligatur gratia habitualis, vt cum D. Thoma sentit Ill. Godoy) respondeo explicando antecedens: gratia fuit data humanitati non ad mensuram, idest, in magna copia, & abundantia, seu in summo gradu concedo antecedens; non ad mensuram, idest, sine mensura, vel termino nego antecedens, & consequentiam. Ratio solutionis est: nam ly *non ad mensuram*, non est idem, ac sine mensura, sed solum denotat magnam copiam, & abundantiam, in qua acceptione Cœlum, & Mare appellamus immensum.

43 *Respond.* 3. Respondeo tertiò aliter explicando antecedens: gratia fuit data humanitati Christi non ad mensuram absolutè, & intrinsicè nego antecedens; comparativè concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo gratia habitualis Christi sub aliqua ratione sine mensura intelligitur comparativè concedo consequentiam; absolutè, & intrinsicè nego consequentiam; & distinguo minorem: sed quod est sine mensura absolutè, & intrinsicè, infinitum est concedo minorem; quod est sine mensura comparativè, infinitum est nego minorem, & consequentiam. Itaquè gratia habitualis data fuit humanitati Christi sine mensura, non absolutè, & intrinsicè, sed comparativè ad gratias hominum, sicut fons dicitur sine mensura comparativè ad rivulos. Et quod in hoc sensu intelligantur verba Ioannis, est valdè consonum eidem Evangelistæ, qui *cap.* 1. dixerat: Christum esse fontem omnium gratiarū, vt patet ex illis verbis: *De plenitudine eius omnes accepimus.*

44 *Arguit.* 2. Arguit secundò Ill. Godoy *num.* 55. ratione ex D. Thoma desumpta, & ad hanc formam redacta: nam in gratia potest considerari, & quantitas intensiva, & quantitas virtualis extensiva, secundum quod ad effectus gratiæ extenditur: ergo gratia infinita, vel intensivè, vel extensivè erit infinita secundum rationem gratiæ; sed gratia Christi licèt non fuerit infinita intensivè, est tamen infinita secundū quantitatem virtualem extensivam, & physicam: ergo est physicè in ratione gratię infinita. Probatur minor: anima sensitiva, quæ se extenderet ad omnes actus sentiendi, esset infinita extensivè in ratione sensitivæ, secundum quantitatem extensivam, quia non esset limitata ad aliquem determinatum modum sentiendi; sed gratia habitualis in Christo se extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ. Vndè Chrisostomus super illa verba Ioannis, sic ait: *Spiritum autem hic actionem Spiritus Sancti dicit; vult enim ostendere, quoniam omnes quidem nos in mensura Spiritus actiones suscipimus; Christus autem omnē Spiritus suscipit actionem*: ergo gratia Christi est infinita physicè in aliqua ratione gratiæ.

Res-

45 *Respond. 1.*

Respondeo primò ad argumentum, concesso antecedenti cum consequentia, nego minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: anima sensitiva, quæ se extenderet ad omnes actus sentiendi, esset infinita extensivè in ratione sensitivæ secundum quantitatem extensivam, si extensio esset per respectum, quem actus sentiendi dicerent ad animam sensitivam omitto maiorem; si extensio esset per respectum, quem actus sentiendi dicerent ad aliud nego maiorem; & distinguo minorem: sed gratia habitualis in Christo se extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ, ita quod extensio attendatur per respectum, quem effectus, & operationes dicunt ad gratiam habitualem nego minorem; per respectum, quem dicunt ad suppositum Divinũ concedo minorẽ, & nego consequentiam. Solutio claret ex dictis *num.* 31.

46 *Explicatur solutio.*

Et ampliùs declaratur: nam in tantum gratia habitualis in Christo se extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ, in quantum Christus Dominus fuit principium gratificans homines, satisfaciendo pro illorum debitis, seu merendo suis operibus, quod eis conferretur gratia, & remitterentur peccata. Meritum autem Christi Domini, aut eius satisfactio, diversos induebat ordines, seu respectus, quibus valor eius operum integrabatur. Respiciebant enim eius opera voluntatem operantem cum libertate contingentiæ; obiectum benè circunstantionatum; habitualem gratiam, qua Christus Dominus reddebatur formaliter amicus, & eius opera digna acceptari, vt meritoria; & demum suppositum Divinum, quo suppositabatur humana natura, quæ erat principium elicitivum talium operũ. Ad rem ergo: opera meritoria, aut satisfactoria Christi Domini erant quidem sufficientia ad gratificandũ infinitos homines (si darentur) pro ipsorum peccatis satisfaciendo, seu merendo, vt illis conferretur gratia. Tamen sufficientia ista attendenda est, non penès respectum, quem opera dicunt ad gratiam sanctificantem; sed per respectum, quem dicunt ad suppositum Divinum, à quo hauriebant quandam infinitatem, ratione cuius poterant acceptari pro infinitis, vt fatetur Scotus *citat.*

47 *Respond. 2.*

Respondeo secundò ad probationem minoris aliter distinguendo maiorem: anima sensitiva, quæ se extenderet ad omnes actus sentiendi, esset infinita extensivè in ratione sensitivæ secundum quantitatem extensivam, infinitate ordinis, & lato modo sumpta, vel infinitate vera, & propria concedo maiorem; infinitate vera, & propria præcisè nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: ergo gratia Christi est infinita physicè in aliqua ratione gratiæ, infinitate ordinis, & lato modo capta concedo consequentiam; infinitate vera, & propria nego consequentiam. Patet solutio ex dictis *à num.* 32. *vsque ad* 40. vbi paritatibus, & varijs Ill. God. doctrinis stabilita manet, ex ipsisque fiant contra argumentum retorsiones. *Retorque.*

§. IV.

Gratiam Christi esse simpliciter infinitam in ratione gratiæ, ex doctrina Ill. Godoy contra ipsum probatur.

48 *3. Conclusio*

TErtia conclusio: *Dato, quod gratia Christi sit physicè in ratione gratiæ infinita, est infinita simpliciter.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy, qui *numer.* 54. hanc statuit conclusionem: *Gratia Christi potest dici physicè in ratione gratiæ infinita; hæc tamen infinitas non est simpliciter talis*, quàm quoad secundam partem sic probat *num.* 57: *Nam linea infinitæ longitudinis, non tamen infinitæ extensionis, non esset infinita in ratione quantitatis simpliciter; & similiter superficies extensionis infinitæ, & profunditatis, aut longitudinis infinitæ, simpliciter infinita non esset in ratione quantitatis, eo, quod nulla illarum omnem dimensionem ad genus quantitatis pertinentem contineret; sed gratia Christi, estò sit extensivè infinita; intensivè tamen infinita non est, & intensio ad rationem gratiæ pertinet: ergo non est in ratione gratiæ physicè simpliciter infinita.* Hæc Ill. Godoy.

49 *Ostenditur 1. quædam Ill. Godoy inconsequẽtia, & 1. probatur conclusio.*

Contra quem probanda venit nostra conclusio, probando in eius doctrina falsitatem secundæ partis conclusionis Ill. Godoy, prima suppositа, quod faciemus, ostendendo inconsequentiam, quam (meo videri) in præsenti committit. Probatur itaquè primò: quod offensa peccati mortalis finitæ gravitatis sit ex obiecto, non to-

llit, quod ſit in ratione offenſæ ſimpliciter infinita ob infinitatem Diuinæ maieſtatis offenſæ, vt ipſe docet *tom. præcedent. diſput.* 1. & tamen gravitas ex obiecto deſſumpta pertinet ad rationem offenſæ: ergo quod gratia Chriſti ſit finita in intenſione ad rationem gratiæ ſpectante, non tollit, quominùs ſit infinita ſimpliciter ratione infinitatis intenſivæ. Infero amplius: ergo inconſequenter ad dicta *tom. & diſput. citat.* procedit Ill. Godoy in concluſione, quam in præſenti ſtatuit. Hæc conſequentia eſt manifeſta; nam *tom. & diſput. citat.* cum infinitate peccati ob infinitatem Diuinæ maieſtatis offenſæ, & finitate illius ob finitatem obiecti, tribuit peccato infinitatem ſimpliciter, quam in præſenti negat gratiæ cum infinitate ob infinitos effectus, ad quos ſe extendit, & finitate ob intenſionis finitatem.

50 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Hanc inſtantiam (vltima illatione excepta) ad litteram ſibi fecit Ill. Godoy *num.* 61. ad ipſamque reſpondet *num.* 62. Conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam. Et rationem diſcriminis dat: nam infinita gravitas, ſumpta ex maieſtate offenſa, continet eminenter omnem aliam gravitatem, ſumptam ex alijs capitibus. Quando autē formalitas ex vno capite ſumptà, ſic continet illas, quæ ex alijs principijs ſumuntur, non obſtat limitatio iſtarum denominationi infiniti ſimpliciter; infinitas autem extenſiva gratiæ Chriſti non continet eminenter intenſivam perfectionem gratiæ; & ideò non ſufficit ad conſtituendam ſimpliciter in ratione gratiæ infinitam, ſi ſit finitæ intenſionis. Cæterum hæc ſolutio eadem eſt cum illa, quam ex Ill. Godoy *tom. præcedent. diſput.* 1. *num.* 147. nos ibi retulimus *num.* 45. & licèt triplicitèr impugnata maneat per ibi à nobis dicta *à num.* 46. *vſque ad* 49. & vltrà dupliciter *num.* 52. *&* 53; illam præcludere conabor; alitèr inconſequentiam demonſtrando.

51 *Oſtenditur 2. inconſequentia.*

Oſtenditur ſecundò inconſequentia prædicta: peccatum in ratione offenſæ intenſivè infinitum, & extenſivè finitum, eſt in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum: ergo gratia extenſivè infinita in eſſe gratiæ, & intenſivè finita, eſt ſimpliciter infinita in ratione gratiæ. Conſequentia eſt ratione paritatis notoria. Antecedens autem eſt Ill. Godoy, qui *tom. præcedent. diſput.* 1. *per totam* tenet, quod peccatum in ratione offenſæ eſt ſimpliciter infinitum, cum quo aſſerit *num.* 146. quod peccatum in ratione offenſæ eſt intenſivè infinitum, & extenſivè finitum; docet namquè, quod Deus æqualiter offenditur peccatis intenſivè, & inæqualiter offenditur peccatis extenſivè, quod verum non eſſet, niſi peccatum in ratione offenſæ eſſet extenſivè finitum, vt patet, & probatum manet à nobis *tom. præcedent. diſput.* 1. *infrà numer.* 54. Infero nunc: ergo inconſequenter ad dicta *tom. præcedent. diſput.* 1. procedit Ill. Godoy in concluſione, quam in præſenti ſtatuit. Hæc conſequentia eſt manifeſta: nam *tom. & diſput. citat.* cum infinitate intenſiva, & extenſiva finitate peccati in ratione offenſæ, tribuit peccato infinitatem ſimpliciter, quam cum infinitate extenſiva, & finitate intenſiva gratiæ, in eſſe gratiæ, negat gratiæ in præſenti.

52 *Oſtenditur 3. inconſequentia.*

Tertiò oſtenditur prædicta inconſequentia: quod malitia peccati mortalis ſit finita, non tollit, quod ſi offenſa eſt infinita, infinitas peccati ſit ſimpliciter talis: ergo paritèr: quod intenſio gratiæ ſit finita, non tollit, quod ſi gratia in ratione gratiæ eſt phyſicè infinita, infinitas gratiæ ſit ſimpliciter talis. Antecedens eſt Ill. Godoy *tom. & diſput. citat.* aſſerentis: infinitatem peccati eſſe ſimpliciter talem, cum quo tenet *num.* 138. malitiam peccati eſſe finitam. Conſequentia probatur: ideò finitas intenſionis gratiæ obſtaret, vt infinitas illius eſſet ſimpliciter talis, quia intenſio ad rationem gratiæ pertinet; ſed hoc non obſtat: ergo quod intenſio gratiæ ſit finita, non tollit, quod ſi gratia in ratione gratiæ eſt phyſicè infinita, infinitas gratiæ ſit ſimpliciter talis. Maior eſt ratio ab Ill. Godoy tradita pro ſua concluſione. Minor probatur: finitas malitiæ peccati non obſtat, vt infinitas peccati ſit ſimpliciter talis; ſed malitia peccati pertinet ad rationem peccati: ergo quod intenſio ad rationem gratiæ pertineat, non obeſt, vt infinitas gratiæ ſit ſimpliciter talis. Infero nunc: ergo inconſequenter procedit Ill. Godoy. Hæc conſequentia patet: nam aſſerere, quod finitas intenſionis gratiæ obſtat, vt eius infinitas ſit ſimpliciter talis, eo, quod

in-

intensio ad rationem gratiæ pertinet, & assertum habere, quod malitia peccati, quæ finita est, & ad rationem peccati pertinet, non obstat, vt infinitas peccati sit simpliciter talis, inconsequentia videtur; eadem namque est ratio de vtroque, vt claret, & probavimus *tom. præcedent. disput. 1. num. 54.* in prima confirmatione octavæ probationis.

53 *Alia inconsequentia refertur.*

Denique si inconsequentia illata est verè inconsequentia (vt mihi visum est) eandem inconsequentiam dicta *tom. præcedent. disput. 3.* vbi tenet: infinitatem valoris satisfactionis Christi esse simpliciter talem, quæ quidem inconsequentia facillimè demonstrari valet per à nobis dicta *tom. præcedent. disput. 3. num. 41.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. distinct. 13. §. 1.* ad illa verba: *Gratiæ plenitudinem recepisse.* *Mag. Sent.*

DISPVTATIO VIGESIMA SEPTIMA:

An Christi gratia, & Sanctitas augeri potuerit?

§. I.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ.

Num. 1 *Suppos.* 1

IN hac disputatione tria, vt extra controversiam, & indubitata, supponit Ill. Godoy, & alia tria nos etiam supponimus. Primum est: gratiam Christi habitualem de facto non fuisse auctam, nec potuisse augeri de lege ordinaria Dei. Quod patet ratione Scoti *in 3. distinct. 13. in respons. ad 3. quæst.* Et D. Thomæ *in præsent. artic. 12.*: gratia enim, cum ad terminum pervenit, non suscipit incrementum: quo circa in Beatis gratia intrinsicè non augetur, quia est in termino; gratiam autem augeri, est proprium viatorum tendentium ad terminum; non comprehensorum, quia iam in termino sunt; at gratia Christi est gratia comprehensoris existentis iam in termino; fuit namque ab initio suæ conceptionis beatus: ergo nunquam suscepit incrementum, nec potuit de lege Dei ordinaria.

2 Ex quo manifestè apparet: gratiam habitualem Christi esse summam, & omnium maximam, quam Deus vnquam creaturæ communicaverit, vel communicare potuerit de communi lege, ac de potentia ordinaria; quia nullus debuit habere tantum, sicut nullus fuit, vel erit, tàm dignus, quàm Christus: vndè si concipiamus ex omnibus aliorum hominum, & Angelorum gratijs inter se adunatis vnam gratiam resultare, adhuc intensio gratiæ Christi totam istam intensionem superaret. Et ratio est: quia ob vnionem hypostaticam habuit humanitas Christi summam congruitatem ad summam gratiam, etiam infinitam, si esset possibilis; ita Scotus *citat. quæst. 1. & 2.* & est communis omnium sensus.

Secundum, quod supponimus, est: quod si gratia Christi habitualis potuisset augeri, Christus, in quantum homo, ratione huius augmenti diceretur sanctior absolutè, & non tantum secundum quid. Hoc supponimus contra Ill. Godoy, oppositum supponentem *num. 5.* eo, quod asserat: Christum, vt hominem, fuisse à Divinitate Sanctum infinitè simpliciter, & per oppositum probatur: si Christus, vt homo, non esset à Divinitate Sanctus, sed solum à gratia habituali, ab augmento gratiæ habitualis intensivo diceretur sanctior absolutè, & simpliciter; sed Christus, vt homo, non fuit à Divinitate Sanctus, sed solum à gratia habituali: ergo si gratia Christi habitualis augeretur, Christus, in quantum homo, ratione huius augmenti diceretur sanctior absolutè, & non tantum secundum quid. Consequentia est legitima. Minor constat *ex dictis disput. 21. per totam.* Maior verò est certa adhuc apud Ill. Godoy *num. 5.* 3 *Suppos.* 2.

Et

4

Et vltrà ostenditur paritate ab ipso tradita: nam si opera Christi essent: non à dignitate personæ, sed solum ab obiecto, vel alijs circunstantijs satisfactoria, aut meritoria, ob excessum ex obiecto, vel alijs circunstantijs, essent magis meritoria, vel satisfactoria absolutè, & simpliciter: ergo si Christus, vt homo, non esset à Divinitate Sanctus, sed solum à gratia habituali, ab augmento gratiæ habitualis intensivo diceretur sanctior absolutè, & simpliciter.

5 *Suppositi. 3.*

Tertium est: quod si detur status in intensione qualitatum, ita vt aliqua qualitas pervenire possit ad tantam intensionem finitam, vt magis intensa dari non possit, gratia Christi dicenda erit summa negativè, hoc est, qua maior dari non possit; non erit verò summa positivè, hoc est, excedens omnes gratias possibiles, quia alia gratia ipsi æqualis esset possibilis. Ratio huius est: quia tanta perfectio danda est Christo, quanta potest: ergo si detur talis status in intensione, debuit Christo dari gratia, quia maior dari non possit; sed illa gratia erit summa negativè: ergo, &c. Si verò non detur talis status, non erit summa, nec negativè, nec positivè respectu omnium gratiarum possibilium. Et ratio est: quia in illa hypotesi non posset dari vlla tanta, quin maior dari possit de potentia Dei absoluta.

6 *Explicatur difficultas.*

His positis, quod in dubium vertimus, est: an gratia Christi habitualis potuerit intensivè crescere de potentia Dei absoluta? Circa quod duplicem (vt ad meum facit intentum) reperio Theologorum sententiam. Prima absolutè docet: gratiam Christi potuisse intensivè augeri de potentia absoluta. Sic Ill. Godoy *num.* 10. cum omnibus, quos ipse citat *num.* 9. vltra quos ex nostris Mastrius *in 3. disput. 2. quæst. 3.*

1. *Sententia.*

Ill. Godoy.

7 2. *Sententia.*

Scotus.

Secunda sententia ex diametro opposita docet: gratiam Christi habitualem non potuisse intensivè augeri de potentia absoluta. Ita Scotus *in 3. dist. 13. §. ad 1. quæst. & §. ad 2. quæst.* vbi *litt. H.* fecit illam pijssimam protestationem, scilicet, *In commendando Christum, malo excedere, quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere.* Magistrum secuntur omnes ferè Scotistæ, tum veteres, tum seniores, vt fatetur Mastrius in præsenti, etsi oppositum teneat.

Scotistæ.

Vltrà Scotistas autem hanc sententiam tuentur D. Bonaventura *in 3. dist. 3. artic. 1. quæst. 2.* Ricardus *in eadem dist. quæst. 1. artic. 2.* Durandus *quæst. 1.* & Clarius *in 1. dist. 17. quæst. 9. num. 8.* Et quod nobis ad intentum propitius pro hac opinione citatur D. Thomas pluribus in locis ab Ill. Godoy adductis §. 4. ipsamque expressè tenet Caietanus *2. 2. quæst. 24. artic. 7. & 3. part. quæst. 7. artic. 11. & suprà artic. 9. & quæst. 10. artic. 4.* Nazarius *in præsenti artic. 12. controvers. vnica.* Lorca *in præsenti disput. 43.* Et alij recentiores ex Thomistica Schola, vt fatetur Ill. Godoy *num. 7. & 8.*

8 *D. Bonav. Ricardus. Durandus. Clarius.*

D. Thom.

Caietanus.

Nazarius.

Lorca.

Ex his denique apparet probabilitas sententiæ prædictæ, vtpotè; tot gravioribus Doctoribus munita. Et quando non gauderet tanta probabilitate, quanta adversarijs videtur, primam sententiam gaudere; adhuc hæc postponenda esset, & sequenda esset secunda, vtpotè, magis pia; magis enim exaltat humanitatem Christi, vt est de se manifestum, & nullus adversariorum negare audebit; imò hoc manifestè clamat, & conclamat Mastrius *in præsenti num. 85. in fine quæstionis*, licèt opinionem primam magis probabilem iudicet.

9 2. *Sententia est magis pia.*

§. II.

Non potuisse intensivè augeri, probatur.

10 1. *Conclusio*

PRo cuius explicatione sit prima conclusio: *Gratia Christi habitualis non potuit esse maior intensivè de potentia absoluta.* Est contra Ill. Godoy *num.* 10. Et probatur primò ex Scoto *in 3. cit. §. quantum ad 2. quæst.* vbi adducit D. Augustinum *3. De libero arbitrio* dicente: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias, hoc Deum magis fecisse, quam non fecisse.* Ex quibus verbis sic argumentum conficio: gratia Christo Domino collata ab instanti suæ conceptionis fuit summa negativè: ergo non potuit esse maior de potentia absoluta. Consequentia apparet ex dictis *num. 5.* Antecedens verò probatur: gratiam Christo Domino collatam ab instanti suæ conceptionis fuisse summam negativè, est melius: ergo gratia Christo Domino collata ab instanti suæ conceptionis fuit summa negativè. Consequen-

Probat. 1.

tia

tia claret ex verbis D. Augustin. Antecedens autem probatur : gratiam Christo Domino collatam ab instanti suæ conceptionis fuisse summam negativè, est possibilè;& commendat eius excellentiam, & perfectionem; sed hoc ipso melius est, quod gratia Christo Domino collata ab instanti suæ conceptionis fuisset summa negativè, quam quod non esset sic summa, vt est per se notum: ergo gratiam Christo Domino collatam ab instanti suæ conceptionis fuisse summam negativè, est melius.

11 *Probat. 2.* Probatur secundò conclusio : si gratia Christi habitualis potuit esse maior intensivè de potentia absoluta, poterit purus homo habere maiorem gratiam intensivè, quam gratia, quam Deus defacto contulit Christo Domino ; sed hoc videtur inconveniens : ergo gratia Christi habitualis non potuit esse maior intensivè de potentia absoluta. Consequentia est legitima. Maior est notoria; nam poterit Deus de potentia absoluta illam maiorem gratiam intensivè producere, eamque puro homini conferre. Minor patet primò : nam si ob vnionem hypostaticam habuit humanitas Christi summam congruitatem ad summam gratiam, etiam infinitam, si esset possibilis, vt ex communi omnium consensu diximus *num.* 2. inconveniens apparet, quod purus homo possit habere maiorem gratiam. Secundò: nam inconveniens est, quod purus homo possit habere maiorem gratiam intensivè, quam gratia, quam Deus homo habuit defacto. Vera igitur est minor.

12 *Probat. 3.* Probatur tertiò conclusio : cum hac nostra opinione, nempè, gratia Christi habitualis non potuit esse maior intensivè de potentia absoluta, meliùs explicatur, quomodo Christus non meruerit augmentum gratiæ, quam cum opinione asserente : gratiam Christi habitualem potuisse esse maiorem intensivè de potentia absoluta: ergo nostra opinio, potiùs, quam contraria, tenenda est. Consequentia est congruentialiter optima. Antecedens autem est certum ; nam nostra opinio est ratio, cur Christus non meruerit augmentum gratiæ, quod non habet opinio contraria ; imò omnes contrarij ad rationem quærendam tenentur, & de facto ipsam quærunt, vt quærit Ill. Godoy *num.* 67. & 68.

13 Istæ itaque rationes, seu congruentiæ, sufficientes videntur, vt in Christo Domino gratia summa negativè collocetur; & consequenter, vt gratia Christi habitualis non possit esse maior intensivè de potentia absoluta. Rationem autem à priori, sumptam ex conditione qualitatis in intensione, declarabimus *§. sequenti*, in quo secundam conclusionem statuemus, sequendo vestigia Ill. Godoy, qui quia nullâ ex prædictis rationibus adducit, ad solvendam illius rationem pergo.

14 *Arguit Ill. Godoy.* Ill. Godoy duplicem ex D. Thoma probationem adducit *num.* 10. & 31. quibus omissis sic arguit contra nostram conclusionem *num.* 38: Dilectio Dei amicabilis non habet terminum, sed quacumque data potest Deus hominem magis, ac magis diligere amicabiliter : ergo gratia habitualis non habet terminum intensionis vltra quem magis, ac magis à Deo intendi non possit; & consequenter gratia habitualis Christi potuit esse maior intensivè de potentia absoluta. Secunda consequentia ex prima evidenter colligitur. Prima ex antecedenti : tùm; quia gratia habitualis est terminus dilectionis amicabilis Dei ; & consequenter dilectione crescente, crescit gratia intensivè. Tùm etiam ; nam Deum diligere hominem, est illi velle bonum ; & consequenter magis diligere, est maius bonum velle illi : ergo Deum hominem magis diligere amicabiliter, est velle illi maius bonum; quod est obiectum dilectionis amicabilis ; sed hoc bonum est gratia habitualis, vel visio beatifica : ergo crescente dilectione amicabili Dei, debet crescere gratia habitualis, vel visio beatifica ; quæ cum crescere non possit absquè incremento gratiæ habitualis, implicabit dilectionem amicabilem esse maiorem absquè maiori gratia habituali ; & consequenter, si dilectio amicabilis Dei ad hominem sine termino crescere potest ; etiam gratia habitualis est sine termino augmentabilis.

15 *Antecedens probat. 1.* Antecedens autem probat primò *num.* 39: dilectio Dei ad hominem absolutè non habet terminum, sicut nec Omnipotentia, nec Beneficientia Divina: ergo paritèr: nec dilectio amicabilis. *Secundò:* inimicitia hominis ad Deum non concluditur aliquo ter-

mi-

mino, sicut nec status peccati; non enim potest homo tantum peccare, quin possit magis, ac magis peccare, & consequenter quin possit magis, ac magis crescere in inimicitia ad Deum, quam peccatum mortale essentialiter consequitur: ergo amicitia Dei ad hominem termino caret; & consequenter dilectio amicabilis; aliàs maiorem amplitudinem dabimus homini in peccando, & Deum odio habendo, quam Deo in diligendo amicabiliter hominem, quod absurdum videtur.

16 *Respond. 1. ad argum.*

Respondeo ad argumentum Ill. Godoy, negando antecedens, ad cuius primam probationem concessò antecedenti, nego consequentiam; est namquè magna disparitas inter dilectionem Dei absolutè, & dilectionem amicabilem Dei. Nam dilectio Dei absolutè non habet pro termino, seu obiecto bonitatem aliquam determinatam specificè, nec determinatam ad certam perfectionem essentialem, & intensivam; sed habet pro termino bonitatem sumptam genericè, sub quo genere latent species bonitatis possibiles numero infinitæ, quas Divina dilectio potest homini communicare sine termino, & consequenter sine termino crescere. Cæterum dilectio amicabilis Dei habet pro termino, seu obiecto bonitatem determinatam specificè, & determinatam ad certam perfectionem essentialem, & intensivam, ideòque nequit sine termino crescere, sicut nec illius terminus, vel obiectum.

Ad 1. probation. antecedentis.

17 *Ad 2.*

Ad secundam probationem concessò antecedenti, nego consequentiam; nam status peccati, & inimicitiæ ad Deum consurgit ex peccatis specificè differentibus, & sine termino possibilibus; & idcircò termino caret; amicitia autem Dei ad hominem consistit in actu determinato specificè, cuius obiectum est bonitas specificè sumpta, termino augmenti concussa; & ideò sine termino augmentabilis non est.

18 *Firmatur solutio paritatibus Ill. Godoy.*

Solutio claret in exemplo ab Ill. Godoy adducto: ideò namquè Omnipotentia non habet terminum, quia non habet pro termino possibile aliquod determinatum specificè, nec numericè; sed possibile sumptum genericè, sub quo genere latent infinitæ species possibilium, & sub qualibet specie infinita numero individua, quæ Divina Omnipotentia producere potest, & consequenter terminum non habet. Idem patet de Beneficientia Divina. Cum ergo istæ sint paritates, quibus vtitur Ill. Godoy, de quibus verificatur, quod verificari nequit de dilectione Dei amicabili, notoria est ad paritates disparitas.

19 *Replicat Ill. Godoy.*

Replicat Ill. Godoy *num.* 42. sentiens, quod hæc nostra solutio petit manifestè principium, eo, quod argumentum contendat, non esse præfixum terminum intensionis gratiæ ab intrinseco, ideòque Divina dilectio amicabilis debet termino carere. Quod probat: tùm à paritate dilectionis Dei absolutæ, quæ nullis terminis coarctatur: tùm ab inconvenienti; non enim potest non apparere inconveniens, quod inimicitia hominis ad Deum terminum incrementi non habeat, & quod amicitia hominis ad Deum, non possit sine termino crescere: ergo asserere dilectionem Dei amicabilem non posse sine termino augeri, quia gratia sumpta specificè, quæ est illius obiectum, termino augmenti concluditur, non est argumentum solvere, sed principium petere. Quod ampliùs (inquid) conclusione sequenti constabit.

20 *Respondetur.*

Hæc tamen replica facilitèr ex dictis solvitur, & illius nullitas apparet: nam ad paritatem dilectionis Dei absolutè data est disparitas clara in responsione ad primam probationem *num.* 16. Ad inconveniens assignata etiam manet notoria disparitas in responsione ad secundam probationem *num.* 17. & vtraquè firmata manet cum doctrina ipsius *numer.* 18. ex quo nego antecedens, quod non probat Ill. Godoy, & vt probaret, necessarium erat, quod disparitatem à nobis datam inter inimicitiam hominis ad Deum, & amicitiam amicabilem Dei ad hominem, infringeret, quod tam longè abest, vt mentionem de illa non faciat. Nec video, qua ratione dicat Ill. Godoy, nostram solutionem petere manifestum principium, & maximè quando inter antecedens, & consequens vtriusque illius probationis adest tam manifesta disparitas. Et si hoc (vt ait) ampliùs constabit conclusione sequenti, vt amplius constet.

Sit.

§. III.

§. III.

Probatur: Gratiam ab intrinseco termino augmenti non carere.

21 2. Conclusio

SEcunda conclusio: *Gratia habitualis ex natura rei ab intrinseco terminum augmenti habet; & consequenter attenta gratiæ natura non potuit esse intensivè maior in Christo.* Conclusio est contra Ill. Godoy *numer.* 83. ipsam tamen tenent Authores omnes pro nostra sententia adducti. Probatur primò: nam quantum ad hoc eadem est ratio de gratia, ac de qualibet qualitate quoad intensionem, vt compertum est apud Philosophos, & Theologos, & *numer.* 5. suppositum manet; sed qualitas in intensione habet terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco: ergo etiam gratia. Minor, in qua sola posita est difficultas, probatur: ratio probans, quantitatem non habere terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco, probat, qualitatem in intensione habere terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco: ergo qualitas in intensione habet terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco. Probatur antecedens: ratio probans; quantitatem non habere terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco, est, quia vna pars quantitatis non est perfectio entitativa alterius; sed vna pars qualitatis per intensionem perficitur per aliam: ergo ratio probans, quantitatem non habere terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco, probat, qualitatem in intensione habere terminum augmenti ex natura rei ab intrinseco. Maior, & consequentia tenent. Minor autem est certa apud Scotistas asserentes: intensionem fieri per additionem gradus ad gradum; vndè vim habet probatio contra Mastrium, in hoc nobis adversum. Contra Ill. Godoy autem.

Probat. 1.

22 *Probat. 2.*

Probatur secundò conclusio ratione Scoti *in 3. cit. §. ad 1. quæst.* ad hanc formam redacta: si gratia (sicut & quælibet alia qualitas) non haberet ex natura rei ab intrinseco terminum augmenti, posset dari gratia in intensione actu infinita; sed hoc negatur ab Ill. Godoy *disputatione præcedenti*: ergo gratia ex natura rei ab intrinseco terminum augmenti habet. Probatur maior: si gratia (sicut & quælibet alia qualitas) non haberet ex natura rei ab intrinseco terminum augmenti, gratia in intensione posset in infinitum augeri; sed si gratia posset in intensione in infinitum augeri, posset dari gratia in intensione actu infinita: ergo si gratia non haberet ex natura rei ab intrinseco terminum augmenti, posset dari gratia in intensione actu infinita. Probatur minor: gratia in intensione in infinitum augmentabilis, potest à Deo simul, & vnica factione produci; sed gratia in intensione in infinitum augmentabilis esset in intensione actu infinita; si simul, & vnica factione à Deo produceretur: ergo si gratia posset in intensione in infinitum augeri, posset dari gratia in intensione actu infinita. Consequentia est legitima. Minor apud omnes est certa.

23 *Maior probatur 1.*

Maior autem, in qua vnicè stat difficultas, & quam aduersarij negant, probatur primò: gratia in intensione in infinitum augmentabilis cognoscitur ab intellectu Diuino, vt vnum factibile: ergo gratia in intensione in infinitum augmentabilis, potest à Deo simul, & vnica factione produci.

Secundò.

Secundò: non potest assignari ratio, cur gratia in intensione in infinitum augmentabilis non possit à Deo simul, & vnica factione produci: ergo idem, quod antea. Probatur antecedens: nam in primis non obstat dependentia vnius partis ab alia, vt in successivis, & diuisione continui, in quibus secundario factibile in primario includitur. Deindè, nec obstat incomposibilitas vnius partis cum alia, quia illæ partes sunt inter se vnibiles, & natæ facere vnum: ergo non potest assignari ratio, cur gratia in intensione in infinitum augmentabilis non possit à Deo simul, & vnica factione produci.

24 *Explicatur efficatio probationis contra Ill. Godoy.*

Hæc Scoti probatio, quæ vim habet contra Mastrium nobiscum, & cum Magistro sentientem: intensionem fieri per additionem gradus ad gradum, maiorem vim (meo videri) habet contra Ill. Godoy, qui cum suis tenebit: intensionem fieri per maiorem radicationem eiusdem qualitatis in subiecto, eo, quod asserant, qualitates secundum intensionem esse indiuisibiles; stante namque hac doctrina, non est assignabilis ratio, cur gratia in intensione in infinitum augmentabilis non possit à Deo simul, & vnica factione produci; cum non sit indiui-

sibile, quod simul, & vnica factione non sit à Deo producibile.

25 *Respondet Mastrius pro Ill. God.*

Hanc Scoti rationem non adducit Ill. Godoy, ad ipsamque fortè respondet Mastrius *iam cit. numer.* 78. scilicet, instando argumentum, non solum in divisione continui, verum, & in omni quantitate, tàm discreta, quàm continua: nam supposita aliqua magnitudine, vel multitudine, quæri potest: an in ascendendo sit status ad supræmam, & habetur propositum; etsi non est status, tunc deveniendum erit ad magnitudinem, vel multitudinem infinitam; & quidem in quantitate permanente continua concluderet, quia hæc, quantacumque sit, est vnica factione factibilis; concluderet etiam de discreta, quia non potest cogitari certus individuorum numerus, qui veluti vnum factibile simul, & semel à Deo produci non possit; sicut enim vnica creatione potest creare qualitatem, vt decem, & centum, &c. ita vnica quasi creatione totali creare potest simul decem homines, centum, &c. & si vnica creatione facere potest omnem aquam possibilem, poterit consequenter vnica creatione creare totam illam multitudinem singularium aquarum, quę ad constituendam illam magnitudinem concurrunt.

26 *Respondet in forma.*

Vndè in forma respondet negando maiorem, ad cuius probationem negat minorem, & ad probationem huius negat maiorem; quia hæc propositio: illud, quod est producibile pluribus productionibus partialibus, potest semper vnica productione totali produci, falsa est vniversalitèr loquendo; nec verificatur, nisi quando totum illud producibile est quid certum, & determinatum; quod non contingit in proposito, quia tota intensio, vel extensio à Deo possibilis non est quid certum, ac determinatum, vt possit simul accipi, & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusum, sicut tota divisio continui; sicut vniversalitèr loquendo obiectum Omnipotentiæ Dei est infinitum synchategorematicum, quod essentialitèr includit aliquam indeterminationem, & actum potentiæ permixtum; tota igitur gratia possibilis non est vna determinata qualitas factibilis vnica factione; sed sunt plures, & plures in infinitum, quarum vna est intensior alia, & inter eas non videt divinus intellectus vltimam possibilem, quia talis non datur, nec aliquam, quæ sit actu infinita, sed tota latitudo gratiæ cognoscitur à Deo, vt finita in infinitum.

Hæc tamen solutio Scoto manifestè adversatur, ideoque ex ipso reijcitur primò: nam Mastrius in solutione eodem modo loquitur de divisione continui, ac de intensione formæ; atqui iuxta Scotum *cit.* non est eadem ratio de divisione continui in semper divisibilia, ac de intensione formæ: ergo prædicta solutio adversatur Scoto. Probatur minor: iuxta Scotum *cit.* possibilitas ad formam in infinitum intensibilem, non est possibilitas ad aliquod tantum in fieri, sed ad aliquod in facto esse; sed possibilitas ad divisionem continui in infinitum; est tantum possibilitas ad aliquod tantum in fieri: ergo iuxta Scotum non est eadem ratio de divisione continui in semper divisibilia, ac de intensione formæ. Consequentia est legitima. Minor certa; nam divisio continui solum est infinita in potentia, vt est apud Philosophos commune. Maior autem est Scoti *in 3. cit. §. ad 1. quæst.* vers. *Ex hoc ergo*, vbi loquendo de charitate, vel gratia docet: *Quod possibilitas ad talem, vel tantam formam, non est possibilitas ad aliquid tantū in fieri, sed ad aliquid in facto esse.*

27 *Reijcitur 1 solutio.*

Reijcitur secundò solutio Mastrij, & mens Scoti declaratur: hoc Aristot. dictum: *Quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, est verum in his, quę sunt vnius determinatæ, & demonstratæ potentiæ, hoc est, in his, quæ petunt potentiam determinatam ex parte causæ, quia si sunt effectus vt quatuor, debet ex parte causæ demonstrari virtus vt quatuor; atqui qualitas est ex his, quæ sunt vnius potentiæ determinatæ, & demonstratæ; non verò quantitas: ergo est notoria disparitas inter quantitatem, & qualitatem: ergo solutio Mastrij in hac vnicè paritate nittens, nulla est. Maior est expræssa Scoti *cit.* Minor probatur: nam si qualitas est vt sex, petit potentiam vt sex; atqui hoc non reperitur in quantitate, quia potentia vt duo potest facere quantitatem vt quatuor, vt sex, & vt octo, &c: ergo qualitas est ex his, quæ sunt

28 *Reijcitur 2*

vnius

vnius potentiæ determinatæ, & demonstratæ; non verò quantitas.

29 *Respondet Mastrius.* Respondet Mastrius *num.*80: quod licèt ex hoc capite non teneat paritas illius; tenet tamen ex aliquo capite, nempè, quod sicut omnis magnitudo, vel intensio possibilis est vnica factione factibilis, & simul producibilis, distributivè loquendo; ita quælibet multitudo divisionum continui possibilis vnica divisione quasi totali, & adæquata confici potest, sicut contingit in collisione vitri, quod simul in mille fragmenta dividitur, & saltem in numeris valeret omninò paritas, quia in reductione potentiæ numeri maioris reducuntur potentiæ numerorum minorum.

30 Ad dictum Aristot. respondet: propositionem illam intelligi debere de potentia indivisibili, quæ adæquatur per vnum actum indivisibilem; at si potentia est indivisibilis in se, sed ad actum divisibilem ordinata, vel ipsa in se divisibilis est, hæc non necessariò habet actus simul sibi adæquatos, sed eo modo, quo ipsi esse possunt; & instat in potentia materiæ ad omnes formas, quæ est vnica, & tamen naturalitèr non potest omnes recipere; ac etiam de potentia voluntatis ad volendum, & nolendum, quæ est vnica, & tamen neque supernaturalitèr potest simul reduci ad actum perfectũ.

31 Denique concludit, quod potentia, quam habet continuum ad dividi, ac etiam quantitas, qualitas ad augeri; non enim est vnica potentia per simplicitatem, sed per integritatem ex pluribus partialibus, quarũ estò quæcumque signatæ, vel signabiles possent simul reduci ad actum, nec vlla determinata repugnet alteri; tamen quibuscumque determinatis repugnant infinitæ determinatæ; & cum vna reducta, vel pluribus necessariò sunt aliæ infinitæ non reductæ, cum tota intensio, vel extensio à Deo possibilis, non sit quid certum, & determinatum, vt possit totum simul accipi, & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusum.

32 *Solutio hæc aduersatur Scoto.* Hæc etiam Mastrij responsio manifestè aduersatur doctrinæ, quam tradit Scotus *in* 3. *citat.* §. *ad* 1. *quæst.* vbi vers. *Ex hoc ergo*, expressè docet: quod in diuisione continui non datur vna potentia, quæ reliquas contineat; secus autem in intensione qualitatis. Item: aduersatur verbis, quæ ex Scoto retulimus *num.*27. Neque instantiæ sunt ad rem; quia licèt potentia remota materiæ ad omnes formas sit vnica; potentia tamen proxima est multiplex, vt diximus 1. *Physic.* quod etiam sentimus de potentia voluntatis; ideòque de illis non verificatur dictum Philosophi. Omitto plura alia, & ad impugnandam responsionem pergo.

33 *Impugnat. solutio.* Impugnatur allata solutio: infinitas graduum non tollit à qualitate, quod possit simul, & de facto vnica productione produci: ergo ruit tota Mastrij responsio. Antecedens patet ex verbis Scoti traditis, & vltrà probatur: infinitas graduum non tollit à qualitate, quod sit aliquod vnum; sed quod est vnum, potest vnica productione produci: ergo infinitas graduum non tollit, quod possit simul, & de facto vnica productione produci. Hæc est vltima replica, quam in se fecit Mastrius *num.*81. ad ipsamque.

34 *Respondet Mastrius.* Respondet *num.*82: quod infinitas graduum possibilium in intensione qualitatis, quam (dicit) non posse totam simul in actu reduci, neque esse vnius determinatæ potentiæ, est infinitas in multitudine, & ea quidem syncathegorematicè, quæ proindè aliquam indeterminationem essentialitèr includit. Hæc solutio minus officit nostræ sententiæ; nos enim non negamus, gradus qualitatis esse in multitudine, vel numero syncathegorematicè infinitos, quia infinitum syncathegorematicum in multitudine non negamus; sed quod negamus, est: quod data qualitate in summa intensione, possit Deus producere alium gradum, qui cum qualitate possit facere vnum integralitèr intensivè; nam dato casu, quod Deus illum, & alium produceret vsque in infinitum, non faceret cum qualitate vnum integralitèr intensivè; sed solum extensivè; vndè nunquam qualitas potest vsque in infinitum intendi, eo, quòd ad differentiã divisionis continui est quoad intensionem actũ, & potentia finita.

Reijcitur.

§. IV.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

35 *Arguit Ill. Godoy.* CONtra nostram conclusionem arguit Ill. Godoy *num.*54: nam determinatum augmentum, solum potest alicui formæ ab intrinseco com-

competere, vel ratione suæ essentiæ, vt contingit in coloribus intermedijs essentialiter petentibus tantam, vel tantam intensionem, quam si excedant, in extrema declinant: vel ratione causæ efficientis, vt contingit in viventibus, quorum quantitas est versus maximum intrinsicè terminata; quia sequitur virtutem activam ab intrinseco determinatam; vel ratione potentiæ receptivæ, quæ incrementi sine termino receptiva non sit; at ex nullo ex his capitibus convenit gratiæ habituali terminum augmenti habere: ergò ex natura sua terminum augmenti non habet. Maior cum consequentia tenet.

Minorem pro 1. part. probat. Minor probatur ratione, qua Div. Thomàs id de Charitate monstravit. Nam in primis ex parte causæ efficientis terminum augmenti non petit; cum sit virtus infinita Dei, quæ terminũ in agendo non habet. Deindè nec terminatur ex parte potentiæ receptivę: quod probatur: nam potentia, quam respicit gratia, est potentia obedientialis; sed hæc non habet terminum in recipiendo: tùm, quia vt docet D. Thomàs *quæst. 29. de Veritat. artic. 3. ad 3*: *Potentia obedientialis ad Deum non potest impleri.* Tùm etiam, quia consistit in capacitate ad omne, quod ex parte effectus non implicat in forma, quam recipere potest: ergo gratia habitualis ex parte potentiæ receptivæ terminum augmenti non habet. *Probat. 2.* Denique, terminum augmenti non petit ex conceptu suo specifico; nàm gratia ex propria essentia est formalis participatio naturæ Divinæ; at natura Divina est participabilis sine termino: ergo gratia ex sua essentia permittit sine termino augmentum.

36 *Confirm. 1.* Confirmatur primò ex ipso *num. 85*: quando forma talis conditionis est, vt potentia ex receptione illius augeatur ad incrementum formę, nec potentia præfixit terminum formæ, nec ipsa ab intrinseco terminum augmenti petit; sed gratia huius conditionis est, vt habilitas ad ipsam crescat ex incremento gratiæ: ergo nec potentia receptiva præfixit terminum augmento gratię, nec illum ab intrinseco petit. Maior est D. Thomæ *loco ex 2. 2. allegato*, constatque ex frequentiori Philosophorũ doctrina 1. *Physic.* docentium: non viventia non terminari ab intrinseco per maximum augmenti extensivi, eo, quod ad adventum novæ formæ, nova advenit pars virtutis, virtusque augmentativa, vel quasi augmentativa, quam habent, augetur ad augmentum formæ: ergo id ipsum à fortiori est dicendum de potentia receptiva. Minor etiam traditur à D. Thoma *vbi proximè*, & probatur: nam crescente magis gratia, redditur subiectum virtuosius ad actus ferventiores eliciendos, quibus augmentum gratiæ meretur, & ad illius receptionem disponitur: ergo ad incrementum gratiæ crescit, & augetur habilitas ad receptionem maioris gratiæ.

37 *Confirm. 2.* Secundò ex ipso *num. 86.* confirmatur, & vrgetur: si namquè gratia ab intrinseco ex ratione suæ speciei terminum augmenti peteret, maximè, quia habet limitatam essentiam; at hæc ratio est nulla: ergo gratia ab intrinseco ex ratione suæ speciei terminum augmenti non exigit. Maior est oppositæ sententiæ fundamentum. Minor probatur: etenim quantitatis essentia finita, & limitata est; & tamen non petit ab intrinseco terminum augmenti extensivi, vt tenet communis Philosophorum sententia: ergo limitatio essentiæ non obstat augmẽto extensivo sine fine; & consequentèr nec augmento sine fine intensivo.

38 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem pro prima parte respondeo cum Scoto *in 3. citat. §. ad argumentum*, vers. *similitèr*, negando assumptum, quia licèt virtus Dei sit infinita, & infinitè agat ad extra, eo, quod producat ex nihilo, quod nequit facere efficiens finitum; non tamen potest agere ad extra infinitum in actu, vt tenet etiam ipse Ill. Godoy. Cum ergo ex infinitate intensionis sequatur, dari qualitatem actu infinitam, vt probavimus *num. 22*; hinc est, quòd ex parte efficientis petat ab intrinseco gratia determinatum augmentum.

Ad 1. prob. minoris.

39 *Ad 2.* Ad probationem pro secunda parte respondeo cum Scoto *citat.*: concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem à ratione concessò antecedenti, nego consequentiam; & ex ipso antecedenti rationem formo: potentia namquè obedientialis consistit in capacitate ad omne, quod ex parte effectus non implicat in forma, quam recipere potest; atqui capacitas

fini-

finiti non est ad formam infinitam: ergo gratia habitualis ex parte potentiæ receptivæ terminum augmenti habet.

Ad 3. Ad probationem pro tertia parte, data maiori, nego minorem, imo ex eo, quod gratia sit participatio Dei, oppositum probat Scotus *citat. vers. ad 3*: nam quia Charitas est quædam participatio Dei, ideò necesse est, quod secundum aliquem gradum determinatum capiat partem infinitæ perfectionis, ita, quod necessario includat determinatum gradum respectu Charitatis infinitæ, sicut est determinata participatio. Sic Scotus ad litteram, quod argumentum etiam formari valet de fide, quæ est participatio Divini Luminis, & ex vtroque constat repugnantia ex parte gratię, vt in infinitum intendatur; alioquin non esset ex propria essentia Dei participatio.

40 *Ad 1. confirmat.* Ad primam confirmationem respondeo distinguendo maiorē: quando forma talis conditionis est, vt potentia ex receptione illius augeatur extensivè ad incrementum formæ, nec potentia præfixit terminum formæ, nec ipsa ab intrinseco terminum augmenti petit; concedo maiorem; quando augetur intensivè nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Illa namquè propositio solum est vera de augmento extensivo, & hoc tantum probat exemplum de non viventibus; falsa tamen est de augmento intensivo, quia licèt nulla forma sit determinata ad certam extensionem; omnis tamen forma est determinata ad certam perfectionem intensivam, vt congruentèr convincunt nostræ conclusionis probationes. *Ad 2. confirmat.* Ad secundam confirmationem nego maiorem: nam ratio, cur gratia ab intrinseco ex natura suæ speciei terminum augmenti petit, est, quam nos *n. 12.* assignavimus, nempè, quod esset actu infinita, quod repugnat.

41 *Arguit Mastrius.* Ill. Godoy aliud non adducit in favorem suæ conclusionis. Mastrius verò adducit paritatem certè molestam, scilicet, quantitas in ordine ad potentiam Dei absolutam nullum habet terminum intrinsecum, sed potest in infinitum augeri: ergo idem paritèr est dicendū de qualitate in intēsione. Ad hāc ergo paritatē, quæ sine dubio difficilis est, & vi cuius sententiam nobis oppositā æquè probabilē iudico.

42 *Respondent 1. Scotistæ.* Dupliciter respondent Scotistæ. Primo aliqui paritatem negant, & disparitatem reddunt: nam vna pars quantitatis non est perfectio entitativa alterius, ideoque licèt sit actu finita, est tamen infinita in potentia. Ast in qualitate oppositum evenit, quia vna pars qualitatis in intensione perficitur per aliam, ideò non solum est finita in actu, verum etiam in potentia. Et iuxta hanc solutionē concessō antecedenti, negatur consequentia.

43 *Respondent 2. alij.* Secundò respondent alij distinguendo de quantitate continua, & discreta, permanenti, & successiva, quæ est responsio, quam tradit Scotus *in 3. citat. §. ad 1. quæst.* vers. *Respondeo secundum Averroem.* Si enim loquamur de successiva, debemus asserere, quod hæc sit infinita in potentia, quia cum in sua ratione formali includat successionem, nunquam potest, etiam de potentia Dei, habere omnes suas partes simul, sed semper debent restare aliæ, & aliæ in potentia producibiles. Ex quo fit, quod numerus, qui causatur ex diuisione continui, sit infinitus in potentia, quia continuum semper potest dividi successivè, & multo magis hoc est verum de motu, & tempore propter successionem ipsius intrinsecam; at verò si loquamur de quantitate continua permanenti, v. g. linea, corpore, &c. debemus asserere, quod non sit infinita in potentia, & quod illius sit assignandus terminus, qui sit maximum quod sic, sicut in qualitate, quia potest à Deo simul produci vna productione, cum non includat successionem, neque habeāt partes inter se incompossibilitatem, & cum non sit infinita in actu (alias daretur infinitum actuale in esse entis, quod est proprium Dei) deberet esse actu finita.

44 *Quæ solutio sit præferenda.* Quælibet ex his solutionibus tribui potest argumento, vt opinionem magis piam amplectetur, & replicæ, quas contra ipsas adducit Mastrius, solvi possunt doctrina tradita *à num. 27. vsque ad 35.* Neque in hoc nobis incumbit amplius immorari. Solum tamen restat advertendum, quod ex duplici Scotistarum responsione præferenda videtur secunda, vtpote, expressa Scoti *proximè citat.* dicentis: *Respondetur secundum Averroem, quod oppositio in numeris est secundum diuisionem continui: in diuisione autem continui proce-*

ditur ad materiam, & per consequens numeri crescunt ex processu ad materiã: sed continuum crescit, & augetur eundo ad formam: in processu autem ad formam necesse est, esse statum; non autem in processu ad materiam; & ideò in quantitate continui est status in maius; non autem in multitudine numerorum, sicut nec in divisione continui in minus.

45 *Corollariũ.* Ex dictis in discursu disputationis tria colligit Ill. Godoy §. *vltimo*; ex quibus nullum est contra nos; nos verò, omisso secundò, & tertiò, vnum contra ipsum colligimus, nempè: *Gratiam Christi fuisse plenam, plenitudine omnimodã, & rigurosa; & hanc plenitudinem esse Christo propriam.* Hoc corollarium duplicem habet partem, quarum prima est contra Ill. Godoy *num.* 113. eo, quod ibi asserat: Christum habuisse omnem gratiæ intensionem, possibilem solum de lege ordinaria, quod (sentit) sufficiens esse, vt Christus dicatur plenus gratia. Hoc non negamus, sed amplius progredimur in nostro corollario, ante cuius probationem.

46 *Adverte.* Advertendum est: quod ly *plenum* dupliciter potest capi. Primò: pro quadam magnitudine, & abundantia, quo sensu frequentius sumitur in Scriptura, vt patet ex Ioanne 21. *num.* 11. vbi dicitur: *Ascendit Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus.* Ex Matth. 23. *num.* 2. vbi de sepulchris dealbatis dicitur: *Plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Et certè difficilè erit credere, quòd rete non poterat aliquem alium piscem capere, & quod sepulchra aliqua alia ossa non poterant capere. Secundò sumitur pro omnimoda, seu rigurosa plenitudine, qua exhauritur capacitas subiecti, quod dicitur plenum, eo, quod nec subiectum possit magis recipere, nec forma sit augmentabilis. Hoc itaquè supposito.

47 *Probatur corollarium quoad 1. partem.* Probatur corollarium quoad primam partem: Christus habuit omnem gratiæ intensionem possibilem, non solum de potentia ordinaria, verum etiam in ordine ad potentiam absolutam: ergo Christus habuit tantam gratiæ plenitudinem, vt nequè Christus possit recipere magis, nequè gratia possit augeri. Atqui hoc est, gratiam Christi esse plenam plenitudine omnimoda, & rigurosa: ergo gratia Christi fuit plena omnimoda, & rigurosa plenitudine. Omnia sunt vera, si verum est antecedens; antecedens autem est conclusio, quam in præsenti statuimus *num.* 21. & per sequentia probavimus, & defendimus.

48 *2. Pars probat.* Secunda pars corollarij probatur: Christo convenit tanta gratiæ plenitudo, vt non solum exhauriatur capacitas Christi ad intensiorem gratiam recipiendam, verum, & quod impossibilis sit intensior gratia; sed hæc gratiæ plenitudo nulli Sanctorum, quantumvis sanctitatis eximiæ, fuit data: ergo illa gratiæ plenitudo est Christo propria.

49 *Dices.* Dices tamen: minorem esse falsam, cuius falsitas apparet ex Scriptura, nã *Actor.* 4. dicitur de Stephano: *Plenus gratia, & fortitudine.* Imò de Beatissima Virgine Maria dicitur Lucæ 1: *Gratia plena*: ergo in his saltim fuit plenitudo gratiæ, quam Christus habuit, & consequenter gratiæ plenitudo non est Christo propria, vtpotè, alijs præter Christum conveniens. *Responsio communis.* Communis solutio est, negare vtramque consequentiam; quia ibi Scriptura sumit ly *plenum* pro magnitudine, & abundantia; non verò pro omnimoda, seu rigurosa plenitudine.

50 Hanc solutionem admitto, loquendo de plenitudine gratiæ Stephano collata; loquendo tamen de plenitudine gratię Beatissimę Virginis solum permitto, & nisi obstaret Scotus *in* 3. *citat.* §. *quantum ad* 2. *quæst.* vers. *Confirmatur*, concedens solum animæ Christi Domini summam gratiam creabilem, hanc datam fuisse illius Matri, piè, & valdè probabiliter defenderem, cuius fundamentum sumitur ex illo D. Hieronymi: *In Mariam totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter*, (ideſt debito inæquali) ratio autem sumitur ex eo, quod summa gratiæ plenitudo debito congruentiæ fuit debita Beatissimæ Virgini, eo, quod fuit Mater Dei; quim tanta gratia excedat eius dignitatem, quod dixit Anselmus *lib. de Excellentia Virginitatis, cap.* 21. his verbis: *Hoc solum de Sancta Virgine prædicare, quod est Mater Dei, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, aut excogitari potest*: ergo loquendo de Glorioſissima Virgine Maria solutio præfata valet solum permitti; potest namquè piè, & probabiliter tantam

Gra-

Gratiam Matri concedere, quantam concedimus Filio.

51 Vndè communi solutione admissa, vera est absolutè secunda pars corollarij; cæterum si affirmare placuerit, Gratiam Beatissimæ Virginis Mariæ fuisse summam, tunc secunda pars corollarij est tantum respectivè vera, scilicet, respectivè ad alios Sanctos præter Beatissimam Virginem Mariam, in quo nullum inconveniens reperiri videtur, & ad quod ferventissimè excitatur debotio. Et hæc de ista *disput.* & tractatu applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 13. §. 1. *& in* 1. *dist.* 17. *Mag. Sent.*

TRACTATUS SEXTUS.

DE GRATIA CHRISTI CAPITALI.

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA.

An Christus sit Caput Ecclesiæ, & per quam gratiam in ratione Capitis constituatur?

§. I.

Prima pars disputationis resolvitur.

Num. 1 DVo sunt, quæ in controversiam in præsenti disputatione vocat Ill. Godoy. Primum est: an Christus sit caput Ecclesiæ? Secundum: quæ sit gratia, per quam in ratione capitis constituatur? Et licèt in primo litigium non habemus, eo, quod sit concors omnium Theologorum sententia, & propositio de fide, de illo etiam agere est necessarium, quia in illo fundantur cætera omnia, quæ in hac, & sequenti disputatione sunt resolvenda.

2 *Communis sententia Theologorũ* Circà primum itaquè certum est: Christum, non solum vt Deum, verum etiam secundum humanitatem esse totius Ecclesiæ caput. Ante cuius probationem adverto primò: quod ly *secundum humanitatem* potest sumi reduplicativè, & specificativè. Primò modo falsum est, Christum, in quantum hominem, esse caput Ecclesiæ. Quod enim convenit Christo, vt homo, ly *vt* reduplicativè sumpto, convenit omni homini; nam reduplicativa propositio causalem, & causalis vniversalem includit: vndè, quia hæc est vera: *Homo, in quantum rationalis, est risibilis*, benè ex illa infertur, *omne rationale esse risibile*; sed non omni homini convenit esse caput Ecclesiæ: ergo nec Christo, vt homini, humanitate reduplicata. Vndè communis Theologorum sententia, non reduplicativè, sed specificativè, sumit particulam *vt*, vel *in quantum*, cum docet, Christum, in quantum hominem, esse caput Ecclesiæ, ita, vt humanitas non sit causa, quarè Christus caput sit, sed subiectum *quo* gratiæ, per quam in ratione capitis constituitur.

Adverto 1.

3 *Adverto* 2. Adverto secundò: quod dato, quod Christus sit caput Ecclesiæ, est caput misticum illius per similitudinem, & analogiam ad caput corporis naturalis; vndè debet habere respectu membrorum Ecclesiæ, quod caput naturale habet respectu suorum membrorum. Caput autem naturale comparatum ad sua membra habet tria, nempè, ordinem, seu prioritatem; perfectionem; & virtutem, seu influxum, vel

cau-

causalitatem. Habet ordinem, seu priioritatem, quia caput secundum ordinem, & situm, est prima, & supræma pars hominis. Habet perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus interiores, & exteriores. Et denique habet virtutem, seu influxum, vel causalitatem, quia motus cæterorum membrorum à capite gubernantur propter vim sensitivam, & motivam, in capite dominantem.

4 *Ostenditur 1. ex Paulo.* Hoc itaque præmisso, probatur sententia, quæ verissima est, primò ex D. Paulo *ad Ephes. 1. vers. 22.* his verbis: *Dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Vbi Paulum loqui de Christo, etiam secundum humanitatem, patet primò: nam de eo, de quo loquitur Paulus *citat.* cum docet: Christum esse caput Ecclesiæ, docuit *vers. 20.* suscitatum esse à mortuis; hęc enim sunt verba illius: *Suscitans eum à mortuis*; sed hæc verba verificantur de Christo secundum humanitatem: ergo illa etiam, scilicet: *Esse Caput Ecclesiæ*, de Christo secundum humanitatem verificantur. Secundò patet: nam Patres, & Scholastici in hoc sensu intelligunt verba Div. Pauli relata: ergo in hoc sensu debent intelligi.

5 *Probat. 2.* Probatur secundò: nam Ecclesia est corpus per analogiam ad corpus naturale, vt constat ex Paulo 1. *ad Corinth. 12. & ad Romanos 12.* illis verbis: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo*: ergo Christus erit caput Ecclesiæ per analogiam ad caput naturale. Tùm, quia corpori caput debet assignari, ne corpus monstruosum sit, & nullum aptiùs, quam Christus. Tùm etiam, quia non minùs verificatur de Christo, quæ capitis propria sunt, quam de Ecclesia, quæ sunt corporis.

6 *Probat. 3. ratione.* Denique probatur ratione: nam caput misticum Ecclesiæ dicitur per similitudinem, & analogiam ad caput humani corporis; sed Christo, vt homini, convenit hæc similitudo, proportio, vel analogia: ergo Christus, vt homo, est caput mistícum, & morale Ecclesiæ. Probatur minor: caput hominis tria habet, in quibus alijs partibus corporis præeminet, nempè, prioritatem, perfectionem, & causalitatem, de quibus diximus *num. 3*; sed hæc tria competunt spiritualitèr Christo, vt homini: ergo Christo, vt homini, convenit similitudo, proportio, vel analogia ad caput humani corporis. Probatur minor: gratia Christi est prior in intentione, vel saltim exemplariter iuxta illud *ad Romanos 8: Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini Filij sui.* Imò Christus, vt homo, obtinet primum, & præcipuum Ecclesiæ locum secundum dignitatem ratione vnionis hypostaticæ. Deindè eius gratia est perfectior. Primò: quia ratione vnionis in Christo residet omnes gratiæ. Secundò: quia eius gratia est omninò plena iuxta illud Ioannis 1: *Vidimus eum plenum gratiæ.* Et denique influit gratiam in omnia membra Ecclesiæ, iuxta illud Ioannis *citat: De plenitudine eius omnes accepimus*: ergo illa tria competunt spiritualitèr Christo, vt homini.

7 *Dicta ratio sumitur ex D. Paulo.* Hæc ratio sumitur ex D. Paulo *ad Colossenses 1.* illis verbis: *Et ipse*, nempè Christus, *est caput corporis Ecclesiæ.* Et rationem reddit D. Paulus: *Qui est principium, primogenitus ex mortuis*: ac si apertiùs diceret: quia est principiū. Eccè primam capitis proprietatem, scilicet, prioritatem: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare.* Eccè secundam capitis proprietatem, ideſt, perfectionem: *Et per eum reconciliare omnia in ipsum.* Eccè tertiam proprietatem, virtutem, scilicet, & influxum in cætera membra Ecclesiæ, vbi, vt clarè constat, ratio, qua D. Paulus probat, Christum esse caput Ecclesię, est ipsissima nostra ratio, quæ brevitatis gratia, & claritatis ad hanc formam reducitur: Caput dicitur ex prioritate, perfectione, & causalitate; sed Christo respectu Ecclesiæ hæc tria competunt secundum humanitatem: ergo Christus, in quantum homo, est caput Ecclesiæ.

§. II.

Duplici argumento occurritur, & explicatur, an Christus sit membrum Ecclesiæ, & an secundum corpus sit caput Ecclesiæ?

8 *Arguit. 1.* ARguitur primò: si Christus esset caput Ecclesiæ, etiam esset Ecclesiæ membrum; sed Ecclesiæ membrum non est, nec tale cum congruentia dici potest: ergo nec caput

Ec-

Ecclesiæ. Probatur sequela: caput corporis humani est membrum eiusdem corporis: ergo si Christus est caput Ecclesiæ per analogiam, & similitudinem ad caput corporis humani, etiam est membrum Ecclesiæ per eandem analogiam. Patet consequentia; nam de quo verificatur, esse caput cum proprietate, prædicatur, quod sit membrum propriè: ergo de quo prædicatur, esse analogicè, aut similitudinariè caput, prædicatur etiam esse membrum analogicè.

9 *Quidam docent, nullomodo esse membrum Ecclesiæ.*

Huic argumento quidam Theologi respondent, negando sequelam; quia Christus nullomodo potest dici Ecclesiæ membrum, eo, quod membrum dependentiam à commembris importat; Christus autem nullum influxum recipit ab Ecclesia, nec dependentiam habet ab illa. Ita plures citati à Vasquio *in præs. disput. 48. cap. 1.* Alij verò per extremum respondent, concedendo sequelam; nullum enim inconveniens reputant, quod Christus sit caput, & membrum Ecclesiæ. Sic Altisiodorensis *lib. 3. Summæ tract. 1. cap. 4. quæst. 6.* Turrecremata *lib. 1. Summæ Ecclesiæ cap. 47.* notantes: Ecclesiam posse dupliciter sumi. Primò: pro tota Congregatione Fidelium, capite excepto. Secundò: pro eadem Congregatione cum capite. Si priori modo accipiatur, asserunt: Christum sic esse caput Ecclesiæ, quod illius membrum non sit. Si verò posteriori modo sumatur, est caput, & membrum Ecclesiæ; nam sic est pars illius, & esse Ecclesiæ membrum nihil aliud est, quam esse partem illius.

Alij oppositũ sentiunt.

10 *Alij media via procedunt.*

Media autem via procedunt alij, affirmantes: Christum non posse appellari absolutè membrum Ecclesiæ, sed cum modificatione, scilicet, præcipuum membrum Ecclesiæ. Sic Vazquez *disput. 48. cap. 1.* Et Lorca *disput. 44.* quibus fabet D. Thomas *in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 3.* & adducere solent Apostolum 1. *ad Corinth.* vbi ait: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Hæc solutio placuit Castillo *de Incarnatione disput. 13. quæst. 1. numer. 11.* propter rationem in argumento propositam, licèt non propter Apostoli verba, quæ sensum habent diversum; vt exponit D. Thomas *in præsenti.*

11 *Respondet Ill. Godoy.*

Aliter verò respondet Ill. Godoy argumento prædicto, & pro solutione notat *num. 9*: quod Ecclesia potest sumi dupliciter. Vel provt includit Christum, vt Deum, vt sui caput; vel provt solum Christum, vt hominem. Christus ergo, vt homo, est membrum Ecclesiæ, vt habentis caput Deum; non autem est membrum Ecclesiæ, vt habentis caput Christum, vt hominem. Ita expressè D. Thomas *in 3. dist. 13. quæst. 2. artic. 1. ad 6.* illis verbis: *Vndè non potest dici commembrum, secundum quod caput Ecclesiæ dicitur ipse secundum humanitatem; potest autem dici membrum secundum humanitatem, secundum quod ipse est caput Ecclesiæ secundum Divinitatem; & sic dicit Apostolus 1. Corinth. 12. Vos estis corpus eius, & membra de membro.* Et ratio est, quam *ibi* tradit D. Thom. quia, nempè, membrum dicit dependentiam ab alijs commembris, vel saltim à capite: Christus autem, vt homo, nihil recipit ab alijs Ecclesiæ commembris; benè tamen à Deo, & ideò non potest dici membrum Ecclesiæ, vt habet pro capite Christum, vt hominem; benè tamen, vt habet pro capite Christum, vt Deum.

12 *Responsio in forma.*

Ex his ergo ad argumentum respondet *num. 11.* Christum, vt hominem, esse membrum Ecclesiæ, vt habentis pro capite Christum, vt Deum; non autem, vt habet pro capite Christum; vt hominem; & si hoc secundum contendat argumentum, negat sequelam, ad cuius probationem concesso antecedenti, negat consequentiam; nam de quo aliquid cum proprietate prædicatur, omnia illius prædicata enuntiantur; iuxta regulam Logicorum: *Quando quidpiam de quopiam prædicatur; &c;* secus autem si prædicatio sit analogæ, & per methaphoram. Et ratio est; nam huiusmodi prædicatio in imitatione fundatur, & quia potest imitatio fieri in vno prædicato, & non in alio, potest secundũ vnum, & non secundum aliud, prædicari. Et sic contigit in præsenti: Christus enim imitatur caput corporis humani in tribus proprietatibus, quæ ad excellentiam capitis attinet, nempè, in prioritate, perfectione, & virtute; non autem in dependentia, quam caput naturale à sibi commembris habet, & per quam in ratione membri constituitur; & ideò caput potest dici Ecclesiæ, non autem membrum Ecclesiæ.

13

Hanc solutionem, vt veriorem existimo, ipsamque priùs dedit noster Felix *de Incarnatione, cap.* 13. *difficult.* 1. vbi asserit: quod licèt Christus respectu Dei, qui est supræmum caput Ecclesiæ, dicatur membrum principale Ecclesiæ, quia à Deo accipit influxum; non tamen absolutè dicendus est membrum Ecclesiæ. Et pro hac solutione citat Suarium *disput.* 23. Alvarez *quæst* 8. *artic.* 1. Hurtado *disp.* 7. *difficult.* 21. Montesinos, &c.

14 *Dices cõtra solutionem.*

Dices tamen contra solutionem: capitis non est caput; sed Christus habet caput, nempè, Deum, vt constat *ex* 1. *ad Corinth.* 11. illis verbis: *Caput Christi Deus*: ergo Christus non est caput. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: capitis non est caput, in naturalibus concedo maiorem; in misticis, moralibus, figuratis, aut politicis nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo Christus non est caput naturale concedo consequentiam; misticum, & morale nego consequentiam. Solutio pluribus patet exemplis. Homo enim est caput mulieris, & suæ domus, & simul membrum reipublicæ. Episcopus est caput suæ Diœcesis, & simul membrum Romani Pontificis. Omitto alia, & ratio differentiæ est: quod in naturalibus caput vnius non est pars, aut membrum alterius; benè tamen in misticis, & politicis.

15 *Arguit. 2.*

Arguitur secundò: humanitas constat ex corpore, & anima; sed Christus non est caput Ecclesiæ secundum corpus proprium, sed tantũ secundum animam: ergo Christus non est caput Ecclesiæ secundum humanitatem. *Probatur minor.* Probatur minor: Christus est caput Ecclesiæ per gratiam habitualem, vt docet D. Thomas *in præsenti artic.* 3; sed gratia habitualis adæquatè subiectatur in anima, & nullatenus in corpore, nec in humanitate, vt conflata ex anima, & corpore. Tùm, quia aliàs disolutâ vnione inter animam, & corpus, destrueretur habitualis gratia. Tùm etiam, quia est accidens spirituale; & consequentèr soli spirituali subiecto potest inhærere: ergo Christus, non secundum corpus, sed tantum secundum animam, est caput Ecclesiæ.

16 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy ad hoc argumentum *num.* 24. concessa maiori, negando minorem; vt enim docet Caietanus *in præsenti artic.* 2. Christus est caput Ecclesiæ, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, & si per se primò secundum animam. Et sic intelligendam existimat mentem Div. Thomæ *in artic.* 2. vbi docet: Christum esse caput hominum secundum corpora, & secundũ animas. Quantum ad animas per se primo, & minus principaliter quantũ ad corpora; quod, scilicet, ly *quantum ad corpora*, referatur, non solum ad corpora aliorum, sed ad corpus proprium. Et hac esse mentem D. Thomæ deducit *ex solut. ad* 3. quod cum intenderet, Christum non esse caput Ecclesiæ secundum corpus, quia traxit ex alijs originem, caput autem debet esse primum; & consequentèr non acceptũ à membris; respondet, quod licèt Christus traxerit materiam corporalem ab alijs; vitam tamen immortalem omnes homines trahunt ex ipso; sed argumentum, non de corporibus aliorũ, sed de corpore Christi procedebat: ergo D. Thomas docens, Christum esse caput hominũ quoad animas, & quoad corpora, non solum loquitur de corpore, & anima in membris, sed etiam de corpore, & anima proprijs ipsius Christi, ita, vt sensus sit, Christum quantũ ad corpus & animam esse caput hominum secundũ animas, & secundum corpora.

17 *Ratione prob bat.*

Et ratio (inquit *num.* 25.) est: nam homines sunt membra Christi secundum corpora, & animas, quia secundum vtraque perficiuntur à Christo, & recipiunt influentiam illius; sed etiam ex parte Christi, nedum anima, verum etiam Christi corpus in homines dona gratiæ influit; sua enim passione, & actibus; nedum spiritualibus, verum etiam corporalibus à corpore exercitis, nos redemit: ergo secundũ vtrumque est caput Ecclesiæ, non quidem *divisivè*, vt aliqui falsò existimant, sed *complexivè*, nec æquè primò, sed secundum animam primò, & secundò secundum corpus. Primum patet: nam influunt anima, & corpus eo modo, quo Verbo copulantur; non autem *divisivè* inter se, sed inter se vnita copulantur Christo: ergo non *divisivè*, sed *complexivè* influunt; & consequentèr est caput secundum corpus, & animam, sumpta *complexivè*; est enim caput eo modo, quo influit. Secundum ex eodem principio pro-

batur:

batur : nam ad influxum, & consequentèr ad rationem capitis, comparantur corpus, & anima Christi eo modo, quo Verbo copulantur ; sed corpus coniungitur Verbo mediante anima; fuit enim, anima mediante, assumptum, vt D. Thom. docuit *suprà quæst. 6. artic. 1* : ergo ad influxum in homines præstandum, & consequentèr ad rationem capitis per se primò comparatur anima, & corpus secundariò, & illa mediante.

18 *Ad probationem minoris.*

Nec contra hæc (concludit *numer. 26.*) obstat probatio minoris; vt enim docet D. Thom. *quæst. præced. artic. 2. ad 1. Gratia sufficit homini quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinem; horum tamen quædam perficit gratia immediatè per se ipsam; quædam autem mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt.* Ex quibus ad præsens institutum colligo, quod ; vt gratia habitualis sit in Christo gratia capitis, sufficit, quod medijs virtutibus ab illa determinantibus ; & medijs auxilijs ipsi debitis, corpus, vel illius potentias informet, etsi ratione sui immediatè tantum subiectetur in anima, & illi soli præstet suum effectum physicum formalem.

19 *Vera solutio. Et quadruplicitèr probatur: Christum etiam secundum corpus esse caput Ecclesiæ.*

Sed quia hæc doctrina nobis est omninò opposita eo ; quod per eam concedatur, Christum esse caput Ecclesiæ per gratiam habitualem, cuius oppositum ostendemus *§. sequent*, ideò solutione Ill. Godoy in sua probabilitate relicta, aliter à nobis est argumento occurrendum. Respondeo itaquè concessa maiori, negando minorem ; quia vt docet D. Thomas 3. *part. quæst. 8. artic. 2. in corpore* ; & cum eo Scholastici, Christus est caput Ecclesiæ, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, cuius ratio est duplex. Prima est: nam Christus est caput Ecclesiæ eo, præcisè, quia meritoriè influit in reliqua membra, seu fideles; atqui ad merita Christi Domini anima, & corpus concurrunt, vt claret in passione, per quam actibus, non solum spiritualibus, verum etiam corporalibus, nos redemit : ergo etiam secundum corpus Christus est caput Ecclesiæ. Secunda ratio est : nam Christus est caput Ecclesiæ ratione vnionis, saltem tanquam ratione inadequata fundamentali, vt constabit ex dicendis *§. sequenti*; sed vtrumquè, nempè, anima, & corpus, fuit vnitum : ergo secundum vtrumq; est Christus caput Ecclesiæ.

Ex his manifestè apparet: reliquos fideles, non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus, esse Christi membra. Quod docuit Apostol. Tùm 1. *ad Corinth. 6.* illis verbis : *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Tùm *ad Philip. 3.* : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, quibus verbis docet, quod post Resurrectionem corpora nostra ex meritis Christi habebunt beatitudinem. Et vltrà hęc, ratione etiam constat; nam animæ fidelium gratiam recipiunt à Christo ; corpora verò eorum recipiunt à Christo motus bonos externos, quibus animabus seruiunt : ergo non solum secundum animas, sed etiam secundum corpora, sunt fideles membra Christi.

20 *Fideles secundū animam, & corpus sunt Christi mēbra.*

Nec contra hæc obstat probatio minoris, distinguimus namquè maiorem: Christus est caput Ecclesię per gratiam habitualem, fundamentaliter, radicaliter, & congruentèr concedo maiorem; formaliter, & actu nego maiorem ; & concessa minori, nego consequentiam; quia cum actu, & formaliter, Christus constituatur caput Ecclesiæ per quandam denominationem, seu relationem rationis, quæ totum Christum denominat in ordine ad membra, & totum refert ad illa ; secundum totum est Christus caput Ecclesiæ, & consequentèr non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus. Hac solutione commodiùs salvare videtur, Christum esse caput Ecclesiæ secundum corpus ; de eius tamen veritate venit tractandum *§. sequenti.*

21 *Probatio minoris nō obstat.*

§. III.

Circa secundam partem referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

22

CIrca secundum, quod examinandum in hac disputatione proposuimus, plures sunt Theologorum sententiæ, quas refert Ill. Godoy *num. 35. & seqq.* Vt autem ad nostrum facit intentum, duplex ex diametro opposita versatur sententia. Prima asserit: Gratiam habitualem esse in Christo gratiam capitis. Sic Ill. Godoy *num. 39.* citans D. Thomam *Ioann. 3. lect. 6. quæst. 29. de Veritate, artic. 5. in 3. dist. 13.*

1. *Sentētia Ill. Godoy.*

quæst. 2. artic. 1. in corpore. Et quæst. 3. artic. 2. quæstiunc. 2. ad 3. Et 3. parte, quæst. 8. artic. 5.

23 2. *Sentētia.* Secunda sententia docet: Gratiam habitualem non esse gratiam capitis, sed gratiam capitis consistere in quadam denominatione, seu relatione rationis, resultante in Christo Domino ex eo, quod terminaverit actum, quo Deus ipsum constituit caput Ecclesiæ; seu, quod idem est: gratia capitis in Christo consistit in dignitate, & potestate, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines. Ita plures Scotistæ, & licèt aliqui cum hac expressione non loquantur, ipsos tamen sic esse intelligendos, iudico. *Scotistæ.*

24 1. *Conclusio* Pro cuius veritate explicanda, sit prima conclusio: *Gratia capitis in Christo consistit formaliter in dignitate, aut potestate, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines.* Seu, quod idem est: *Gratia capitis in Christo consistit formaliter in quadam denominatione, seu relatione rationis, resultante in Christo Domino ex eo, quod Deus illi contulit dignitatem, aut potestatem prædictam; gratia verò habitualis solum est fundamentaliter, radicaliter, aut congruenter gratia capitis.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 39. contra quem.

25 *Probat.* 1. Probatur primò conclusio: Christus nequit esse caput Ecclesiæ, quin sit caput hominum, & Angelorum; atqui nequit Christus esse formaliter caput hominum, & Angelorum, quin sit electus, & institutus à Deo: ergo Christus est formaliter caput Ecclesiæ per potestatem, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines. Maior est apud omnes certa. Minor patet primò: nam solus Deus est Dominus, & Rex Supremus Angelorum, & hominum: ergo nulla creatura potest influere in Angelos, & homines, quin ad hunc finem sit electa, & instituta à Deo. Secundò patet: nam dignitas capitis in Christo nihil physicum importat, sed dumtaxat aliquid morale, seu deputationem à supremo Domino factam, qua supremus Dominus subiecit suos subditos alteri, tanquam capiti; vt patet in Iudice, cui Rex confert authoritatem Iudicandi: ergo vera est minor, scilicet, nequit Christus esse formaliter caput hominum, & Angelorum, quin sit electus, & institutus à Deo.

26 Consequentia verò probatur primò: electio est actus Divinæ voluntatis, quo Deus contulit Christo authoritatem in Angelos, & homines, vt patet ex illo Ecclæs. 45: *Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, Incensum, & bonum odorem, in memoriā placere pro populo suo, & dedit illi in præceptis suis potestatem; in testamentis Iudiciorum docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel.* Ex quibus verbis colligitur, Christum habere potestatem in Israel, ideſt, in Ecclesiam, quia fuit à Deo specialitèr electus ex omni carne: ergo Christus est formaliter caput Ecclesiæ per potestatem, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines. *Probatur cōsequentia* 1.

Secundò probatur: ideò enim Christus est formaliter caput Ecclesiæ, quia ipsi subijciuntur omnia Ecclesiæ membra; sed ratio formalis subijciens omnia Christo est potestas, quam Deus ipsi contulit in Angelos, & homines: ergo hæc dignitas, & potestas constituit formaliter Christum caput Ecclesiæ; & consequenter Christus est caput Ecclesiæ formaliter per potestatem, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines. *Secundò.*

27 *Probat.* 2. *conclusio.* Probatur secundò conclusio paritate: stante in Christo gratia habituali, & gratia vnionis, non stat ratio formalis, constituens Christum caput Ecclesiæ, non stante dignitate, & potestate à Deo Christo collata in Angelos, & homines: ergo gratia capitis in Christo non consistit formaliter in gratia habituali, nec in gratia vnionis, sed in dignitate, aut potestate, quam Deus illi contulit in Angelos, & homines. Consequentia est evidens; nam non stante ratione formali constitutiva, non stat constitutum. Antecedens autem probatur hac paritate: stante eximia negotiorum notitia, & morum probitate in aliquo subiecto, non stat ratio formalis constituens illud Iudicem Reipublicæ, non stante dignitate, & authoritate à Rege illi in subditos concessa: ergo paritèr: stante in Christo gratia habituali, & gratia vnionis, non stat ratio formalis constituens Christum caput Ecclesiæ, non stante dignitate, & potestate à Deo Christo collata in Angelos, & homines.

28 *Probatur deniquè.* Probatur deniquè conclusio: ita Christus terminat actum, quo Deus ipsum constituit caput Ecclesiæ, sicut paries terminat actum videndi; &

quod-

quodlibet obiectum terminat actum cognitionis, & volitionis; sed paries terminans actum videndi recipit denominationem quandam extrinsecã, seu relationem rationis, & similitèr de quolibet obiecto terminante actũ cognitionis, & volitionis: ergo Christus terminans actum, quo Deus ipsum constituit caput Ecclesiæ, recipit quandam denominationem extrinsecam, seu relationem rationis. Tunc sic; sed paries dicitur formalitèr visus per illam extrinsecam denominationem, seu relationem rationis: ergo Christus dicitur formalitèr caput Ecclesiæ per denominationem extrinsecam, seu relationem rationis.

Confirmatur. Confirmatur: homo dicitur formalitèr Iudex Reipublicæ per denominationem extrinsecam, seu relationem rationis resultantem in illo ex eo, quod terminaverit actum, quo Rex illum constituit Iudicem: ergo similitèr: Christus dicitur formalitèr caput Ecclesiæ per denominationem extrinsecam, seu relationem rationis, resultantem in illo ex eo, quod terminaverit actum, quo Deus illum constituit caput Ecclesiæ.

29 *2. Pars conclusionis probatur.* Et ex hoc patet secunda pars conclusionis, nempè: quod gratia habitualis sit solum fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr gratia capitis, quod probatur paritate Iudicis: nam ita se habet gratia habitualis in Christo ad esse caput Ecclesiæ, ac eximia negotiorum notitia, & morum probitas in homine ad esse caput Reipublicæ; atqui eximia negotiorum notitia, & morum probitas in homine solum fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr illum constituunt caput Reipublicæ: ergo gratia habitualis solum fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr constituit Christum caput Ecclesiæ, & consequentèr gratia habitualis in Christo solum fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr est gratia capitis.

§. IV.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

30 *Arguit Ill. Godoy.* ADversus nostram conclusionem arguit Ill. Godoy *num.* 39: nam forma dans Christo, vt homini, radicale posse ad influendum in membra Ecclesiæ, gratia capitalis est; sed gratia habitualis dat Christo, vt homini, radicale posse ad influendum in membra Ecclesiæ: ergo est gratia capitalis. Illatio est legitima. Maior videtur certa; nihil enim aliud ad rationem gratiæ capitis est necessarium, nisi quod caput primò constituat potens ad influxum in membra Ecclesiæ præstandũ. *Minorem probat.* Minor autem probatur: Christus namquè influit in membra Ecclesiæ per meritum, & satisfactionem; sed gratia habitualis dat Christo, vt homini, posse radicalitèr mereri: ergo dat illi posse radicalitèr influere in membra Ecclesiæ.

31 *Confirmatur.* Confirmatur ab ipso *num.* 40: gratia habitualis Christi est prior gratia cæterorum hominum: tùm, quia magis accedit ad Deum. Tùm, quia est finis, & exemplar gratiæ, alijs hominibus datæ: sicut prædestinatio Christi est exemplar, & finis nostræ prædestinationis. Est etiam eminentior gratia hominum, & Angelorum; fuit enim cum plenitudine in Christo, & per illam Christus influit in Ecclesiæ membra; sed prioritas, eminentia, & influxus ad rationem capitis sufficiunt: ergo gratia Christi habitualis est gratia capitis.

32 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: forma dans Christo, vt homini, radicale posse ad influendum in membra Ecclesiç, gratia capitalis est fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr concedo maiorem; formalitèr, & actu nego maiorem; distinguo similitèr minorem: sed gratia habitualis dat Christo, vt homini, radicale posse ad influendum in membra Ecclesiæ, fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr concedo minorem; dat formalitèr, & actu nego minorem; & distinguo consequẽs: ergo est gratia capitalis fundamentalis concedo consequentiam; formalis nego consequentiam. Et ex hoc ad probationem maioris respondeo illã distinguendo: nihil aliud ad rationem capitis est necessarium, nisi quod caput primò constituat formalitèr, & actu potens ad influxum in membra Ecclesiæ præstandum concedo; nisi quod caput primò constituat fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr potens ad influxum in membra Ecclesiæ præstandum nego.

33 *Explicatur solutio.* Itaquè verum est, quod gratia habitualis fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr, dat Christo, vt homini, radicale posse ad influendum in

membra Ecclesiæ; ideòque gratia habitualis in Christo est ratio fundamentalis, ob quam Deus instituit Christum caput Ecclesiæ, aut obquam Deus illi contulit potestatem in Angelos, & homines; cœterum hoc non sufficit, vt gratia habitualis sit formalitèr gratia capitis, præcisa dignitate, & potestate à Deo Christo collata in Angelos, & in homines, vt ex nostris claret probationibus.

34 *Retorqueo argument.*

Deindè retorqueo argumentum: forma dans homini radicale posse ad iudicandum, est forma Iudicis; sed eximia negotiorum notitia, & morum probitas dat homini radicale posse ad iudicandum: ergo eximia negotiorum notitia, & morum probitas est forma Iudicis: ergo præcisa dignitate, & authoritate Regis, homini in subditos Regis concessa, homo, qui eximia negotiorum notitia, & morum probitate pollet, erit Iudex, & consequentèr caput Reipublicæ; quod est omninò falsum. Sicut ergo eximia negotiorum notitia, & morum probitas constituit hominem Iudicem fundamentaliter, aut congruentèr; non verò formalitèr, quia sic constituitur talis per dignitatem, & authoritatem Regis, illi in subditos Regis concessam; ita paritèr: gratia habitualis constituit Christum caput Ecclesiæ fundamentaliter, aut congruentèr; non verò formaliter, quia sic constituitur talis per dignitatem, & potestatem, quam Deus illi contulit in Angelos, & in homines, quorum solus Deus erat supræmus Dominus.

35 *Respondeo ad probat. minoris.*

Ad probationem minoris respondeo distinguendo maiorem: Christus influit in membra Ecclesiæ per meritum, & satisfactionem, ex vi meriti, & satisfactionis nego maiorem; ex vi Divinæ electionis, aut potestatis specialitèr illi concessæ concedo maiorem; & concessa minori distinguo consequens distinctione data *num.* 32. Vt enim per gratiam habitualem constitueretur Christus formalitèr caput Ecclesiæ, debebat in membra illius influere per meritum, & satisfactionem ex vi meriti, & satisfactionis; cum ergo hoc non habeat, & solum influat in membra Ecclesiæ per meritum, & satisfactionem ex vi electionis, aut potestatis à Deo illi specialitèr concessæ, hinc fit, quod gratia habitualis non constituat Christum formalitèr caput, vt patebit amplius ex solutione confirmationis.

36 *Ad confirmation.*

Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem quoad tertiam partem: per gratiam habitualem influit Christus in Ecclesiæ membra physicè, & ex natura gratiæ nego maiorem; moralitèr, & ex Divina ordinatione, qua Deus instituit Christum caput Ecclesiæ concedo maiorem; distinguo similitèr tertiam partem minoris, & nego consequentiam. Itaquè licèt gratia habitualis ad esse gratiam capitis habeat duas priores conditiones, nempè, prioritatem, & eminentiam; ipsi tamen deficit tertia conditio, scilicèt influxus, quia non influit ex natura sua, physicè, seu ex vi gratiæ, sed solum moraliter, & ex ordinatione Divina, qua Deus instituit Christum caput Ecclesiæ, qua ordinatione, seu electione ablata, Christus non esset formalitèr caput Ecclesiæ; nam licèt haberet fundamentum ad esse caput Ecclesiæ; ratio tamen formalis constitutiva capitis ipsi deficeret, vt diximus *num.* 27. ex ibique dictis retorqueatur confirmatio paritate Iudicis. *Retorque.*

§. V.

Statuitur secunda conclusio.

37

DIximus conclusione præcedenti: gratiam habitualem non esse formalitèr gratiam capitis, quod idem de vnione hypostatica asserimus. Supposito ergo, quod neutra gratia est formalitèr gratia capitis, restat scire, an sicut gratia habitualis est gratia capitis fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr; ita etiam sit gratia capitis gratia substantialis vnionis? Seu vt modo loquendi Ill. Godoy commodiùs procedamus, an supposito, & non concesso, quod gratia habitualis sit formalitèr gratia capitis, ita in ipsa adæquatè consistat, vt gratia vnionis à tali constitutione excludatur? Pro quo sit.

38 2. *Conclusio*

Secunda conclusio: *Tàm gratia vnionis, quàm gratia habitualis, est gratia capitis fundamentalitèr, radicalitèr, aut congruentèr, & dato, quod gratia habitualis sit formalitèr gratia capitis, etiam gratia vnionis est formalitèr gratia capitalis: Vndè gratia capitalis adæquatè in recto fundamentalitèr, &* (data hypotesi) *etiam formalitèr, consistit in*

gra-

gratia habituali, & gratia vnionis. Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *numer.* 66. expressè docentem: gratiam vnionis non esse gratiam capitis, sed hanc adæquatè in recto in gratia habituali consistere.

39 *Probat. 1.* Probatur primò conclusio: tria, quæ ad esse caput Ecclesiæ requiruntur, æquè primo, immediatè, per se, & in recto requirunt gratiam habitualem, & gratiam vnionis: ergo gratia capitalis adæquatè, & in recto fundamentalitèr, vel formalitèr in vtraque gratia consistit. Probatur antecedens: tria, quæ ad esse caput Ecclesiæ requiruntur, sunt, prioritas, perfectio, & influxus; sed hæc tria æquè primò immediatè per se, & in recto requirunt gratiam habitualem, & gratiam vnionis: ergo tria, quæ ad esse caput Ecclesiæ requirũtur, æquè primò, immediatè, per se, & in recto requirunt gratiam habitualem, & gratiam vnionis. Minor patet: Christus, vt homo, obtinet primum, & præcipuum Ecclesiæ locum secundum dignitatem ratione vnionis hypostaticæ, vt diximus *num.* 6: ergo ratione huius vnionis convenit prioritas Christo, vt homini. Item: ratione gratiæ vnionis residet in Christo omnes gratiæ; congruum enim fuit, quod in Filio Vnigenito Dei omnes gratiæ reperirentur: ergo perfectio convenit Christo, vt homini, ratione gratiæ vnionis. Denique: influxus in membra Ecclesiæ provenit, tàm à gratia habituali, quàm à gratia vnionis, quod probatur: nam à gratia habituali Christus, vt homo, est formalitèr Sanctus (*vt diximus disput.* 21.) sine qua sanctitate influxus meritorius non persistit; à gratia autem vnionis habet meritum, in nostra doctrina, summum valorem, & in doctrina Ill. Godoy, infinitum, sine qua gratia non mereretur pro alijs saltem connaturalitèr, seu de potentia ordinaria: ergo influxus requirit vtramque gratiam. Atqui hæc sunt tria, quæ ad esse caput Ecclesiæ requiruntur: ergo hæc tria æquè primò, immediatè, per se, & in recto requirunt gratiam habitualem, & gratiam vnionis.

40 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc probationem, etsi alitèr efformatam, respondet Ill. Godoy *numer.* 81. concedendo gratiæ vnionis prioritatem, & perfectionem, & negando illi influxum. Optimè. Sed contra sic insurgo: ergo duæ priores conditiones ad gratiam capitis requisitæ in gratia vnionis reperiuntur, & tertia in gratia habituali invenitur. Ergo nec gratia habitualis sine gratia vnionis, nec gratia vnionis sine gratia habituali, potens est, constituere essentialitèr Christum, caput Ecclesiæ: ergo in vtraque gratia adæquatè, & in recto consistit gratia capitalis. Prima consequentia est ipsius *numer.* 80: dicentis: à nemine posse negari, & rationem tribuit; est namquè gratia vnionis finis habitualis gratiæ, & consequentèr est prior. Est etiam omni habituali gratia infinitè perfectior, & consequentèr est eminens. Tertia consequentia ex secunda manifestè infertur. *Reijcitur.*

41 *Secunda cõsequentia probat.* Secunda autem consequentia probatur: gratia capitis debet necessario habere tres suprà enumeratas conditiones, nempè, prioritatem, perfectionem, & influxum; atqui per te duæ priores conditiones, ad gratiam capitis requisitæ, in gratia vnionis reperiuntur, & tertia invenitur in gratia habituali: ergo nec gratia habitualis sine gratia vnionis, nec gratia vnionis sine gratia habituali potens est, constituere essentialitèr Christum, caput Ecclesiæ. Alitèr formatur probatio: gratia non habens tres suprà enumeratas conditiones, impotens est, ad constituendum essentialitèr Christum, caput Ecclesiæ; sed nec gratia habitualis sine gratia vnionis, nec gratia vnionis sine gratia habituali, habet tres suprà enumeratas conditiones iuxta concessa: ergo Idem, quod anteà. *Formatur alitèr.*

42 *Probat. 2. conclusio.* Et ex hoc probatur secundò conclusio: quandocumque ad constitutionem alicuius plura essentialitèr requiruntur, quę in aliquo vno non inveniuntur, hoc vnum non est se solo constitutivum; sed ad constituendum Christum, caput Ecclesiæ, requiruntur essentialitèr tria, quæ in sola gratia habituali non inveniuntur: ergo sola gratia habitualis non est constitutiva Christi, vt Ecclesiæ capitis. Maior est generalitèr vera, & patet in compositio; quia namquè ad huius constitutionem plura essentialitèr requiruntur, nempè, materia, & forma, nulla sola compositum constituit. Minor pro prima parte est, quam in præsenti disputatione supponit Ill.

Godoy, & cum ipso nos multoties repetitam habemus. Pro secunda verò est etiam ipsius iuxta dicta *num.* 40. Consequentia certa videtur, ex ipsaque nostra deducitur conclusio, scilicèt, quod gratia capitalis adæquatè, & in recto fundamentalitèr, vel formalitèr, consistit in gratia habituali, & gratia vnionis.

43 *Probat.* 3. Probatur tertiò conclusio: ad hoc, vt in Christo gratia capitis influat in membra Ecclesiæ, tria per se requiruntur. Primò, quod sanctificet formalitèr eius humanitatem. Secundò, quod efficienter influat in eius opera, quibus meruit. Tertiò, quod causet valorem, quem merita Christi habuerunt; atqui gratia habitualis se sola hęc tria non habet: ergo sola gratia habitualis non est gratia capitalis. Consequentia est legitima. Maior pro prima, & tertia parte constat ex dictis *num.* 39. Pro secunda est communis omnium consensus. Minor vero, in qua potest esse difficultas, probatur: licèt gratia habitualis se sola habeat primam, & secundam conditionem; non tamen habet tertiam: ergo gratia habitualis se sola non habet illa tria. Probatur antecedens quoad secundam partem: gratia habitualis non se sola, sed simùl cum gratia vnionis, causat valorem, quem merita Christi habuerunt, vt patet ex dictis *num.* 39. & est communis omnium consensus; atqui est tertia suprà posita conditio: ergo gratia habitualis se sola non habet tertiam conditionem.

44 *Respõdebis cũ doctrina Ill. Godoy.* Ad hanc probationem potest respondere Ill. Godoy, quod ad quodam argumentum respondet *num.* 88. & 89. scilicèt, quod licèt verum sit, quod gratia vnionis dignificet, & valoret merita Christi, non ob hoc dicenda est gratia capitis, cuius ratio duplex est. Prima: quia caput, non per influxum formalem, sed per effectivum in ratione capitis constituitur; gratia autem habitualis constituit Christum, vt hominem, efficienter influentem in actus meritorios; & idcircò illum in ratione capitis constituit, & gratia capitis est. Gratia verò vnionis, quæ est Deitas humanitati coniuncta, non efficienter, sed formalitèr dat operibus dignitatem, & valorem; & ideò gratia capitis non est, nec Christum in ratione capitis Ecclesiæ constituit.

Secunda ratio est: nam gratia capitis est, quæ Christo, vt homini, dat influentiam: gratia autem humanitati tribuit influxum elicitivum in substantiam operationum, quibus Christus nobis promeruit; nam Christus, vt homo, elicitivè satisfatiebat, & merebatur mediante gratia habituali, vt elevante, vireſquè humanitati prævente ad prædictorum actuum elicientiam: & ideò Christum in ratione capitis constituit, & gratia capitis est. Gratia autem vnionis non dat humanitati, vt operationes dignificet; Christus enim, vt homo, non *dignificativè*, sed *elicitivè* satisfacit pro nobis, nobisque meruit, sed ipsa vnionis gratia immediatè humanitatem sanctificans, mediatè se ipsa cum influxu humanitatis, non dignificativo, sed tantum elicitivo, operationes dignificat: & idcircò Christum in ratione capitis non constituit, nec gratia capitis est. 45

46 *Impugn.* 1. *hæc solutio.* Hæc tamen solutio impugnatur primò: gratia vnionis iuxta solutionem Ill. Godoy formalitèr operationes Christi dignificat, & illas se ipsa valoratas, & dignificatas reddit; sed hic formalis influxus per se requiritur ad hoc, vt gratia capitis influat efficienter in membra Ecclesiæ: ergo hic formalis influxus per se requiritur ad gratiam capitis, & consequenter ad gratiam capitis per se requiritur gratia vnionis. Probatur minor: præciso formali influxu, operationes Christi dignificante, & valorante, Christus non mereretur pro alijs, saltem connaturalitèr, & de potentia ordinaria: ergo hic formalis influxus per se requiritur ad hoc, vt gratia capitis influat efficienter in membra Ecclesiæ. Antecedens verò constat ex dictis *num.* 39. & ita verum est, vt adhuc de potentia Dei absoluta sit verũ in opinione ipsius Ill. Godoy, vt clarebit ex impugnatione sequenti.

47 *Probat.* 4. *conclusio.* Probatur quartò conclusio ad hominem contrà Ill. Godoy: esse caput Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium vniversalem requirit dignitatem simpliciter infinitam meritoriam, & satisfactoriam, sed hoc convenit Christo ex hoc, quod illius humanitas est Divinitati coniũcta: ergo esse caput Ecclesiæ convenit Christo ratione gratiæ vnionis. Maior est Ill. Godoy *num.* 108; & rationem prę-

bet;

bet; solum enim satisfactio simpliciter infinita potest ab offensa infinita condignè hominem redimere, & solum meritum infinitum simpliciter potest vniversalem influxum meritorium condignum habere. Minor est eiusdem *num. citat.* ex quo infert, quod dignitas capitis Ecclesiæ per influxum condignè satisfactorium pro offensa, & meritorium de condigno vniversalem, ita est propria Christo, vt non possit, etiam de potentia absoluta, puræ creaturæ competere.

48 *Probatur cõsequẽtia.* Consequentia legitima videtur, & probatur: si esse caput Ecclesiæ non conveniret Christo ratione gratiæ vnionis, esse caput Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium vniversalem non requireret dignitatem simpliciter infinitam meritoriã, & satisfactoriam; atqui esse caput Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium vniversalem requirit dignitatem simpliciter infinitam meritoriam, & satisfactoriam: ergo esse caput Ecclesiæ convenit Christo ratione gratiæ vnionis. Consequentia est manifesta. Minor est Ill. Godoy *citat.* Maior autem, in qua potest esse difficultas, probatur: dignitas simpliciter infinita meritoria, & satisfactoria convenit Christo ratione gratiæ vnionis, vt tenet Ill. Godoy *citat.* ergo si esse caput Ecclesiæ non conveniret Christo ratione gratiæ vnionis, esse caput Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium vniversalem non requireret dignitatem simpliciter infinitam meritoriam, & satisfactoriam.

49 *Impugn. 2. solutio suprà posita.* Ex hacque probatione impugnatur secundò solutio suprà posita: dignitas simpliciter infinita meritoria, & satisfactoria requisita ad esse caput Ecclesiæ, provenit ab influxu formali gratiæ vnionis in opera Christi: ergo influxus formalis gratiæ vnionis in opera Christi requiritur ad esse caput Ecclesiæ: ergo quod gratia vnionis efficienter non influat in opera Christi, non obest, vt gratia capitis sit: ergo nulla est suprà data solutio Ill. God. Omnes consequentiæ legitimæ apparent, si antecedens est verum. Antecedens est Ill. Godoy *num. proximè citato.*

50 *Respõdebis ex doctrina Ill. Godoy.* Ad omnia hæc responderi potest cum doctrina, quam tradit Ill. Godoy *num. 76.* scilicèt; omnia à nobis vcusquè pro conclusione tradita ad summum probare, quod ad rationem gratiæ capitis requiritur in obliquo gratia vnionis. Cæterum hæc solutio reijcitur. Primò: nam eadem ratione possumus, & nos dicere, quod ad rationem gratiæ capitis requiritur in obliquo gratia habitualis. Secundò: nam semel concesso, quod vtraque gratia requiratur ad rationem gratiæ capitis, gratia habitualis potiùs, quam gratia vnionis, debet ingredi in obliquo: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: semel concesso, quod vtraque gratia requiratur ad rationem gratiæ capitis, gratia minus infinitè perfecta potiùs, quam gratia infinitè perfectior, debet ingredi in obliquo; sed gratia habitualis est infinitè minus perfecta, quam gratia vnionis, & gratia vnionis est omni gratia habituali infinitè perfectior, vt habet Ill. Godoy *num. 80.* idque concedit *num. 81*: ergo semel concesso, quod vtraque gratia requiratur ad rationem gratiæ capitis, gratia habitualis potiùs, quam gratia vnionis, debet ingredi in obliquo.

Reijcitur 1

Secundò.

Tertiò reijcitur: esse caput Ecclesiæ, quod est esse caput hominum, & Angelorum, est maxima dignitas, & excellentia: ergo si ad hanc dignitatẽ, & excellentiam duplex gratia concurrit, vna in recto, & alia in obliquo, gratia dignior, & excellentior potiùs, quam minus digna, & excellens, concurret in recto: ergo potiùs gratia vnionis, vtpotè, dignior, & excellentior omni gratia habituali, in recto concurret: ruit ergo solutio.

51 *Tertiò.*

Reijcitur quartò: sicut ad esse caput Ecclesiæ requiruntur tria, scilicèt, prioritas, perfectio, & influxus; ita ad influxum gratiæ capitis in membra tria requiruntur, nempè, quod sanctificet formaliter eius humanitatem; quod efficienter influat in eius opera; & quod opera summè, vel infinitè valoret, seu dignificet; atqui illa tria ad esse caput Ecclesiæ requisita, æquè primò, immediatè, per se, & in recto requiruntur: ergo hæc tria ad influxũ gratiæ capitis in membra requisita, æquè primò, immediatè, per se, & in recto requiruntur. Paritas proportionata videtur, & quælibet solutio erit (meo videri) petitio principij.

52 *Reijcitur 4*

Reijcitur denique, redarguendo duplicem rationem ab Ill. Godoy traditam, ad probandum, quod ad rationem gratiæ capitis requiritur in obliquo gratia vnionis. Prima est:

53 *Denique.*

Quia aliàs pura creatura posset esse caput Ecclesiæ quoad meritum condignum gratiæ, & condignam satisfactionem pro peccato humani generis, cuius contrariũ docet D. Thomàs in præsenti artic. 6. Patet sequela: totum, quod in recto importat gratia habitualis in Christo, potest puræ creaturæ communicari: ergo si illa sola absque aliquo connotato, vt necessario ingrediente, est in Christo gratia capitis, pura creatura esse poterit caput Ecclesiæ quoad meritum gratiæ condignum, & condignam pro culpa satisfactionem. Sic Ill. Godoy *num.* 96.

54 *Redarguo 1*

Nunc ipsum redarguo primò: si gratia vnionis requiriretur in recto ad rationẽ gratiæ capitis, pura creatura minus posset esse caput Ecclesiæ quoad meritum condignum gratiæ, & condignam satisfactionem pro peccato humani generis, quam si solum in obliquo requiriretur: ergo ex ratione Ill. Godoy potius probatur, gratiam vnionis requiri in recto, quam in obliquo. Consequentia patet, & antecedens est manifestum; nam si vt pura creatura nequeat esse caput Ecclesiæ, sufficit, quod gratia vnionis requiratur in obliquo, potius sufficiet, quod requiratur in recto, vt est evidens.

Secundò. Redarguo secundò: ex eo, quod gratia vnionis requiratur in recto ad rationem gratiæ capitis, non valet inferre, quod pura creatura possit esse caput Ecclesiæ: ergo ratio Ill. Godoy non tollit, quod in recto requiratur.

Tertiò. Redarguo tertiò: ad evitandũ, quod pura creatura possit esse caput Ecclesiæ, non minus conducit, quod gratia vnionis requiratur in recto, quam quod in obliquo requiratur, vt est per se notum; sed hoc est, quod ratio Ill. Godoy vitare intendit: ergo ratio ipsius non tollit, quod ad rationem gratiæ capitis gratia vnionis requiratur in recto.

55 Secunda ratio Ill. Godoy est: *Gratia habitualis est gratia capitis, quatenus Christum, vt hominem, constituit potentem ad condignè pro nobis satisfaciendum; sed hoc non præstat sine gratia vnionis, vt opera infinitante: ergo istam de connotato importat, provt gratia capitis est.* Sic Ill. Godoy *num.* 77.

Redarguo. Redarguo nunc ipsum: gratia habitualis est gratia capitis, quatenus Christum, vt hominem, constituit potentem ad condignè pro nobis satisfaciendum; sed hoc non præstat, imò nec præstare potest in doctrina Ill. Godoy, sine gratia vnionis, vt opera infinitante: ergo etiam gratia vnionis gratia capitis est. Hæc consequentia claret *ex dictis in hoc §. præsertim num.* 42. 50. 51. & 52. nec alia indiget probatione.

§. Vltimus.

Solvitur argumentum Ill. Godoy, & corollaria ex dictis declarantur.

56 *Arguit Ill. Godoy.*

COntra nostram secundam conclusionem arguit Ill. Godoy *num.* 74: Gratia capitis in Christo, vt homine, illa est, per quam in quantum homo influit efficienter, saltim moraliter gratiam in Ecclesiæ membra; sed Christus, vt homo, per gratiam vnionis hanc moralem efficientiam non habet: ergo gratia vnionis non est gratia capitis in Christo, provt homo est. Minor, inqua est difficultas, probatur: per illam formam influit Christus, vt homo, efficienter moraliter gratiam, quæ est principium *quo* merendi; sed gratia vnionis non est humanitati Christi principium merendi *quo*: ergo per illam non influit efficienter moraliter. Minor probatur: id est Christo, vt homini, principium merendi *quo*, quod est humanitati principium vt *quo* eliciendi actus supernaturales, & efficiendi opera meritoria; sed gratia vnionis non est humanitati principium *quo* operandi, cum non informet physicè humanitatem, nec identificetur cum illa, quorum aliquod erat necessarium, vt per illam posset humanitas actus meritorios efficere: ergo gratia vnionis non est humanitati Christi, nec Christo, vt homini, principium *quo* merendi.

57 *Respondeo ad argum.*

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: gratia capitis in Christo, vt homine, illa est, per quam in quantum homo influit efficienter, saltim moraliter gratiam in Ecclesiæ membra, præcisè nego maiorem; per quam influit efficienter, & opera Christi summè, vel infinitè valorat concedo maiorem; & distinguo minorem: sed Christus, vt homo, per gratiam vnionis hanc moralem efficientiam non habet, nec opera Christi summè, vel infinitè valorat nego minorem; & opera Christi summè, vel infinitè valorat concedo minorem, &

ne-

nego consequentiam. Solutio claret ex dictis *num.*43.

58 *1. Corollarium.*

Ex dictis in discursu disputationis colligitur primò: dignitatem capitis Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium de condigno vniversalem, non esse ita Christo propriam, vt de potentia Dei absoluta non possit puræ creaturę competere. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy *num.* 107. Et probatur: esse caput Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium vniversalem non requirit dignitatem simpliciter infinitam meritoriam, & satisfactoriam: ergo dignitas capitis Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium de condigno vniversalem non est ita proprium Christo, vt de potentia absoluta Dei non possit puræ creaturæ competere. *Probatur contra Ill. Godoy.* Probatur antecedens: actus purę creaturæ non possunt de potentia absoluta dignitatem simpliciter infinitam habere, & tamen possunt condignè pro offensa mortali satisfacere: ergo esse caput Ecclesiæ per influxum satisfactorium, & meritorium vniversalem non requirit dignitatem simpliciter infinitam meritoriam, & satisfactoriam. Consequentia est legitima. Antecedens verò pro prima parte est certum; pro secunda autem, inqua est difficultas, est expræssa Scoti sententia, quam contra Ill. Godoy defensavimus *tom. præcedenti disputatione* 2. Et per hoc patet ad fundamentum, quod in oppositum tradit ipse Ill. Godoy *num.*108.

59 *2. Corollarium.*

Colligitur secundò: gratia capitis, non sola ratione à gratia personali differre. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy *num.*41. & probatur primò: gratia capitis consistit formaliter in quadam denominatione, seu relatione rationis, ex dictis *num.* 24; fundamentaliter verò in gratia habituali, & gratia vnionis consistit iuxta dicta *num.*38: ergo gratia capitis, sivè formaliter, sivè fundamentaliter sumatur, non sola ratione à gratia personali differt. *Probat. 1. contra Ill. Godoy.* Probatur consequentia: gratia personalis est sola gratia habitualis; dicitur enim personalis, quatenùs humanitatem Christi sanctificat; atqui denominatio, seu relatio rationis, inqua formaliter consistit gratia capitis, & gratia habitualis simul cum gratia vnionis, inqua fundamentaliter consistit gratia capitis, non sola ratione distinguntur à sola gratia habituali: ergo gratia capitis, sivè formaliter, sivè fundamentaliter sumatur, non sola ratione à gratia personali differt.

60 *Secundò.*

Probatur secundo: ideò gratia capitis sola ratione à gratia personali differret, quia eadē forma esset gratia capitis, & gratia personalis; sed gratia capitis, & gratia personalis nō sunt eadem forma, vt ex dictis patet: ergo gratia capitis non sola ratione à gratia personali differt. Et per hoc patet ad id, quod in oppositum tradit Ill. Godoy *num.*41. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist.*13. §.2. ad illa verba: *In alijs ergo non in se proficiebat sapientia, & gratia, &c.* *Mag. Sent.*

***

DISPVTATIO VIGESIMA NONA.

An Christus, in quantum homo, sit Caput omnium hominum, & Angelorum?

§. I.

Circa primam disputationis partem aliqua præmittuntur.

Num. 1 *Suppono* 1

CIrca primam partem disputationis, & pro clariori illius intelligentia, suppono primò: quod omnes homines ad quinque classes, seu status reduci valent. In prima ponuntur Beati. In secunda Viatores Iusti, seu existentes in gratia. In tertia Peccatores Fideles existentes sub peccato mortali. In quarta Viatores Infideles. In quinta deniq; Dānati.

Se-

2 *Suppono 2.*

Secundò: vt indubitatum ſupponimus, homines in ſtatu gloriæ eſſe actu membra Chriſti, imò, & membra perfectiſsima. Conſtat primò ex D. Paulo *ad Epheſios* 1. ibi: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, ideſt, Militantem, & Triumphantem, vt explicat Div. Thomas, & Gloſſa Ordinaria *Ibidem.* Secundò: nam vnio ad Chriſtum per fidem ſufficit ad rationem membri Chriſti, *vt poſteà videbimus*, & vnio per gratiam viæ: ergo vnio ad Chriſtum per gratiam conſummatam, & gloriam, quæ vnio perfectiſsima eſt, nunquam diſolvendam per culpam, membrum Chriſti perfectiſsimum conſtituet.

3 *Suppono 3.*

Tertiò exploratum eſt apud omnes Catholicos, Chriſtum eſſe caput actu omnium hominum exiſtentium in gratia, quamvis illam ſint amiſſuri, ſivè prædeſtinati ſint, ſivè reprobi. Hæc ſuppoſitio eſt diffinita *in Concilio Conſtantienſi Seſſ.* 15. *tom.* 2. *Concilior.* Et probatur primo ex D. Paulo *ad Romanos cap.* 8. illis verbis: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*; ſed omnes Iuſti Spiritu Dei aguntur: ergo omnes ſunt Filij Dei: ergo etiam Eccleſiæ Filij; & conſequentèr illius, & Chriſti membra. Secundò probatur *ex Concilio Tridentino Seſſ.* 6. *de Iuſtific. cap.* 7. ibi: *Vndè in ipſa Iuſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſſa accipit homo per Ieſum-Chriſtum, cui inſeritur, &c.*: ergo omnis Iuſtificatus ex vi Iuſtificationis inſeritur Chriſto; ſed Chriſto inſeri, eſt eſſe membrũ illius: ergo omnis Iuſtificatus, ſivè prædeſtinatus ſit, ſivè reprobus, eſt membrum Eccleſiæ, & Chriſti. Deniquè: nam exiſtens in gratia eſt Chriſto vnitus per fidem, & charitatem, & recipit vitam ſpiritualem à Chriſto; ſed nihil aliud requiritur ad rationem membri: ergo Chriſtus eſt caput omnium exiſtentium in gratia, ſivè prædeſtinati ſint, ſivè reprobi.

4 *Suppono 4.*

Suppono quartò cum Ill. Godoy *num.* 12: quod Chriſtus, in quantum homo, eſt caput actu Fidelium, etiam in peccato mortali exiſtentium; non perfectè, & ſimplicitèr, ſed imperfectè, & ſecundum quid. Oſtenditur prima pars ſuppoſitionis: nam Chriſtus eſt actu caput omnium actu ad Eccleſiã pertinentium; ſed omnes fideles ſunt actu partes Eccleſiæ, ſivè ſint in peccato, ſivè in gratia: ergo Chriſtus actu eſt caput omnium fidelium etiam exiſtentium in peccato mortali. Illatio eſt legitima. Maior certa videtur: nam Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ: ergo actu eſt caput omnium ad Eccleſiam actu attinentium. Minor verò eſt communis Theologorum ſententia, & probatur: nam *Matth. cap.* 22. comparatur Eccleſia decem Virginibus, quarum quimque fatuæ erant, & ſine oleo charitatis; quimque verò erant prudentes. *Matth.* 3. comparatur areæ, inqua ſimul cum tritico paleæ comburendæ inveniuntur. Et *cap.* 13. comparatur ſagenæ miſſæ in mare, inqua piſces boni, & mali congregantur: ergo ad Eccleſiam pertinent, non ſolum Iuſti fideles, ſed etiam fideles exiſtentes actu in peccato.

1. Pars probatur.

Minor probatur.

Ratione etiam probatur primò minor prædicta: nam Eccleſia communiter à Theologis ex Nicolao Pontifice diffinitur, quod eſt: *Collectio Fidelium*; ſed per fidem, licèt informem, homo conſtituitur actu ſub huiuſmodi collectione: ergo efficitur pars Eccleſiæ. Secundò: nam homo actu intra Eccleſiam conſtituitur per id, quo vnitur actu cum alijs Eccleſiæ partibus in aliquo credito, vel amato; ſed per fidem actu vnitur cum alijs Eccleſiæ partibus in vno credito: ergo actu intra Eccleſiam conſtituitur.

5 *Probatur ratione.*

Secunda pars ſuppoſitionis oſtenditur. Primò: nam ad rationem membri perfecti, perfecta vnio ad Chriſtum requiritur, & participatio vitæ ſpiritualis perfecta; ſed fidelis exiſtens in peccato mortali non vnitur ad Chriſtum perfectè, nec perfectè ab illo vitam ſpiritualem participat: ergo non eſt membrum Chriſti perfectè. Secundò: quia non ſtat, eſſe membrũ Chriſti perfectè, & ſimplicitèr, & eſſe membrum ſimplicitèr Diaboli; ſed fidelis exiſtens in peccato mortali eſt ſimplicitèr Diaboli membrum: ergo non eſt ſimplicitèr, & perfectè membrum Chriſti.

6 *2. Pars probatur dupliciter.*

Quintò deniquè vt extra controverſiam ſupponimus: Omnes homines poſt Chriſtum eſſe illius membra ſaltim in potentia, dum vivunt in hac vita mortali. Quod patet: nam in ſtatu viæ omnes homines, quantumcumque obſtinati, poſſunt ſalvari, & Iuſtificari; ſed homines in ſtatu gloriæ, & iuſtificationis ſunt actu membra Chriſti, vt ex ſecunda, & tertia ſuppoſitio-

7 *Suppono 5.*

sitione constat: ergo quandiu degunt in hac vita mortali, & retinent viæ statum, omnes homines, quantumcumque scelerati, sunt membra Christi in potentia.

§. II.

Prima pars disputationis resolvitur.

8

1. *Sentētia.*

Ill. Godoy.

2. *Sentētia.*

HIs itaquè præsuppositis, quod examen desiderat, est: an Christus sit actu caput Infidelium, & Damnatorum? Qua in re duplex ex diametro versatur sententia. Prima est negativa, quam de Infidelibus defendit Ill. Godoy *num.* 55. Et de Damnatis tenet *num.* 2. Secunda sententia est affirmativa, quam contra Ill. Godoy defensabimus, & (meo videri) facilitèr cum advertentia sequenti.

9

Vtilis advertentia.

Adverto itaquè pro defensione secundæ sententiæ: quòd aliud est, esse membrum Ecclesiæ, & aliud esse membrum huius mundi visibilis, seu totius vniversitatis creaturarum; & consequentèr aliud est, esse caput membrorū Ecclesiæ, & aliud est, esse caput membrorum huius mundi visibilis, aut totius vniversitatis creaturarum. Ad esse membrum Ecclesiæ requiritur saltem fides, vt patet ex dictis *num.* 4. & 5. & consequentèr ad esse caput membrorum Ecclesiæ requiritur saltem, quod in membris adsit fides. At ad esse membrum huius mundi visibilis, aut totius vniversitatis creaturarum, nullatenùs requiritur fides; quod evidenter patet ex eo, quod Infideles sunt membra huius mundi visibilis, quim fidem habeant; vndè consequentèr asserendum est, quod ad esse caput membrorum huius mundi visibilis, nullatenùs fides est in membris requisita. Hoc igitur animadverso.

10

1. *Cōclusio, & 1. illius probatio.*

Sit prima conclusio: *Christus est caput actu Infidelium, sivè baptizati sint, sivè non; sivè occulti sint, sivè publici.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 55. & probatur primò: Christus est caput actu omnium Infidelium: ergo. Probatur antecedens: Christus respectu omnium Infidelium habet actu tres illas conditiones, quas *disput. præcedent. num.* 3. notavimus in capite naturali, & ad rationem capitis mistici, moralis, figurativi, aut politici, esse requisitas; diximus, essèque sufficientes, fatentur communitèr omnes, cum quibus Ill. Godoy *disput. præced. num.* 4: ergo Christus est caput actu omnium Infidelium. Probatur antecedens: nā in primis Christus inter omnes creaturas, etiam Infideles, obtinet primū, & præcipuum locum secundum dignitatem ratione vnionis hypostaticæ. Deindè in eo residet omnes gratiæ, tamquam in vnigenito à Patre. Et denique habet influxum in Infideles omnes; atqui illæ sunt tres illæ conditiones, nempè; prioritas, perfectio, & influxus: ergo Christus respectu omnium Infidelium habet actu tres suprà dictas conditiones. Maior pro prima, & secunda parte est certissima.

11

Maior pro 3. part. probatur.

Pro tertia verò, inqua potest esse difficultas, ostenditur manifestè: Deus namquè propter merita Christi Domini dat actu Infidelibus omnibus inspirationes, seu auxilia sufficientia, illorum vitam conservat; & præstat omnia alia beneficia, quæ illis donantur: ergo Christus Dominus habet influxum in omnes Infideles. Consequentia est legitima. Antecedens autem probatur: nam quod omnia, & singula beneficia, tàm ordinis naturalis, quàm supernaturalis, quæ Deus præstat omnibus Infidelibus, illis præstet propter merita Christi Domini, pertinet ad excellentiam Christi, quin ex hoc aliquod sequatur inconveniēs: ergo Deus propter merita Christi Domini dat actu Infidelibus omnibus inspirationes, seu auxilia sufficientia, illorum vitam conservat, & præstat omnia alia beneficia, quæ illis donantur. Antecedens est certum; & consequentia legitima; quia Christo Domino debet concedi quidquid pertinet ad eius excellentiam, dummodo inconveniens aliquod non sequatur, vt est concors Theologorū consensus.

12

Brevius formatur ratio.

Hæc tamen ratio ad maiorem brevitatem redacta in hunc modum proponitur: caput dicitur ex prioritate, perfectione, & causalitate; sed Christo respectu omnium Infidelium hęc tria actu competunt secundum humanitatem: ergo Christus, in quantum homo, est actu caput omnium Infidelium. Hæc est ad litteram ratio, qua Ill. Godoy *disput. præcedent. numer.* 4. *in fine* probat: Christum, in quantum homo, esse caput Ecclesiæ, & certè vrgere videtur contra ipsum in præsenti, quod hac ostenditur paritate: ideò Christus, in quantum homo, est caput actu Ecclesiæ, quia in illo respectu Ecclesiæ

Vrgetur paritate ad hom. contra Ill. Godoy.

repe-

reperiuntur prioritas, perfectio, & causalitas; sed etiam in illo respectu In fidelium hæc tria reperiuntur: ergo est actu caput Infidelium; & consequenter Christus Dominus propter rationem, qua actu est caput Ecclesiæ, est, & dici debet actu caput omnium Infidelium.

13 *Respõdebit Ill. Godoy.*

Ill. Godoy huius rationis non meminit; respondebis tamen doctrina, qua vtitur *num.* 72. respondendo ad quandam obiectionem, scilicet, quod licèt Christus Dominus influat in Infideles, non ob hoc dicendus est caput illorum, quia Christus non constituitur caput per quemlibet influxum, sed per influxum vnientem Christo, & Ecclesiæ in aliquo vno, quod non verificatur de Infidelibus, qui membra Ecclesiæ non sunt. Quod alijs terminis explicatur ab aliquibus, scilicèt, quod licèt Christus Dominus influat meritoriè in Infideles beneficia suprà posita; non tamen influit, vt quid coniunctum illis, quod erat necessarium, vt actu esset caput illorum.

14 *Impugnatur respõsio.*

Cæterum hæc responsio, nec tollit vim nostræ probationis, nec invalidat nostram doctrinam, quod apparebit per hanc impugnationem. Impugnatur itaquè solutio: licèt Christus non sit coniunctus Infidelibus, tanquam actu membris Ecclesiæ, est tamen illis coniunctus, tanquam mẽbris huius mundi visibilis, aut totius vniversitatis creaturarum: ergo licèt Christus non sit actu caput Infidelium, tanquam membrorum Ecclesiæ; est tamen actu caput illorum, tanquam membrorum huius mundi visibilis, aut totius vniversitatis creaturarum. Antecedens est certum, & consequentia legitima.

15 *Aliter formatur.*

Aliter formalizatur impugnatio: vt Christus Dominus sit actu caput aliquorum, tanquam membrorum Ecclesiæ, sufficit, quod sit illis coniunctus, tanquam actu membris Ecclesiæ: ergo vt Christus Dominus sit actu caput aliquorum, tanquam membrorum huius mundi visibilis, sufficiet, quod sit illis coniunctus, tanquã actu membris huius mundi visibilis. Atqui Christus Dominus est Infidelibus coniunctus, tanquam actu membris huius mundi visibilis: ergo actu est illorum caput, tanquam membrorum huius mundi visibilis: ergo vera est nostra conclusio, & doctrina pro illa tradita; & consequenter nulla Ill. Godoy solutio. Antecedens est doctrina generalis, quam ipse Ill. Godoy habet in rota hac disputatione. Consequentia est paritate notoria. Sumpta innegabilis videtur, & consequentiæ ex illa illatæ sunt legitimæ.

16 *Probat. 2. conclusio.*

Probatur secundò conclusio: Deus actu est caput Christi Domini, & totius creaturæ: ergo Christus actu est caput totius creaturæ, & consequenter Infidelium. Probatur consequentia: ideo Deus actu est caput totius creaturæ, quia omnem creaturam creavit, conservat, & gubernat; sed omnia hæc Deus creaturis præstat propter merita Christi Domini: ergo Christus actu est caput totius creaturæ, & consequenter Infidelium. Maior est certa. Minor probata manet *num.* 11. Consequentia autem patet: quia supposito influxu meritorio Christi Domini respectu Infidelium, habet Christus respectu illorum conditiones ad rationem capitis actualis, quas enumeratas relinquimus *numer.* 10. & 12.

17 2. *Conclusio Probatur.*

Secunda conclusio: *Christus Dominus est actu caput Damnatorum.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy, & probatur: Christus Dominus habet respectu Damnatorum tres illas conditiones, scilicèt, prioritatem, perfectionem, & causalitatem, quæ ad rationem capitis actualis requiruntur, & sufficiunt: ergo Christus Dominus est actu caput Damnatorum. Antecedens pro prima, & secunda parte est indubitatum. Pro tertia verò, in qua vnicè potest esse difficultas, probatur: Christus Dominus influit in Damnatis aliquam gratiam, & beneficium: ergo Christus Dominus habet respectu Damnatorum causalitatem. Probatur antecedens: Deus punit Damnatos citrà condignum; sed hæc pœnarum diminutio est gratia, & beneficium, tribuique debet meritis Christi Domini: ergo Christus Dominus influit in Damnatis aliquam gratiam, & beneficium. Maior est Theologorum axioma. Minor quoad primam partẽ est certa: nam pœnarum diminutio est indebita Damnatis: ergo est gratia, & beneficium. Pro secunda patet: nam ad excellentiam Christi pertinet, quod quamcumque gratiam, & beneficium creaturis præstitum præstet Deus propter merita Christi Domini,

quan-

quando nullum sequitur inconveniens. Consequentia est legitima.

§. III.

Occurritur argumentis Ill. Godoy.

18 *Arguit. 1. contra 1. cõclusionem.*

COntra nostram primam conclusionem arguit Ill. Godoy primò *num.* 56. & procedit argumentum de Infidelibus non baptizatis: indubitatum est apud omnes, Infideles non baptizatos non pertinere ad Ecclesiam, tanquam partes illius; & consequenter Christum illorum caput non esse; carent enim interiori Ecclesiæ conditione, videlicèt, fide; & exteriori, ac visibili, scilicèt, Baptismo, fideique exteriori professione; & de illis potissimè intelligitur illud Pauli 1. *ad Corinth.* 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt?* Sunt ergo extra Ecclesiam adæquatè; ac proindè Christus illorum caput non est.

19 *Arguit. 2.* Arguit secundò *num.* 57. & procedit argumentum de Hæreticis baptizatis, illudque sumit ex Cypriano *libro* 1. *Epist.* 3. *ad Cornelium propè initium Epistolæ.* Vbi de Novatiano loquens sic ait: *Non tantum mea, sed & plurimorum Coepiscoporum sententia condemnatum, & reiectum, & à te illi esse ab Ecclesia prohibitum, & cum venisset stipatus caterva, & factione desperatorum vigore pleno, quo Episcopum agere oportet, pulsum de Ecclesia esse, de qua iam pridem cum suis similibus Dei Maiestate, & Christi domini Iudicis nostri severitate depulsus est.* Id ipsum *in medio Epistolæ* de Fœlice quodam Pseudo-Episcopo docet; nimirum, propter hæresim extra Ecclesiam constitutum. *Et Epist.* 6. *ad Magnum*, eandem doctrinam prosequitur. *Et in Epist. ad Antonianum*, in eadem persistit sententia. Quæ in causa fuit, vt Cyprianus hæreticorum baptisma negaret. Gregorius etiam *lib.* 12. *Moral. cap.* 15. *Et lib.* 16. *cap.* 21. ait: *Nomine tenus esse Christianos.* Quod etiam docet Augustinus *libro* 7. *de Baptismo capit.* 10. *Et de Vnitate Ecclesiæ cap.* 4. Et alij PP. cum de hæreticis loquuntur, eos dicunt esse foris. Ita Sixtus Papa *Epist.* 1. *Decretali*, Felix I. *Epist.* 1. Irænеus *lib.* 3. *cap.* 3. Et Tertulianus *contra Martionem.* Ex quibus tale argumentum conficitur: Christus non est caput actu illorum, qui actu sunt extra Ecclesiam; sed hæretici sunt actu extra Ecclesiam: ergo Christus non est actu illorum caput, sed solum in potentia, quatenus possunt converti, & redire ad Ecclesiam per fidem.

20 *Arguit. 3.* Arguit tertio *num.* 58: nam fides est Ecclesiæ fundamentum, *ad Ephes.* 2. *Super ædificati suprà fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, ideſt, super fidem illorum, vt plures PP. interpretantur. *Matth.* 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ideſt, super hanc fidei confessionem. *Ad Colossens.* 1. *Si tamen in fide eius fundati estis*: ergo carens fide ad Ecclesiam actu non pertinet, quæ sine sui fundamento subsistere nequit; sed Christus non est actu caput non pertinentium actu ad Ecclesiam: ergo non est actu caput hæreticorum, etiam si verè baptismi Sacramentum susceperint.

21 *Arguit. 4.* Arguit quartò *num.* 59. carens fide, estò baptizatus sit, non est actu pars Ecclesiæ; sed Christus solum est actu caput illorum, qui actu pertinent ad Ecclesiam, vel vt partes, vel vt membra: ergo non est actu caput Infidelis baptizati. Maiorē sic probat Ill. God: omnis pars Ecclesiæ pertinet ad vnitatem Ecclesiæ, & sub Ecclesia, vt vna continetur; cum Ecclesia vna sit; sed Infidelis, quamvis sit baptizatus, non pertinet ad vnitatem Ecclesiæ: ergo non continetur actu sub illa. Probatur minor ex D. Thoma *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæstiunc.* 2. *in corpore*: Nam vnitas Ecclesiæ est triplex. Vna materialis, quæ sumitur à fide per convenientiam in vno tertio credito. Altera formalis, quæ præstatur à charitate per convenientiam in vno Deo super omnia dilecto. Et tandem sumitur tertia à Spiritu Sancto omnia replente, & complente; sed Infidelis, quantumvis sit baptizatus, ad nullam ex his vnitatibus pertinet, cum careat fide, & consequenter charitate, ac proindè Spiritum Sanctum vivificantem non habeat: ergo ad vnitatem Ecclesiæ non pertinet.

22 *Arguit. 5.* Arguit quintò *num.* 60. & procedit argumentum de hæreticis occultis: Christus non est actu caput non pertinentium actu ad Ecclesiam, quæ est Christi corpus; sed hæretici, etiam occulti, actu ad Ecclesiam non pertinent: ergo Christus illorum caput non est. Maior cum consequentia tenet. Minor ostenditur primò ex D. Augustino *tom.* 10. *serm.* 11. *de verbis Domini cap.* 19. illis verbis: *Sed nec ille*

Minorem prob. 1. ex D. August.

dicen-

dicendus est esse in Ecclesia, qui ovibus Christi corporali tantum commixtione ficto corde miscetur; Sanctus enim Spiritus disciplinæ fugiet fictum. Sed hæreticus occultus corporali tantum commixtione, & ficto corde partibus Ecclesiæ coniungitur: ergo intra Ecclesiam non est.

23 *Probat. 2. ex eodem.*

Secundò ex eodem Augustino *lib. de Vnitate Ecclesiæ contra Petilianum, cap. 4.* ibi: *Quicumque de ipso capite à Scripturis Sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia.* Et expressiùs *cap. vltim.* illis verbis: *Tunc enim quisque infructuosus, & non dum à radice præcisus est, cum mala cupiditate, agit quidem illa opera, de quibus dictum est: quoniam, qui talia agunt Regnum Dei non possidebunt; sed cum pro ipsis operibus, etiam veritati, qua apertissimè redarguitur, resistere cœperit, tunc præciditur. Et multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia; & tamen iam non sunt in Ecclesia, alioquim si tunc quisque prædicitur, cum visibiliter excommunicatur: consequens erit, vt tunc rursus inseratur, cum visibiliter communioni restituitur. Quod si ergo fictus accedat, atque adversus veritatem, & Ecclesiam cor iniquissimum gerat, quamvis peragatur in eo illa solemnitas, nunquid reconciliatur? Nunquid inseritur? Absit.* Sentit ergo manifestè Div. Augustinus, hæreticum, & si occultum, ipsa hæresi ab Ecclesia præcidi, & consequenter actu illius partem non esse.

24 *Probat. 3.*

Quartò.

Tertio probatur: nam vera Ecclesia est congregatio verè fidelium; sed hæreticus occultus verè fidelis non est: ergo à actu ad Ecclesiam non pertinet. Quartò: nam forma Ecclesiæ fides est; vel informis, vel formata, vtpotè, sine qua vnitas Ecclesiæ subsistere nequit: ergo carens fide, etsi occultè, sub Ecclesia contineri non potest. Denique probatur: quia non vivens vita supernaturali pars corporis vita supernaturali viventis esse non potest: vndè membrum mortuū pars corporis vivi verè non est, etsi pars talis corporis appareat; sed hæreticus occultus vita supernaturali non vivit, cum primum initium vitæ supernaturalis sit fides: ergo estò exteriùs pars corporis Ecclesiastici appareat, re tamen ipsa pars Ecclesiæ non est; sicut manus mortua non est verè pars corporis humani, etsi pars illius exterius videatur esse.

Quintò.

Denique contra secundam conclusionem arguit *num. 3*: nam ad esse membrum Christi actualiter; & consequenter, vt Christus actu sit alicuius hominis caput, requiritur saltim, quod ipsi vniatur per fidem; sed Damnati nec actu habent fidem, nec illam possunt habere, vt supponitur ex communi Theologorum sententia, eo, quod fides est virtus pertinens tantū ad statum viæ, extra quem Damnati existunt; & insuper, quia sunt incapaces omnis virtuosi affectus, & consequenter piæ affectionis imperantis actum fidei: ergo nec actu, nec in potentia Damnati sunt membra Christi, nec Christus est illorum caput.

25 *Arguit contra 2. concluſ.*

Omnia hæc Ill. Godoy argumenta sine solutione in particulari proposui, quia vnica, & eadem solutione solvuntur; probant enim dumtaxat, Infideles non baptizatos, Hæreticos baptizatos, & Hæreticos occultos, non esse membra Ecclesiæ, & consequenter Christum respectu illorum, vt membrorum Ecclesiæ, non esse actu caput; non verò probant, quod Christus non sit caput illorum, vt membrorum huius mundi visibilis, seu totius vniversitatis creaturarum, quam distinctionem advertimus *numer. 9.* & iuxta illam.

26 *Respondeo ad omnia Ill. Godoy argumenta.*

Ad primum in forma respondeo distinguendo consequens: Christum non esse caput illorum, tanquam membrorum Ecclesiæ concedo consequentiam; tanquam membrorum huius mundi visibilis, seu totius vniversitatis creaturarum nego consequentiam. Ad secundum eadem distinctione distinguo maiorem, & consequens argumenti con facti. Ad tertium distinguo sustumptam, & consequens distinctione data. Ad quartum eadem distinctione distinguo minorem, & consequens. Ad quintum distinguo similiter maiorem, & consequens, ex quo patet probationes minoris nobis non officere, quia illam, nec distinguimus, nec negamus. Denique ad argumentum contra secundam conclusionem distinguo maiorem, & consequens distinctione data.

27 *Respondeo in forma.*

Contra hanc responsionem nihil adducit Ill. Godoy, nec video quid contra ipsam obijci possit. Vndè apparet, disputationem non de re, sed tan-

28 *Disputatio potius est de nomine, quam de re*

tantum esse de nomine. Ratio est: nam Ill. Godoy, vt constat ex ab ipso adductis, solum intendit, Infideles, Hæreticos, & Damnatos, non esse Christi membra, eo, quod non sint membra Ecclesiæ, quod idem est, ac asserere: Christum non esse caput illorum, tanquam membrorum Ecclesiæ, quod nos libentèr fatemur; cæterum hoc non tollit, quod Christus sit actu caput illorum, vt membrorum huius mundi visibilis, aut totius vniversitatis creaturarum, quod est nostrum assertum, & quod negare nequit Ill. Godoy, & liquet ex nostris probationibus.

29 *Noster loquendi modus est proprior.*

Ex his autem loquendi modis, quisnam sit proprior, dubitari poterat? Sed facilis est responsio; scilicèt, quod noster loquendi modus est proprior, & ostenditur primò: nam ad rationem capitis actualis solum requiruntur, & sufficiunt tres suprà enumeratæ conditiones, quæ in Christo respectu omnium reperiuntur, vt manet probatum: ergo asserere, Christum esse actu caput omnium, est proprior loquendi modus. Secundò: quia hoc absolutè negare, est, relegare à Christo magnam excellentiam, nempè, esse caput totius creaturæ. Tertiò denique: quia iuxta modum loquendi Ill. Godoy potiùs inquirere debebat, an omnes homines sint membra Ecclesiæ? quam inquirere, vt in disputatione inquirit: an Christus sit caput omnium hominum? vt doctrinæ illius attendenti manifestè patebit: proprior igitur est noster loquendi modus.

§. IV.

Secunda pars disputationis resolvitur.

30 *Christus, vt Deus, est caput Angelorum.*

CIrca secundum, quod examinandum in hac disputatione proposuimus, duo sunt certa apud Theologos. Primum est: Christum, saltim secundum Divinitatem, esse caput Angelorum. Quod patet ex pluribus Scripturæ testimonijs, in quibus Christus dicitur caput Angelorum, quæ saltem de Christo ratione Divinitatis sunt necessario accipienda. Et ratione etiam ostenditur: nam Christus, vt Deus, habet proprietatem, excessum, & influxum in Angelos; sed hæc tria ad rationem capitis sunt sufficientia: ergo Christus, vt Deus, est Angelorum caput.

31 *Etiam est illorum caput secundù dignitatem, & influxù imperij, & gubernationis.*

Secundum est: Christum, in quantum hominem, esse caput Angelorum secundum dignitatem, & influxum imperij, & exterioris gubernationis. Quod esse fide certum, docet Lorca. Constatque ex Matth. *cap.* 4. vbi dicitur: *Quod Angeli ministrabant ei. Et Psalm.* 8. *Omnia subiecit sub pedibus eius*: ergo Angelos etiam subiecit. Esse autè *ibi* sermonem de Christo, vt homine, constat, ex eo, quod loquitur Psalmista de eo, quem Deus suscitavit à mortuis; Christus autem, non vt Deus, sed vt homo, à mortuis suscitatus est. Ac deniquè *ad Hebræos* 1. dicitur de Angelis, quod sunt administratorij spiritus, in ministerium missi; sed mittuntur à Christo, vt homine: ergo Christus, vt homo, imperat Angelis; & consequentèr est illorum caput secundum dignitatem imperij, & gubernationis.

32 *Pũctus difficultatis.*

Difficultas ergo consistit in eo, an, scilicèt, Christus, in quantum homo, sit caput Angelorum quoad interiorem influxum, & quoad alias conditiones capitis, quas suprà enumeravimus? Seu vt alij proponunt: an Christus, in quantum homo, ita sit caput Angelorum, vt illis meruerit gratiam, & gloriam essentialem? Authores sententiæ negativæ refert Ill. Godoy *num.* 92. eorumque fundamenta proponit *num.* 93. & 94. vltrà hos tamen addendi sunt ex nostris Faber, & Smising *de Deo vno tract.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 10. *num.* 663.

1. *Sentẽtia.*

Authores affirmativæ sententiæ etiam refert Ill. Godoy *num.* 95. vltrà quos addendi sunt ex nostris Felix *cap.* 13. *difficult.* 3. Delgadillo *capit.* 7. *difficult.* 7. *dubio* 6. citat Pitigianum, & Castillo, sed hic tamen asserit, quod Christus sit Angelorum caput secundum dignitatem, & influxum imperij, & exterioris gubernationis, vt clarè constat ex probatione, quam paritate Pontificis adducit *disputat.* 13. *quæst.* 2. *num.* 2. quod ad rem non facit, quia hoc est apud Theologos certum, vt *num.* 31. suppossimus.

33 2. *Sentẽtia.*

34 *Conclusio statuitur.*

Ex his autem opinionibus affirmativam conclusionem statuit Ill. Godoy *num.* 96. scilicèt: (*Christus, in quantum homo, est caput Angelorum, ea ratione, qua dicitur caput Ecclesiæ, licèt non ita perfectè, sicut est hominum ca-*

put) quam probat, & defendit vsque ad *num.* 123. Huic sententiæ adhæreo, ipsamquè, vtpotè, conformiorem Scoto *in 3. dist. 7. quæst. 3. §. secundum dubium*, pro conclusione statuo. Et quia cum Ill. Godoy in opinione convenimus, in ipso eam videndam relinquo, sed vt conformius ad Scoti principia defendatur, videantur Scotistæ pro secunda sententia relati, quin amplius in hoc immoremur.

35 *Christus, vt homo, fuit caput primorum parentum etiã pro statu innocentiæ.*

Ex dictis infero primò: Christum, vt hominem, fuisse caput primorum Parentum, etiam pro statu innocentiæ. Hoc corollarium habet Ill. Godoy *numer.* 124. & illud probat, vltrà quod probatur. Primò ex D. Augustino *in Psalm.* 36. dicente: omnes, qui secuti sunt adventum Christi, & qui præcesserunt, sunt membra Christi. Secundò: primi Parentes pertinebant ad Ecclesiam Iustorum; sed Christus est caput super omnem Ecclesiam: ergo est caput primorum Parentum. Tertiò: nam sequeretur, primos Parentes priùs fuisse membra Diaboli per peccatum, quam membra Christi per gratiam, quod est inconveniens. Quartò: quia Christus fuit prædestinatus ante peccatum primorum Parentum: ergo in illos influxit fidem, & gratiam. Quintò: sicut Christus secundum Vasquium, in Angelos influxit illustrationes, & ità est caput illorum, quare non influxit in primos Parentes aliquas illustrationes, vt ita sit caput illorum?

36 *Christus, vt homo, est caput omnium creaturarũ.*

Secundò infertur: Christum, vt hominem, esse caput creaturarum, quæ sunt infrà homines, seu esse caput omnium creaturarum naturalium. Hoc corollarium non adducit Ill. Godoy est tamen Scoti *in 3. dist. 32. §. 3. patet.* Et probatur primò: nam *ad Coloss.* 1. dicitur Christus primogenitus omnis creaturæ. Secundò: quia D. Hylarius *lib. de Synodis*, refert *ex Concilio Syrniensi*, quod Christus sit caput omnis creaturæ. Tertiò: quia, vt totiès dictũ est, tria sunt de ratione capitis, scilicèt, ordo, perfectio, & influentia; sed Christus, vt homo, hæc tria habet respectu omnium creaturarum naturalium, vt de ordine, & perfectione fatentur omnes, & de influxu constat, ex eo, quod meritoriè influit in ipsas esse, & conservari; nam propter merita Christi Deus fecit, & conservat vniversa: ergo Christus, vt homo, est caput omnium creaturarum naturalium.

37 *Diabolus est aliqua ratione caput omniũ malorum.*

Tertiò infertur: Diabolum esse omnium malorum aliqua ratione caput. Hoc corollarium tradit Ill. Godoy *num.* 125. ex Div. Thoma *in hac quæst. artic.* 7. & sic probat: nam caput alicuius multitudinis contingit dupliciter. Vel secundum interiorem influxum, & exteriorem gubernationẽ, vel tantum secundum exteriorem gubernationem. Diabolus autem, etsi in malos interiorem influxum non habeat; exteriorem autem obtinet gubernationem. Quo circa *Iob. cap.* 41. dicitur: *Ipse est Rex super vniversos filios superbiæ*, quatenus illos inducit, vt avertantur à Deo, qui est finis à Diabolo intentus. Est ergo aliqua ratione malorum omnium Diabolus caput. Vbi notanda sunt duo. Primũ est: nomine *Diaboli* Principem Dæmoniorum intelligi. Secundum est: non requiri, quod omnes malos in singulari ad peccandum inducat, vt illorũ caput quoad gubernationem esse dicatur, sed sufficere, quod vel illos inducat, vel quod ipsi propria sponte se Diaboli imitationi subijciant; vt Div. Thomas notavit *in solutione ad* 2.

38 *Anti-Christus est omnium perditorũ caput.*

Quartò infertur: Anti-Christum etiam esse aliqua ratione omnium perditorum caput. Hoc corollarium adducit etiam Ill. Godoy *num.* 126. ex D. Thoma *in hac 3. part. quæst. 8. art. 8.* & sic probat: quia tria sunt de ratione capitis, ordo, scilicèt, influentia, & perfectio; sed Anti-Christus, etsi ordine non præcedat omnes malos, nec in omnes influentiam sit habiturus, nec interiorem, nec exteriorem, cum peccatores ipsum tempore antecedentes ad peccandum non induxerit; omnes tamen in malitia superabit: vndè super illud 2. *ad Thessalonicenses* 2. *Ostendens se tamquam sit Deus.* Glosa ordinaria sic ait: *Sicut in Christo omnis plenitudo Divinitatis inhabitavit: ita in Anti-Christo omnis malitiæ plenitudo.* Est ergo aliqua ratione Anti-Christus omnium preditorum caput. Quia tamen vnius corporis duo capita esse nequeunt, & Diabolus est omnium malorum caput, notat D. Thom. *in solut. ad* 1. Diabolum, & Anti-Christum, non duo, sed vnum caput esse. Quod intelligendum est, non de vnitate simplicitatis, sed ordinis, quia, scilicèt, Anti-Christus est caput Dæ-

mo-

moni subordinatum. Quod patet: nam Div. Thomas *solutione ad* 2. fatetur, esse Diaboli membrum: ergo non est vnum caput cum Dœmone vnitate simplicitatis.

39 *An Anti-Christus sit Dœmonum caput?*

An autem Anti-Christus, non solum malorum omnium, sed etiam Dœmonum caput dicatur? Dubitant Commentatores. Affirmant aliqui, & aliqui negant; Ill. Godoy verò probabile vtrumque reputat *num.* 129. pro quo (ait) videatur Nazarius *Controversia vnica artic.* 8. Ill. Araujo *in præsenti dubio* 2.

Vtrumque probabile.

40 *Adamus nō est caput omnium, vt peccantium personaliter.*

Denique infertur: Adamum, etsi sit caput omnium descendentiū quoad contractionem originalis peccati; nō tamen est simpliciter caput omnium malorum, vt peccantium personaliter. Hoc corollarium habet etiam Ill. Godoy *num.* 130. eo, quod D. Thom. 2. 2. *quæst.* 163. *artic.* 3. doceat: quod peccatum Adami non excedit omnium peccata in malitia. Et sic probat: nam Adamus suo peccato non intendit homines à Deo avertere, vt peccantes personaliter; quod tamen requirebatur, vt esset malorum caput quoad exteriorem gubernationem, vt peccantium personaliter. In his corollarijs ab Ill. Godoy adductis cum ipso convenimus. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri vbi *disputatio præcedens.*

Mag. Sent.

DISPVTATIO TRIGESIMA.

Qualiter Gratia habitualis comparetur ad Gratiam vnionis?

§. I.

Quæ certa sunt, declarantur.

Num. 1 *Sensus disputationis explicatur.*

TOta huius disputationis difficultas consistit in eo, an, scilicet, gratia habitualis antecesserit gratiam substantialem vnionis, vt physica, vel moralis dispositio illius? Vel an ad gratiam substantialem vnionis consecuta fuerit? Quam difficultatem vniformiter resolvunt Doctor Angelicus, & Magister subtilis, ideòque litigium cum Ill. Godoy non habemus. Quarè aliqua solum, quæ scitu sunt digna, brevitèr, & absquè controversia, declarabimus.

2 *Non præcisè sit, vt dispositio ad vnionē necessitans.*

Et in primis certum, & omninò indubitatum est: gratiam habitualem non fuisse gratia vnionis priorem, tamquam dispositionem prævium necessario illam inducentem, ad modum, quo vltimæ dispositiones ad aliquam formam illam necessario inferunt. Ratio est: nam gratia habitualis Christi est eiusdem rationis cum nostra, vt communis tenet sententia; sed gratia habitualis in nobis non disponit ad vnionem: ergo animam Christi Domini non disposuit ad vnionem hypostaticam, illam necessario inducendo. Patet consequentia: si namquè calor vt octo talitèr ad formam ignis disponit, quod eam necessario infert, in quocumque sit subiecto, necessario prædictam formam inducit: ergo si gratia habitualis in nobis vnionem personalē non infert, nec illā necessario inducit in anima Christi Domini.

3 *Non præcessit, vt mediū necessitatis ad vnionem.*

Secundò certum est apud Theologos: gratiam habitualem non fuisse gratia vnionis priorem, tamquam medium necessitatis ad illam. Ratio est: nam Verbum Divinum potuit de potentia Dei absoluta assumere naturam rationalem absque aliquo habitu supernaturali, vt tenet communis Theologorum sententia; potuit etiā assumere naturam irrationalem, *vt disput.* 18. docuimus; atqui in vtroque casu esset gratia vnionis sine gratia habituali, vt est de se manifestum: ergo gratia habitualis non fuit gratia vnionis prior, tamquam medium necessitatis ad illam.

4 *Gratia habitualis, &*

Tertiò certum est: gratiam habituālem non consequi ad gratiā vnionis consequtione essentiali, hoc est, ra-

vnionis essentialiter non connectuntur.

ratione connexionis essentialis cum illa. Ratio est: quia nequit esse essentialis connexio vnius cum alio, & quod vnum sit sine alio; sed si Verbum Divinum assumeret naturam rationalem absquè aliquo habitu supernaturali, vel naturam irrationalem assumeret (quorum vtrumque esse possibile, diximus *num. anteced.*) esset gratia vnionis absquè gratia habituali: ergo gratia habitualis non consequitur ad gratiam vnionis consequtione essentiali.

5 *Gratia habitualis nõ oritur, efficienter physicè à gratia vnionis.*

Quartò certum est: gratiam habitualem non consequi ad gratiam vnionis efficienter physicè, vera, & propria efficientia. Hoc probat Ill. Godoy *num.* 10. suis nittendo principijs; nos verò Scoti principijs nittendo, sic probamus. Primò: gratia habitualis habet esse per creationem: ergo à solo Deo potest efficienter physicè, vera, & propria efficientia procedere: ergo gratia habitualis non consequitur ad gratiam vnionis efficienter physicè, efficientia vera, & propria. Antecedens suppono cum Scoto *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 4. vers. *Item Augustinus. Et quæst.* 5. §. & vers. *Contra ista. Et alibi.* Secundò: nam eo ipso, quod est gratia, repugnat, quod necessario consequatur naturam alicuius; alioquim non esset gratia; vndè ait Scotus *in* 2. *dist.* 23. §. *Dico igitur: Quantumcumque gratia alicuius naturæ concreetur; semper tamen gratia esset gratia, nec esset naturalis, ita, quod de natura sua, vel consequens naturam necessario*: ergo gratia habitualis non causatur physicè efficienter à gratia vnionis.

6 *Gratia habitualis indivisè à tota Trinitate procedit.*

Denique certum omninò est: gratiam habitualem non ineſſe humanitati ex influxu effectivo speciali Verbi Divini, vt humanitati vniti. Quod patet ex communi Theologorum axiomate, quo asseritur, opera ad extrà esse toti Trinitati communia, indivisèque à tribus personis procedere; sed gratia humanitati infusa est opus Dei ad extrà: ergo indivisè efficienter à tota Trinitate processit, & non à Verbo humanitati vnito specialiter. Et quidem non alia ratione, alia opera, quæ Deus ad extrà producit, à tota Trinitate efficiuntur, nisi quia principia, quibus Deus ad extrà operatur, nempè, Omnipotentia, Intellectus, & Voluntas, sunt communia tribus personis, & indivisa in illis; sed gratia habitualis humanitati infusa procedit efficienter à Verbo, non ratione personalitatis propriæ; hæc namquè operativa non est, sed ratione Omnipotentiæ, alijs personis communis: ergo non procedit efficienter à Verbo aliqua efficientia speciali, quæ non sit communis alijs personis.

§. II.

Duplex conclusio statuitur, & probatur.

HIs positis, in quibus nullum, aut ferè nullum dissidium esse potest, sententias circa præsentem difficultatem refert Ill. Godoy *num.* 12. & *n.* 13. hanc primam conclusionem statuit: *Gratia habitualis non fuit dispositio prævia, nec physica, nec moralis ad gratiam substantialem vnionis.* Quam conclusionem, D. Thomam secutus, probat, & defendit vsquè ad *num.* 73. Hanc eandem conclusionem nos statuimus cum Scoto *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *quantum ad* 2. *articulum principalem*, & ratione illius probatur: quia natura humana personata fuit à Verbo in eo instanti, in quo personari debebat à propria personalitate; atqui ante receptionem cuiuscumque accidentis personatur natura; prius namquè est, naturam compleri in esse substantiali, quam perfici in esse accidentali: ergo nullum accidens fuit dispositio prævia, nec physica, nec moralis ad gratiam substantialem vnionis, & consequenter gratia habitualis, vtpotè, accidens, non fuit talis dispositio. Alias plures rationes in Scoti principijs adducunt Scotistæ, pro quibus videantur Rada *controvers.* 4. *artic.* 6. Faber *disput.* 9. *cap.* 5. & Castillo *disput.* 9. *quæst.* 1. *à num.* 11. Et pro Thomistis videatur Ill. Godoy.

7 *Statuitur* 1 *conclusio.*

Secunda conclusio: *Gratia habitualis in Christo non consequitur ad gratiam vnionis physicè, dimanativè, vt illius propria passio.* Hanc conclusionem statuit Ill. Godoy *numer.* 73. eamque probat, & defendit vsque ad *num.* 141. A nobis tamen, nostris sistendo principijs, facillimè probatur: id, quod ab aliquo dimanat, vt propria illius passio, realiter identificatur cum illo: sed gratia habitualis realiter distinguitur ab humanitate, & ab omni prædicato ex his, quæ in Christo inveniuntur, & ad quę fuit humanitas per assumptionem evecta: ergo gratia habitualis in

8 *2. Conclusio Probatur.*

Christo non consequitur ad gratiam vnionis physicè, dimanativè, vt illius propria passio. Consequentia est legitima. Maior est in Scoti doctrina innegabilis. Minor pro prima parte est notoria, & etiam pro secunda: nam præter humanitatem tria reperiuntur in Christo, scilicèt, vnio hypostatica, subsistentia Verbi, & Divinitas, à quibus omnibus gratia habitualis realitèr distinguitur.

§. III.

Duplex difficultas proponitur, & resolvitur.

9 1. *Difficult.* VLtrà hæc tamen duplicem difficultatem proponit Ill. Godoy *num.* 141. ex quibus prima est: an gratia habitualis sit Christo propriè connaturalis? Pro cuius resolutione duplicem statuit conclusionem. Prima: *Gratia habitualis non est supernaturalis Christo, nec illius humanitati, provt Verbo hypostaticè vnitæ; benè tamen humanitati Christi acceptæ secundum se.* Sic *num.* 143. & triplicem partem conclusionis probat *vsque ad num.* 153. Secunda conclusio est: *Gratia habitualis est aliquomodo connaturalis humanitati, & Christo; non tamen est illis connaturalis simplicitèr, nisi ad summum virtualitèr, & conditionalitèr.* Sic *num.* 153. & conclusionem probat *vsque ad numer.* 162.

10 2. *Difficult.* Secunda difficultas est: an Christus, vt homo, vel humanitas Verbo hypostaticè vnita, sit subiectum connaturale gratiæ? Pro cuius resolutione statuit hanc conclusionem: *Humanitas Verbo vnita non est subiectum proprium connaturale gratiæ habitualis.* Sic Ill. Godoy *num.* 162. vbi simul cum *num. sequent.* conclusionem probat, hancque, & secundam positam *num. anteced.* defendit *à num.* 164. *vsque ad* 188.

11 *Vtraque difficultas resolvitur.* In hac vtraque difficultate, si aliquod potest esse dissidium, est merè de nomine, vt patebit legenti doctrinam ab Ill. Godoy traditam, & nostram sequentem resolutionem. Respondeo igitur ad vtramque difficultatem sub distinctione. Si enim loquamur de Christo Domino, quatenus homo est, gratia habitualis non est Christo propriè connaturalis; nec humanitas Verbo vnita, seu Christus, vt homo, est subiectum connaturale gratiæ habitualis; potest tamen dici, gratiam habitualem esse Christo, vt homini, connaturalem, quatenus debito congruentiæ fuit debita humanitati collatio summæ gratiæ propter hypostaticam vnionem. Primum docuit Ill. Godoy *num.* 143. Secundum asserit *num.* 162. vbi vtrumque optimè probat, & constat ex eo, quod alioquim gratia habitualis non esset gratia, seu indebita. Tertium tenet *numer.* 153. quod ibi ostendit.

12 Si verò loquamur de Christo Domino, quatenus Christus est, gratia habitualis non est supernaturalis Christo, nec illius humanitati, provt Verbo hypostaticè vnitæ. Quod docuit Ill. Godoy *num.* 144. vbi id optimè probat. Eccè quomodo hac distinctione loquendo, triplex conclusio Ill. Godoy suprà assignata est in rei veritate doctrina nostra, & ratio totius est: quia nos solum negamus, ab humanitate, sivè secundum se accepta, sivè provt vnita Verbo Divino, gratiam habitualem dimanare, sicut dimanat passio ab essentia, aut procedere, sicut effectus procedit à causa, ac per consequens gratia habitualis nequit in hoc sensu esse, aut dici connaturalis Christo Domino.

§. VLtimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

13 1. *Corollarium.* EX dictis in discursu disputationis infert primò Ill. Godoy *numer.* 188: nec de potentia absoluta potuisse gratiam habitualem esse physicam dispositionem ad vnionem humanitatis cum Verbo. Hoc corollarium est verum, illudquè probat Ill. Godoy *cit*: nam inter dispositionem physicam, & formam, petitur connexio intrinseca, qua dispositio inferat, & causet formam, & hæc à dispositione dependeat intrinsicè, vt à causa materiali dispositiva; sed Deus non potest efficere, quod gratia habitualis de se non connexa intrinsicè cum vnione, nec ipsam ab intrinseco inferens, intrinsicè connectatur cum illa, nec quod vnio de se non dependens, dependentia intrinseca à gratia, intrinsicè dependeat ab illa; non enim potest rerum essentias variare: ergo gratia habitualis non potuit de potentia absoluta esse dispositio physica ad vnionem hypostaticam.

Probatur.

14 2. *Corollarium.* Colligit secundò *num.* 189. in sententia extrà Scholam Div. Thomæ communi, asserente: humanitatem in

Probat Ill. Godoy.

Christo existere per existentiam propriam creatam, potuisse gratiam habitualem moraliter ad vnionem disponere. Quod probat: nam licèt accidentia, vt existant, & inhæreant subiecto, essentialiter in illo existentiam præsupponant; non tamen supponunt essentialiter subsistentiam, nec est vndè hæc præsuppositio, & subordinatio essentialis ad subsistentiam probetur, maxime, cum plures valdè probabiliter doceant, posse de potentia absoluta naturam substantialem sine subsistentia existere, sicut accidens sine inhærentia, quo in casu accidentibus subesset, pati, & operari posse, sicut accidentia à subiecto separata, patiuntur, & agunt, vt constat in accidentibus panis post conversionem: ergo humanitas, provt concipitur existens pro priori ad vnionem cum Verbo, potuit de potentia absoluta gratiam habitualem recipere; sed à gratia, vt pro illo priori existente, potuit Dei voluntas moveri, vt vnionem humanitatis cum Verbo decerneret, illamque velle humanitati ex complacentia in sanctitate illi à gratia habituali præstita: ergo potuit de potentia absoluta gratia habitualis præviè moraliter ad vnionem personalem disponere in sententia asserente, non per existentiam Verbi, sed per propriam existentiam existere.

15 Falsitas corollarij ostenditur.

Hoc tamen corollarium falsum est, & falsam includit doctrinam. Falsum namquè êst antecedens, cuius falsitas evidenter ostendit ratio Scoti, quam *num.* 7. proposuimus; nam subsistentia pertinet ad esse substantiale naturæ, & consequenter semper, & in omni eventu debet natura prius perfici per subsistentiam, seu per illam terminari, quam quod perficiatur per aliquod accidens. Et hæc est ratio, quare accidentia, vt inexistant, & inhæreant subiecto, essentialiter in illo subsistentiam præsupponunt.

16 Amplius ostenditur.

Sed vt magis appareat falsitas corollarij prædicti, oppositum corollario Ill. Godoy probatur: nam productio vnionis humanitatis ad Verbum, succedit productioni propriæ subsistentiæ; sed si humanitas propria subsistentia subsisteret, inter productionem humanitatis, & productionem, vel resultantiam propriæ subsistentiæ, nihil posset intelligi medium subsequens productionem humanitatis, & natura, & causalitate productionem, vel resultantiam propriæ subsistentiæ antecedens: ergo inter actionem, qua humanitas fuit formata, & actionem productivam vnionis ad Verbum, non potest dispositio media intelligi, subsequens primam actionem, & secundam natura, & causalitate antecedens; & consequenter non potuit de potentia absoluta gratia habitualis antecedenter moraliter ad vnionem humanitatis cum Verbo concurrere.

17 Confirmat. ad homin contra Ill. Godoy.

Confirmatur ad hominem contra Ill. Godoy: quia namquè subsistentia Verbi gerit vices subsistentiæ creatæ, & inter hanc, & propriam naturam dispositio prævia non datur; infert Ill. Godoy cum D. Thoma *num.* 30. & 31. inter subsistentiam Verbi, & humanitatem, nullam dispositionem mediare; sed inter subsistentiam propriam humanitatis, si adesset, nec mediaret de facto, nec posset de potentia absoluta aliqua dispositio mediare: ergo inter subsistentiam Verbi, & humanitatem, non solum non mediavit dispositio de facto, verum etiam non potuit de potentia absoluta dispositio prævia mediare; & consequenter non potuit adhuc de potentia absoluta, gratia habitualis præviè moraliter disponere ad vnionem humanitatis cum Verbo.

18 Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *numer.* 194. concessa maiori distinguendo minorem: producta humanitate modo connaturali concedit minorem; producta humanitate modo præternaturali possibili de potentia absoluta negat minorem, & distinguit consequens: loquendo de actione, qua de facto fuit vnio producta concedit consequentiam; loquendo de actione, qua potuit de potentia absoluta produci negat consequentiam. Itaquè de humanitate cum propria subsistentia comparata, possumus duplicitèr loqui: primò de illa, vt connaturali modo producta, & sic nec mediaret, nec mediare posset dispositio inter humanitatem, & propriam subsistentiam; cum enim in doctrina Thomistica subsistentia prior sit existentia, naturali ordine attento; fit, vt producta humanitate modo sibi connaturali, non supponatur existens ad subsistentiam propriam, sed post illã, & quia accidentia, vt inexistant essentialiter supponunt existentiam; fit

con-

consequens, vt inter humanitatem, vt connaturali modo productam, & subsistentiam, nec mediet, nec mediare posset de potentia absoluta aliqua prævia dispositio; quia tamen ordo prioritatis subsistentiæ ad existentiam, non essentialis, sed connaturalis est, potest inverti de potentia absoluta, & produci humanitas, & quævis alia natura substantialis priùs existens, quã propria subsistentia subsistens, & pro illo priori alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa propriam subsistentiam producat, quo in casu inter illam, & subsistentiam propriam moralis dispositio intercederet.

Et quia subsistentia Verbi potest loco subsistentiæ propriæ succedere, provt in casu illo propriã terminantis naturam; fit consequens, vt possit de potentia absoluta inter productionem vnionis humanitatis cum subsistentia Verbi, & productionem humanitatis, moralis dispositio intercedere, vt posterior natura actione producente humanitatem, & vt prior natura, actione causante vnionem: quia tamen de facto subsistentia Verbi successit loco subsistentiæ propriæ, vt terminaturæ humanitatem connaturali modo productam; fit consequens, vt dispositio media non intercesserit, nec inter illam, vt sic vnitam, & humanitatem, potuit etiam de potentia absoluta, dispositio mediare. Et ex his (concludit Ill. Godoy) ad confirmationem constat solutio.

19 *Reijcitur 1. solutio Ill. Godoy.*

Sed ommissis omnibus, quæ in solutione adducit Ill. Godoy; sunt namquè omninò falsa in nostra doctrina; reijcitur primò solutio illius: data natura substantiali priùs existente, quam subsistente (quod in nostra opinione semper est verum) nequit natura substantialis existens pro illo priori ad subsistentiam, alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa subsistentiã producat: ergo ruit illius solutio. Probatur antecedens: priùs essentialitèr est, naturam in esse substantiali compleri, quam perfici in esse accidentali; sed subsistentia pertinet ad esse substantiale naturæ: ergo priùs essentialitèr est, naturam esse subsistentem, quã perfici per quodcumque accidens: ergo data natura substantiali priùs existente, quam subsistente, nequit natura substantialis existens pro illo priori ad subsistentiam, alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa subsistentiam producat. Omnia sunt vera, si vera est maior.

20 *Maior probatur 1.*

Maior autem probatur. Primò: priùs essentialitèr est, esse substantiale, quam esse accidentale: ergo priùs essentialitèr est, naturam in esse substantiali compleri, quam perfici in esse accidentali. Antecedens est certum; nam priùs essentialitèr est subiectum, quam subiectatum; sed esse substantiale est subiectum; esse verò accidentale subiectatum: ergo priùs essentialitèr est esse substantiale, quam esse accidentale. Consequentia prima probatur: priùs essentialitèr est per te esse substantiale, quam esse accidentale: ergo priùs essentialitèr est id, quod pertinet ad esse substantiale, quam id, quod pertinet ad esse accidentale. At qui naturam in esse substantiali compleri, pertinet ad esse substantiale, & perfici in esse accidentali, pertinet ad esse accidentale: ergo priùs essentialitèr est, naturam in esse substantiali compleri, quam perfici in esse accidentali. Probatur secundò dicta maior: ideò priùs essentialitèr est, naturã in esse existentiali compleri, quam perfici in esse accidentali, quia existẽtia pertinet ad esse substantiale naturæ; sed etiam subsistentia pertinet ad esse substantiale naturæ: ergo priùs essentialitèr est, naturam in esse substantiali compleri, quam perfici in esse accidentali.

Secundò.

21 *Reijcitur 2. ad homin. contra Ill. Godoy.*

Reijcitur secundò prædicta solutio ad hominem contra Ill. Godoy: quod natura substantialis connaturalitèr, vel de potentia Dei absoluta (vt loquitur ipse in solutione) fit priùs existens, quam subsistens, non tollit essentialem prioritatem subsistentiæ respectivè ad accidentia: ergo nulla est illius solutio. Probatur antecedens: quod natura substantialis connaturalitèr fit priùs subsistens, quam existens, vt tenet Ill. Godoy, non tollit essentialem prioritatem existentiæ respectivè ad accidentia: ergo paritèr: quod natura substantialis connaturalitèr, vel de potentia Dei absoluta, fit priùs existens, quam subsistens, non tollit essentialem prioritatem subsistentiæ respectivè ad accidentia. Antecedens est Ill. Godoy in solutione. Consequentia certa videtur paritate rationis, & vltrà ostenditur sequenti impugnatione.

Reij-

22 *Reijcitur 3. etiam ad hominem.*

Reijcitur tertiò allata solutio ad hominem etiam contra ipsum: ratio, qua Ill. Godoy probat, inter naturam subsantialem, & subsistentiam posse moralem dispositionem intercedere, probat etiam, posse intercedere moralem dispositionem inter naturam subsantialem, & existentiam; sed hoc est contra Ill. Godoy in solutione: ergo etiam illud. Probatur maior: ratio, qua ipse probat, inter naturam subsantialem, & subsistentiam posse moralem dispositionem intercedere, est, quia potest produci natura subsantialis priùs existens, quam subsistens, & pro illo priori alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa subsistentiam producat; atqui hæc ratio probat etiam, posse intercedere moralem dispositionem inter naturam subsantialem, & existentiam: ergo ratio, qua probat, inter naturam subsantialem, & subsistentiam posse moralem dispositionem intercedere, probat etiam, posse intercedere dispositionem moralem inter naturam subsantialem, & existentiam. Probatur minor: potest produci, imò de facto iuxtà Ill. Godoy producitur natura subsantialis priùs subsistens, quã existens: ergo pro illo priori poterit natura subsantialis alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa existentiam producat: ergo ratio illa probat etiam, posse intercedere moralem dispositionem inter naturam subsantialem, & existentiam. Antecedens cũ secunda consequentia tenet. Prima verò probatur: prioritas illa naturæ subsantialis existentis respectivè ad subsistentiam sufficit, vt natura subsantialis possit alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa subsistentiam producat; sed natura subsantialis priùs subsistens, quam existens, gaudet eadem prioritate respectivè ad existentiam: ergo pro illo priori poterit natura subsantialis alicui accidenti subesse, intuitu cuius Deus in illa existentiam producat.

23 *Reijcitur 4. ex D. Thom.*

Reijcitur quartò, doctrina D. Thomæ vtendo natura subsantialis habet ordinem immediatum ad subsantiale suppositum, sicut materia prima ad formam subsantialem; sed propter habitudinem immediatam, quam habet materia prima ad formam subsãtialem, nullam admittit, nec admittere potest, dispositionem ad subsantialem formam, quantum ad primum gradum essendi, quem præstat illi forma: ergo eadem ratione natura subsantialis nullam admittit, nec admittere potest, dispositionem accidentariam ad vnionem cum supposito subsantiali. Consequentia est legitima. Maior est certa, & eam de facto concedit Ill. Godoy in solutione, & absolutè concessam habet *num.* 27. Minor verò est D. Thomæ 1. *part. quæst.* 76. *artic.* 6. *ad* 1. *Et* 2. *contra Gentes, cap.* 71. eamquè expræssè habet Ill. Godoy *num.* 27. his verbis: *Vt materia vniatur formæ secundum gradum communem, dispositione prævia non indiget, quia ad formam secundum illum gradum comparatur immediatè: & ratio est clara; si namquè intèr extrema est habitudo, & comparatio immediata, non possunt medio indigere; aliàs cum illo medio esset immediata comparatio, non autem extremorum inter se.*

24 *Reijcitur 5. doctrina generali Thomistar.*

Reijcitur deniquè doctrina generali Thomistarum: habitus est essentialitèr principium operandi: ergo essentialitèr est perfectio illius, cui competit operari: ergo essentialitèr supponit illud, cui convenit operari. Atqui operari competit supposito: ergo habitus essentialitèr supponit supposito. Tunc sic; sed gratia habitualis est habitus: ergo supponit essentialitèr suppositum: ergo nequit esse gratia habitualis prævia dispositio moralis ad vnionem humanitatis cum Verbo, & consequentèr nec aliud quodlibet accidens: ruit ergo solutio Ill. Godoy. Antecedens cum vtraque consequentia est manifestum. Prima sustumpta est doctrina generalis Thomistarum asserentium: actiones esse suppositorum. Cætera verò, quæ secuntur, vera apparent.

25 *3. Corollarium.*

Tertiò colligit Ill. Godoy *num.* 200: vnione humanitatis ad Verbum facta, vt modo facta est, non posse de potentia absoluta gratiam habitualem prævièad illam disponere. In Thomistarum principijs; potuisse tamen alitèr vnionem fieri, & gratia habitualis moralitèr ad illam disponere. Hoc corollarium statuit Ill. Godoy in principijs Thomistarum. Videant ipsi, & si locus est ad littem, littigent ipsi, & provt facit ad nostrum intentum, hæc de ista disputatione, & tractatu sufficiant applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 2. §. 3. *Mag. Sent.*

TRAC-

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI in Communi.

DISPVTATIO TRIGESIMA PRIMA.

An intellectus Christi creatus intellexerit cognitione increata, an sola creata?

§. I.

Statuitur prima conclusio.

Num. 1 QVadruplicem conclusionem statuit in hac disputatione Ill. Godoy, & licèt (tertia, & quarta excepta) conveniamus in duobus, adhuc in multis, quæ circà illa tradit, dissentimus valdè. Vndè supposito, quod vt fide indubitatum, supponit Ill. Godoy *num.* 1 scilicèt, Christum habuisse intellectum creatum, quod à nullo concedente, esse verum hominem, potest negari, eo, quod intellectus sit proprietas naturæ intellectualis, ac proindè competens omni pollenti intellectuali natura, qualis est humanitas Christi; ordine ab Ill. Godoy servato, conclusiones statuemus.

2 1. *Conclusio* Prima conclusio: *Intellectus Christi creatus de facto non vidit Divinam Essentiam per visionem increatam, & consequenter Sapientia increata sapiens non fuit.* Ita communiter Theologi, quorum aliqui adeò certam illam existimant, vt oppositam censeant hæreticam, alij solum temerariam, alij erroneam, aut errori proximam, quibus magis assentior cum Ill. God. *num.* 5.

3 *Probat illā Ill. Godoy.* Hanc conclusionem, reiectis aliquorum probationibus, illam probat Ill. Godoy *numer.* 18: si namquè intellectus Christi creatus de facto intelligeret per increatam intellectionem, etiam voluntas Christi creata vellet de facto volitione Divina, necessaria, & libera: consequens est falsum: ergo intellectus Christi creatus non intelligit de facto increata intellectione. Patet sequella: nam si intellectus Christi intelligit increata intellectione, non est, quia illam producat; hoc enim omninò implicatorium est, sed quia producit vnionem sui cum Divina intellectione. Sed, hoc concesso, non est, cur non efficiat voluntas Christi creata vnionem sui cum Divina volitione, provt necessaria, & provt libera: nec est, cur, si primum sufficit ad intelligendum intellectione increata, secundum non sufficiat, vt voluntas constituatur volens volitione Divina, libera, & necessaria: ergo si intellectus Christi creatus intelligit de facto per increatā intellectionē, etiam voluntas creata Christi de facto constituetur volens volitione Divina, provt necessaria, & provt libera. Quod autem hoc falsū sit, constat primo: quia à nemine assertum est, ad minus, quem ego (ait Ill. Godoy) viderim. Secundò: quia aliàs Christus per actus liberos increatos nos redemisset, & pro hominibus satisfeciset, quod hucusquè inauditum est. Et quod sequatur, patet: nam si per actum liberum Charitatis creatum meruit, & satisfecit, cur non meruisset per actum liberum increatum

di-

dilectionis, si semel per illũ redderetur liberè volens, & liberè amans Deum?

4 *Prædictum argum. non urget.*

Hoc tamen argumentum non urget, præsertim in opinione Ill. Godoy: nam qui semel asserit, quod intellectus Christi creatus de facto intelligit per increatam intellectionem, etiam concedet, quod voluntas Christi creata vellit de facto volitione Divina, ob rationem ab Ill. Godoy adductam, quim ex hoc aliquod sequatur inconveniens. Vndè in forma potest responderi, concesso antecedenti cum consequentia, negando consequens, & ommissa prima probatione, quæ vim non facit, negando secundam; falsa omninò est in doctrina Ill. Godoy; nam *num.* 172. asserit, quod quãvis humanitas Christi intellexisset per intellectionem Divinam, etiam intellexisset per intellectionem creatam, ex quo necessario sequitur, quod quamvis voluntas humana Christi voluisset per volitionem Divinam, voluisset etiam per volitionem creatam, & consequentèr per actus liberos creatos nos redemisset, & pro omnibus satisfeciisset. Ad tertiam respondeo negando suppositum, cuius falsitas apparet in ipsius doctrina; nam voluntas Christi creata per Divinam dilectionem volens, non amaret liberè Deum, sicut Deus iuxtà Ill. Godoy liberè se non amat.

5 *Suadetur conclusio 1. paritate.*

Vndè, hoc argumento reiecto, suadenda est nostra conclusio. Primò paritate: humanitas Christi Domini non est Sancta sanctitate increata: ergo intellectus Christi creatus non est intelligens intellectione increata. Antecedens in nostra doctrina est certum, & latè propugnatum manet *disput.* 21. Consequentia verò constabit ex dicendis §. 3. vbi hac paritate probabimus, conclusionem suprà positam in doctrina Ill. Godoy substineri non posse. Pro nunc autem probatur brevitèr: non magis pugnat, humanitatẽ Christi esse Sanctam sanctitate increata, ac intellectum Christi creatum esse intelligentem intellectione increata: sed humanitas Christi non est Sancta sanctitate increata: ergo intellectus Christi creatus non est intelligens intellectione increata. Minor cum consequentia tenet. Maior verò ita est certa, vt in opinione Ill. Godoy cum repugnantia intellectus Christi creati ad intelligendum intellectione increata, compatitur de facto, humanitatem Christi esse Sanctam sanctitate increata.

6 *Probat. 2. ratione.*

Probatur secundò conclusio ratione: intellectio increata nequit præstare suum effectum formalem intellectui creato Christi Domini: ergo intellectus Christi creatus non intellexit intellectione increata. Probatur antecedens: effectus formalis intellectionis cuiuscumque est reddere intellectum formalitèr intelligentem; sed intellectio increata nequit reddere intellectum Christi creatum formalitèr intelligentem: ergo intellectio increata nequit præstare suum effectum formalem intellectui creato Christi Domini. Probatur minor: reddere intellectum formalitèr intelligentem est effectus formalis præstitus ab intellectione *per modum formæ*, vt distinguitur ab effectu, præstito à forma *per modum termini*; sed intellectio increata nequit *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, præstare intellectui Christi creato effectum formalem intelligendi: ergo intellectio increata nequit reddere intellectũ Christi creatum formalitèr intelligentem. Probatur minor: omnis effectus formalis præstitus à forma *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, exigit necessariò, vel physicam informationem, vel realem identitatem cum subiecto; sed vtrumque repugnat intellectioni increatæ respectu intellectus Christi creati: ergo intellectio increata nequit *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, præstare intellectui Christi creato effectum formalem intelligendi. Minor cum consequentia tenet. Maior autem patet inductione per omnes formas, sivè creatas, sivè Divinas, quæ suum effectum formalem præstent *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*.

7 *Probat. 3.*

Probatur tertiò conclusio alia ratione: nam beatitudo formalis, & idem de quocumque actu cognitionis dicendum, est vita, qua vivit Beatus, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum.* Ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna*, & alibi passim; sed non potest intellectus Christi creatus vivere visione, aut cognitione increata, *vt sequenti conclusione* monstrabimus: ergo non bea-

tur

tur de facto beatitudine increata, nec per increatam Dei cognitionem intelligit.

8 *Corollariũ ex dictis.*

Ex qua ratione colligo cum Ill. Godoy *num.* 17: contrariam sententiam, non solum temerariam esse, vtpotè, pugnantem cum communi Patrum, & Doctorum consensu, verum etiam erroneam; aut saltim errori proximam. Quod probo: nam propositio erronea ea est, quę opponitur conclusioni per evidentem consequentiam deductæ, ex vna de fide, & ex altera, aut de fide, aut ratione naturali evidenti. Proxima verò errori illa est, quæ opponitur conclusioni deductæ, ex vna præmissa de fide, & ex altera præmissa efficaci argumento, & quod non habet facilem solutionem monstrabili; sed conclusio nostra deducitur ex maiori de fide, & minori, aut evidenter monstrabili, aut saltim argumento efficacissimo, & quod non potest facilè solvi: ergo sententia illi opposita, vel est erronea, vel saltim errori proxima.

§. II.

Ab inconvenienti probatur conclusio, & ostenditur contra Ill. Godoy, quod si Christus intellexisset intellectione increata, Deum de facto comprehendisset.

9 *Probat. 4. conclusio ab inconveniẽti.*

PRobatur quartò conclusio ab inconvenienti: si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectus Christi creatus Deum de facto comprehendisset; sed hoc est falsum: ergo intellectus Christi creatus non intellexit intellectione increata. Consequentia est legitima. Minor est vnanimis omnium Theologorum consensus, & paucis exceptis, est de fide certa. Maior autem, in qua vnicè potest esse difficultas, probatur: si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectus Christi creatus videret omnia obiecta à Deo visa, tàm intra, quàm extra Deum: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectus Christi creatus Deũ de facto comprehendisset. Consequentia est legitima apud Ill. Godoy, vt *disput.* 34. videbimus. Antecedens probatur: forma subiecto vnita dat illi omne, quod habet formaliter; sed intellectio increata est repræsentatio formaliter Dei, & omnis cognoscibilis: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectus Christi creatus videret omnia obiecta à Deo visa, tàm intra, quàm extra Deum.

10 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 12. dicendo: hoc argumentum esse futile omninò, quod manifestare ostendit instantia Divinæ Essentiæ vnita intellectibus Beatorum per modum speciei intelligibilis; nam Divina Essentia, vt species, est repræsentatio comprehensiva Dei, & omnis obiecti cognoscibilis; & tamen mentibus Beatorum vnità non repræsentat illis omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, sed tantum quidditativè: ergo Divina cognitio, etsi omne cognoscibile repræsentet, Deumque comprehensivè, poterit vnita intellectui animæ Christi non præbere illi omnium repræsentationem, nec omne obiectum intelligentem constituere, sed tantum aliqua obiecta, iuxtà proportionem luminis, eiusque capacitatem. Nec vrget probatio sequelæ: nam maior in illius probationem assumpta, solum est vera respectu subiecti capacis, non autem quando subiectum est incapax, qualiter in præsenti contingit.

11 *Retorquetur 1. instantia ad hom. contra Ill. Godoy.*

Hæc tamen solutio insufficiens est, & potius instantia, quam argumentum, est omninò futilis, quod apparebit sequentibus impugnationibus. Impugnatur itaquè primò: inter Essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis, & Essentiam Divinam per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, non repræsentet illis omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, & semel vnita per modum intellectionis, illis repræsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum: ergo nulla est instantia ab Ill. Godoy facta. Probatur antecedens: inter Essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis, & Essentiam Divinam per modũ intellectionis, est sufficiens differentia, vt Essentia Divina vniatur mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, quin illis vniatur, nec possit vniri per modum intellectionis: ergo

inter

inter Essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis, & Essentiam Divinam per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, non repræsentet illis omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, & semel vnita per modum intellectionis, illis repræsentet omne obiectum cognoscibile, & Deum comprehensivè. Antecedens est Ill. Godoy *n.* 29. & 96.

12 *Probatur cõsequentia*

Consequentia probatur: hoc ipso, quod inter Essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis, & Essentiam Divinam per modum intellectionis, sit sufficiens differentia, vt Essentia Divina vniatur mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, quim illis vniatur, nec possit vniri per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, non repræsentet illis omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, & semel vnita per modum intellectionis, illis repræsentet omne obiectum cognoscibile, & Deum comprehensivè; atqui per te inter Essentiam Divinam, per modum speciei intelligibilis, & Essentiam Divinam per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt Essentia Divina vniatur mentibus Beatorũ per modũ speciei intelligibilis, quim illis vniatur, nec possit vniri per modum intellectionis: ergo, &c.

Probatur maior.

Probatur maior: hoc ipso, quod inter rationem hypostasis, & rationem *ad*, & rationem Verbi, sit sufficiens differentia, vt personalitas Verbi Divini vniatur humanitati Christi sub conceptu hypostasis, illam personatam constituens, quim humanitati vniatur, nec possit vniri sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, est sufficiens differentia, vt semel vnita sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, constituat humanitatem Christi realitèr relatam ad Patrem Æternum, & dictam vt Verbum: ergo hoc ipso, quod inter Essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis, & per modum intellectionis, sit sufficiens differentia, vt Essentia Divina vniatur mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, quin illis vniatur, nec possit vniri per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, non repræsentet illis omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, & semel vnita per modum intellectionis illis repræsentet omne obiectum, cognoscibile, & Deum comprehensivè.

13 *Probatur cõsequentia*

Probatur consequentia: ideò hoc ipso, quod inter rationem hypostasis, & rationem *ad*, & rationem Verbi, sit sufficiens differentia, vt personalitas Verbi Divini vniatur humanitati Christi sub conceptu hypostasis, illam personatam constituens, quim humanitati vniatur nec possit vniri sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, est sufficiens differentia, vt semel vnita sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, constituat humanitatem Christi realitèr relatam ad Patrem Æternum, & dictam vt Verbum, quia effectus formalis hypostasis sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, est constituere subiectum realitèr relatum, & dictum vt Verbum; atqui effectus formalis Essentiæ Divinæ per modum intellectionis est repræsentare omne obiectum intelligibile, & comprehensivè Deũ: ergo, &c.

14 *Retorq. 2. ad homin. cõtra ipsũ.*

Impugnatur secundò solutio Ill. Godoy: stat, quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, & quod vnita per modum intellectionis repræsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum: ergo nulla est instantia Ill. Godoy. Probatur antecedens: stat, quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non constituat aliquam naturam, & quod vnita per modum intellectionis, constituere debeat vnam naturam: ergo paritèr. Antecedens est Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 17. *num.* 22. vbi pro se adducit D. Thomam 3. *contra Gentes, cap.* 51. vbi de Divina Essentia sic habet: *Nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale; sequeretur enim, quod simul cum aliquo vnita constitueret vnam naturam, quod esse non potest; cum Divina Essentia in se perfecta sit in sui natura; species autem intelligibilis vnita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsam ad intelligendum, quod perfectioni Divinæ Essentiæ non repugnat.* Consequentia est paritate notoria; & pro secunda parte probatur: non stat, quod Essen-

tia

tia Divina, vnita per modum intellectionis, constituere debeat vnam naturam, & quod vnita intellectui creato non sit actus naturę creatę secundum esse naturale; sed non stat, quod Essentia Divina, vnita per modum intellectionis, sit actus naturæ creatæ secundum esse naturale, quin repræsentet omne obiectum intelligibile, & comprehensivè Deum: ergo non stat, quod Essentia Divina per modum intellectionis non repræsentet omne obiectum intelligibile, & comprehensivè Deum: Totum est Ill. God. *n.* 45.

15 *Retorq. 3. ad homin. contra Ill. Godoy.*

Impugnatur tertiò: quod Essentia Divina, vnitá per modum speciei intelligibilis, non repręsentet omne obiectum intelligibile, nec comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis, non repręsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum: ergo nulla est instantia Ill. Godoy. Probatur antecedens, paritatibus ab Ill. Godoy, & Thomistis concessis. Prima est: quod Essentia Divina per modum speciei intelligibilis sit compartialis causa cum intellectu concurrens ad intellectionem, non probat, quod vnita per modum intellectionis sit talis concausa: ergo quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum intelligibile, nec comprehensivè Deū, non probat, quod vnita per modum intellectionis non representet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum. Consequentia est paritate certa. Antecedens pro secunda parte est manifestum. Pro prima autem est Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 17. *num.* 21. *propè finem*, dicentis: *Species autem non dat intellectui vires, nec virtutem, aut præcontinentiam intellectionis, sed hæc præcontinentia supposita, simul cum intellectu ad intellectionem concurrit per modum principij cum intellectu ex parte obiecti concurrentis, & intellectum per modum compartialis causæ ad intellectionem iuvantis; & ideò vnionem per modum formæ physicè informantis non petit; & consequentèr Divinæ Essentiæ munus speciei, & vnio cum intellectu per modum speciei impressæ non repugnat.* Item: idem habet *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 3. *num.* 35. & 1. 2. *disput.* 3. *num.* 32.

1. *Paritas.*

16 2. *Paritas.*

Secunda paritas est: quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, efficienter concurrat ad intellectionem, vt tenet Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 17. *num.* 21. *in principio*, de omni specie, sivè accidentali, sivè substantiali, sivè creata, sivè increata; non probat, quod Essentia Divina, vnita per modum intellectionis, efficienter concurrat ad intelligendum: ergo idem, quod anteà. Tertia paritas est: quod Essentia Divina per modum speciei intelligibilis ad sui vnionem non petat physicam informationem, nec realem identitatē, vt tenet Ill. Godoy, tum *tom. disput. & num. citat. in fine*; tum *in præsenti num.* 96. & 97. non probat, quod Essentia Divina per modū intellectionis non petat ad sui vnionem, vel physicam informationem, vel realem identitatem, vt ipse habet *num.* 62: ergo idem, quod priùs.

Tertia.

Quarta paritas est: quod Essentia Divina, vnita intellectui per modum speciei intelligibilis, non constituat aliquam naturam, vt habet Ill. Godoy *citat. à nobis num.* 15. non probat; quod Essentia Divina, vnita intellectui per modum intellectionis, non constituat vnam naturam, vt docet ipse *citat*: ergo similitèr. Quinta paritas est: quod Essentia Divina per modum speciei intelligibilis non vniatur, vt forma, vt habet Ill. Godoy *locis citatis*; non probat, quod per modum intellectionis, non vniatur, vt forma, vt tenet *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 17. *num.* 3. & 4: ergo paritèr. Sexta paritas est: quod Essentia Divina per modum speciei intelligibilis vniatur de facto mentibus Beatorum, vt tenet Ill. Godoy *in solutione, & locis citat.* non probat; quod per modum intellectionis de facto vniatur illis; cum adhuc nec de potentia Dei absoluta possit sic illis vniri, vt tenet *in præsenti, alijsque in locis*: ergo idem, quod priùs.

17 *Quarta.*

Quinta.

Sexta.

Septima paritas est: quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerat vices speciei impressæ creatæ, vt tenet Ill. Godoy *citat. à nobis num.* 15. non probat, quod Essentia Divina, vnita mentibus Bearorum per modum intellectionis, gerat vices intellectionis creatæ: ergo paritèr: quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum intelligibile, nec comprehensivè Deum, non probat, quod vnita

18 *7. Paritas.*

per modum intellectionis non repręsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum. Antecedens pro secunda parte est certum in doctrina Ill. Godoy: nam si Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis, gereret vices intellectionis creatæ, dato, quod intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, non intelligeret per creatam intellectionem, cuius oppositum habet Ill. Godoy *in præsenti num.* 172. & ratio à paritate est manifesta; quia enim Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerit vices speciei impressæ creatæ, intellectus Beati non producit intellectionem media specie impressa creata. Deindè certum est antecedens in omnium opinione: nā quia subsistentia Verbi Divini (& idē est iuxtà Ill. Godoy de Divina existentia) supplet vices subsistentiæ creatæ in humanitate Christi, humanitas Christi non subsistit per creatam subsistentiam: verum igitur est antecedēs pro secunda parte, scilicèt, quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis, non gerat vices intellectionis creatæ.

Antecedens est certum in opinione Ill. Godoy, & in omni sententia.

19 *Probat. 1. consequētia*

Consequentia verò paritate constat, & probatur. Primò: si Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis, gereret vices intellectionis creatæ, sicut Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerit vices speciei impressæ creatæ; ex eo, quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, probaretur, quod vnita per modum intellectionis non repræsentaret omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum; atqui iuxta concessa, quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerat vices speciei impressę creatę, non probat, quod Essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modū intellectionis, gerat vices intellectionis creatæ: ergo quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum intelligibile, nec comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum. Consequentia tenet. Minor est concessa. Maior autem patet: nam tunc eadem esset ratio de Essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis, ac de Essentia Divina vnita per modum intellectionis.

20 *Probat. 2.*

Probatur secundò consequentia: quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerat vices speciei impressæ creatæ, probat, quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum: ergo quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modū intellectionis, non gerat vices intellectionis creatæ, non probat, quod Essentia Divina, vnita per modum intellectionis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum; atqui Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modū speciei intelligibilis, gerit vices speciei impressæ creatæ; vnita verò per modum intellectionis, non gerit vices intellectionis creatæ: ergo quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repręsentet omne obiectum intelligibile, nec comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum. Consequentia cum sumpta tenet.

21 *Probatur antecedens.*

Antecedens verò probatur: quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerat vices speciei impressæ creatæ, probat, quod Essentia Divina, per modum speciei intelligibilis vnita, faciat, quod faceret species impressa creata; (si esset) sed species impressa creata (si esset) non repręsentaret omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum: ergo quod Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis, gerat vices speciei impressæ creatæ, probat, quod Essentia Divina, vnita per modum speciei intelligibilis, non repræsentet omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum. Consequentia est legitima. Maior ex terminis nota. Minor autem, inqua solum potest esse difficultas, manifesta est in nostra doctrina, vt apparet ex dictis *tom. 1. in 1. sent. disput. 11. per totam.*

In opinione verò Ill. Godoy pro-

22

ba-

Probatur minor in opinione Ill. Godoy.

batur. Primo: ſi ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) repræſentaret omne obiectum intelligibile, & comprehenſivè Deum, talis ſpecies impreſſa, non creata, ſeu finita, ſed infinita, & increata eſſet: ergo ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) non repræſentaret omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deum. Conſequentia infertur. Antecedens eſt Ill. God. *tom.* 1. *in* 1. *part. diſput.* 11. *per totam.*

Primò.

Secundò.

Secundò probatur: ſi ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) repræſentaret omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deū, Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, non gereret vices ſpeciei impreſſæ creatæ; ſed hoc eſt contra Ill. Godoy *tom.* 1. *citat. diſput.* 17. *num.* 21. & 22: ergo ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) non repræſentaret omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deum. Probatur maior: ſi Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, gereret vices ſpeciei impreſſæ creatæ, Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, repræſentaret omne id, quod repræſentaret ſpecies impreſſa creata; (ſi eſſet) ſed Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, non repræſentat omne id, quod repræſentaret ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet): ergo ſi ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) repræſentaret omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deum, Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modū ſpeciei intelligibilis, non gereret vices ſpeciei impreſſæ creatæ. Conſequentia eſt legitima. Præmiſſæ autem ſunt probandæ.

23 *Minor probatur.*

Probatur itaquè minor: Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, non repræſentat omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deum; ſed ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) repræſentaret omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deum: ergo Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, non repræſentat omne id, quod repræſentaret ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet). Conſequentia eſt optima. Maior eſt Ill. Godoy ſolutio. Minor eſt conceſſa in ſuppoſitione, inqua contra ipſum arguo; procedit namquè argumentum ex ſuppoſitione, quod neget Ill. Godoy minorem ſyllogiſmi poſitam *numer.* 22. Si autem minorem prædictam concedit, argumentum poſitum dicto numero efficacitèr convincit.

24 *Maior probatur.*

Probatur maior ſyllogiſmi prædicti: gerere vices alicuius eſt facere id, quod faceret illud, cuius vices gerit; ſed ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet) eſſet repræſentativa: ergo ſi Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, gereret vices ſpeciei impreſſæ creatę, Eſſentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, repræſentaret omne id, quod repręſentaret ſpecies impreſſa creata (ſi eſſet). Minor, & conſequentia tenent. Maior autem eſt notoria, & paritate perſonalitatis Verbi Divini probatur: quia enim perſonalitas Verbi gerit vices perſonalitatis creatæ in humanitate Chriſti, perſonalitas Verbi facit in humanitate Chriſti, quod faceret perſonalitas creata, cuius vices gerit, ſcilicèt, reddere humanitatem Chriſti perſonatam: ergo gerere vices alicuius eſt facere id, quod faceret illud, cuius vices gerit.

25 *Vltima paritas.*

Vltima paritas eſt: quod Eſſentia Divina, vnita per modum ſpeciei intelligibilis, non vniatur, vt adæquata forma productiva intellectionis, non probat, quod Eſſentia Divina, vnita per modum intellectionis, non vniatur, vt adæquata forma repræſentativa formaliter: ergo quod Eſſentia Divina, vnita per modum ſpeciei intelligibilis, non repræſentet omne obiectum intelligibile, nec comprehenſivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis non repræſentet omne obiectum cognoſcibile, & comprehenſivè Deum. Antecedens pro prima parte eſt Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. diſput.* 17. *num.* 21. & 22. & 1. 2. *diſput.* 3. *num.* 19. vbi tenet, quod intellectio debet eſſe intrinſica, aut per identitatem, aut per informationem. Quod idem habet *in præſenti num.* 62. Pro ſecunda eſt manifeſta; nam intellectio eſt adæquata forma repræſentativa formaliter apud omnes. Conſequentia eſt paritate certa, ex ipſaque argumentum ad hominem efficax contra Ill. Godoy formabimus infrà.

26

Eecè octo diſparitates, quarum quælibet eſt manifeſta inſtantia con-

Ad probationem respondet Ill. Godoy.

tra instantiam, quam in nos fecit Ill. Godoy. Nec vim habet, quod respondet *num.* 12. ad probationem maioris, scilicèt, quod maior nostræ rationis posita *num.* 9. solum est vera respectu subiecti capacis; non autem quando subiectum est incapax, qualitèr in præsenti contingit. Non (inquam) vim habet. Primò: quia falsum supponit; supponit namquè, quod intellectus Christi creatus non sit capax intelligendi. Secundò: quia licèt verum sit, quod intellectus Christi creatus sit incapax vnionis cum intellectione increata; hac tamen vnione suppositа, vt supponimus cum sententia, contra quam ab inconvenienti arguimus, intellectus Christi creatus capax est intelligendi intellectione increata, ex quo inconveniens comprehensionis Dei deducimus. Tertiò: quia contra hanc responsionem stant omnes paritates prædictæ. Quartò: quia maior nostræ probationis est absolutè vera, dummodo subiectum sit capax effectus formalis formæ, vt in præsenti contingit.

Contra 1.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

27

Retorqueo solutionem.

Vltrà hæc tamen solutionem retorqueo contra Ill. Godoy: intellectus Christi creatus est subiectum capax intelligendi: ergo semel illi vnita forma, infinitè repræsentativa formalitèr, debet illi dare totum, quod potest. Atqui intellectio increata est forma, infinitè repræsentativa formalitèr: ergo semel vnita intellectui Christi creato, dat illi, infinitè cognoscere, & consequentèr comprehensivè. Omnia sunt vera, si vera est consequentia prima. Hæc itaquè probatur: licèt in potestate alterius sit, formam applicare, vel non applicare subiecto, semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest: ergo semel applicata, vel vnita intellectui Christi creato forma, infinitè repræsentativa formalitèr, debet illi dare totum, quod potest. Antecedens est Ill. Godoy *tom. præced. disput.* 16. *num.* 67. ex cuius verbis evidentèr apparet, tum, nullam omninò esse paritatem de Essentia Divina vnita per modum speciei; tum etiam, illius solutionem nullam esse. Quod vt appareat, verba illius transcribo.

Hæc tamen solutio (ait Ill. Godoy *citat.*) *displicet ob discrimen, quod inter causam efficientem, & formalem versatur. Illa enim non causat, se ipsam communicando subiecto, sed influendo influxu ab illa distincto, & effectum producendo omninò distinctum ab illa. Ex quo fit, vt ipsa entitativè invariata, possit temperare influxum, & minorem, vel maiorem præstare, vel propter præsentiam alterius similis causæ simul cum illa influentis, vel quia causa prima illā applicat maiori, aut minori applicatione. Causa autem formalis causat, se ipsam communicando subiecto, imò effectus formalis illius est ipsa forma subiecto communicata: ex quo fit, vt quamvis in alterius sit potestate constitutum, illam applicare, vel non applicare subiecto; semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest: vt constat in calore, vt octo, qui semel communicatus subiecto, non potest non illi dare totam suam gradualem intensionem, illudque calidum vt octo non reddere; sed Divina personalitas sustentat naturam creatam in genere causæ, vel quasi causæ formalis, se ipsam communicando: ergo licèt sit constitutum in arbitrio libero Dei, personalitatem Divinam naturæ creatæ vnire, attamen semel vnita, non potest non dare naturæ adæquatum effectum, quem de se potest præstare; ac proindè, si de se sufficiens est, sustentare adæquatè naturam creatam cui vnitur, non potest temperare concursum, nec propter præsentiam alterius Divinæ personalitatis, nec ratione Divinæ applicationis illam in actu secundo inadæquatè tantum sustentando.*

Et quia hæc solutio invalida remanet, semel probato, quod intellectus creatus Christi Deum comprehenderet, si intellectione increata intelligeret, quod est prima maior nostræ probationis, solutionem Ill. Godoy reijciemus, dictam maiorem probando. Sed ante probationem supponenda est ratio, qua Thomistę probant, quod etsi intellectus humanus cognosceret cognitione infinita, Deum non comprehenderet. Ratio itaquè est: quod adhuc intellectus humanus non adæquaret obiectum cognoscibile in modo cognitionis, qua doctrina vtitur Ill. Godoy *in præsenti numer.* 9. & 10. Hocque probant hac paritate: conclusio demonstrabilis, quia petit cognosci modo demonstrativo, non comprehenditur, si opinativè tantum cognoscatur, estò nulla pars illius ab opinante ignoretur. Qua paritate vtitur Ill. God. *disp.* 33. *n.* 44. Et totā hanc doctrinā deducunt ex D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 7. & 8. Hoc itaquè supposito.

28

Quædam doctrina Ill. Godoy.

Reij-

29 *Reijcitur 1. solutio Ill. Godoy.*

Reijcitur primo solutio Ill. Godoy, probando maiorem : conclusio demonstrabilis non comprehenditur ab intellectu cognoscente illam cognitione opinativa,& tantum probabili : ergo conclusio demonstrabilis comprehenditur ab intellectu cognoscente illam cognitione ipsius conclusionis demonstrabilis,scilicèt,cognitione demonstrativa:ergo etsi essentia infinita Dei non comprehendatur ab intellectu cognoscente, & videnteam cognitione creata,aliena, & finita,comprehendetur ab intellectu cognoscente cognitione increata, & infinita ipsius essentiæ:ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata , Deum comprehenderet. Antecedens est Ill. Godoy *num. antecedent. citat.* Prima consequentia est etiam ipsius. Tertia ex secunda infertur. Secunda autem patet ; quia sic comparatur cognitio finita, & infinita cum essentia infinita,sicut cognitio opinativa,&demonstrabilis cum conclusione demonstrabili. Antecedens est communis Thomistarum doctrina.Consequentia certa videtur.

30 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices pro Ill.Godoy:esse disparitatem : quia cognoscens conclusionem conclusione demonstrativa, cognosceret modo demonstrativo , & sic adæquaret in cognitione, & in modo cognoscendi obiectum ; at cognoscens cognitione infinita,non cognosceret modo infinito.

Contra 1.

Contra primò: vel cognoscens cognitione demonstrativa potest cognoscere modo non demonstrativo,vel non ? Si non: ergo nec cognoscens cognitione infinita potest cognoscere modo finito ; nam ita est modus cognitionis infinitæ modus cognoscendi infinitè , & cognitionis finitæ modus cognoscendi finitè ; sicut modus cognitionis demonstrativæ est modus cognoscendi demonstrativè, & cognitionis opinativæ modus cognoscendi opinativè. Si potest : ergo cognoscens cognitione demonstrativa , cognosceret tantum opinativè,& sic etiam posset cognoscens cognitione tantum opinativa cognoscere modo demonstrativo; cum ita modus cognitionis opinativę sit cognoscere opinativè ; sicut demonstrativæ , demonstrativè. Item: cognoscens cognitione finita non potest cognoscere modo infinito : ergo nec cognoscens cognitione infinita modo finito , propter dicta.

Contra 2.

Contra secundò:cognoscens cognitione finita non potest cognoscere modo infinito : ergo nec cognoscens cognitione infinita potest cognoscere modo finito.Antecedens est evidens. Consequentia apparet *ex num. antec.* Primò: quia alioquim modus cognitionis infinitæ non esset ita modus infinitè , ac modus cognitionis finitæ est modus cognoscendi finitè.Secundò:quia si modus cognitionis infinitę potest esse modus cognoscendi finitè ; modus cognitionis demonstrativæ poterit esse modus cognoscendi opinativè , quod omninò falsum apparet.

31 *Contra 3.*

Contra tertiò:magis repugnat cognitioni infinitę,& demonstrativę modus cognoscendi finitè , & opinativè, quam cognitioni finitæ , & opinativæ modus cognoscendi infinitè ; & demonstrativè ; sed cognitione finita,& opinativa non potest cognosci obiectum modo infinito,&demonstrativo: ergo nec cognitione infinita ; & demonstrativa modo finito ; & opinativo. Probatur maior:magis repugnat naturæ, & entitati perfectiori modus proprius naturæ , & entitatis imperfectioris , & inferioris ; quam naturæ , & entitati imperfectiori modus proprius naturę,& entitatis perfectioris ; sed cognitio infinita, & demonstrativa est entitas perfectior cognitione finita,& opinativa: ergo magis repugnat cognitioni infinitæ , & demonstrativæ modus cognoscendi finitè , & opinativè , quam cognitioni finitæ , & opinativæ modus cognoscendi infinitè,& demonstrativè.

32 *Maior probatur 1.*

Probatur maior.Primò:magis repugnat Dei naturæ,& entitati,modus divisibilitatis numericæ,quam naturę creatæ modus indivisibilitatis numericæ, cum hanc possint habere Angeli,iuxta Thomistas,& illa omninò repugnetDeo:ergo magis repugnat naturæ , & entitati perfectiori modus proprius naturæ , & entitatis imperfectioris,& inferioris,quam naturę,& entitati imperfectiori modus proprius naturę,& entitatis perfectioris.

Secundò.

Secundò:magis repugnat Dei naturæ mensurabilitas temporalis,quam creaturę mensurabilitas æternitatis , cum hanc possint habere aliquæ creaturæ , si ab æterno producerentur , & futura coexistentia ab æterno , vt physicè

coexistere, testatur Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 41*: ergo idem, quod anteà.

33 *Tertiò.* Tertiò probatur dicta maior: magis repugnat naturæ Divinæ moralis defectibilitas, dependere efficienter ab alio, finitas, & circunscriptio; quam creatæ naturæ moralis indefectibilitas, independentia, & immensitas; cum Deus in nulla natura possit denominari defectibilis moraliter, & homo in Christo sit indefectibilis iuxta Ill. Godoy, & Thomistas, & ratio horum est: quia natura imperfectior ratione potentiæ obedientialis potest elevari sine repugnantia ad participandum modum naturæ perfectioris, vt elevatur intellectus ad supernaturalitatem; at natura perfectior, & excellentior non potest nisi cum repugnantia humiliari ad modum naturæ imperfectioris recipiendum; & sic magis repugnat isti naturæ modus imperfectioris, quam repugnet naturæ imperfectiori modus naturæ perfectioris: ergo magis repugnat naturæ, & entitati perfectiori modus proprius naturæ, & entitatis imperfectioris, & inferioris, quam naturæ, & entitati imperfectiori modus proprius naturæ, & entitatis perfectioris.

34 *Reijcitur 2.* Reijcitur secundò solutio Ill. Godoy: eadem cognitio nequit inæqualiter cognoscere obiectum: ergo si intellectus Christi creatus cognosceret intellectione increata, Deum infinito modo cognosceret, & consequenter Deum comprehenderet. Consequentia patet: nam si intellectus Christi creatus cognosceret intellectione increata, cognosceret eadem Dei intellectione, qua Deus se infinito modo cognoscit, & consequenter se comprehendit. Antecedens verò probatur: si eadem cognitio posset inæqualiter cognoscere obiectum, per eandem cognitionem, repræsentantem plura obiecta, posset vnus cognoscere hoc tantum obiectum, & alter aliud tantummodo obiectum; imò posset vnus solum apprehendere, & alter iudicare; sed hæc falsa videntur: ergo eadem cognitio nequit inæqualiter cognoscere obiectum.

35 *Reijcitur 3.* Reijcitur tertiò: si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, esset capax cognoscendi iuxta mensuram claritatis, & modi, quem secum identificat intellectio increata; sed intellectio increata identificat secum claritatem infinitam, & modum infinitum cognoscendi: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, cognosceret claritate infinita, & infinito modo: ergo Deum comprehenderet. Probatur maior: hoc ipso, quod intellectus cognoscat per aliquam cognitionem, est capax cognoscendi iuxta mensuram claritatis, & modi, quem secum identificat talis cognitio: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, esset capax cognoscendi iuxta mensuram claritatis, & modi, quem secum identificat intellectio increata. Probatur antecedens primò: si hoc ipso, quod intellectus cognoscat per aliquam cognitionem, non esset capax cognoscendi iuxta mensuram claritatis, & modi, quem secum identificat talis cognitio, posset intellectus per cognitionem clarā cognoscere obscurè, & per obscuram cognitionem clarè cognoscere; sed hoc est falsum: ergo hoc ipso, quod intellectus cognoscat per aliquam cognitionem, est capax cognoscendi iuxta mensuram claritatis, & modi, quem secum identificat talis cognitio. Probatur secundò: nam posita cognitione in intellectu, tendentia in obiectum non est partibilis: ergo eodem modo, quo fuerit cognitio, debet denominare intellectum tendentem in obiectum: ergo hoc ipso, quod intellectus cognoscat per aliquam cognitionem, est capax cognoscendi iuxta mensuram claritatis, & modi, quem talis cognitio secū identificat.

36 *Reijcitur 4. ad homin. contra Ill. Godoy.* Reijcitur quartò ad hominem contra Ill. Godoy: si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectio increata vniretur cum intellectu Christi creato, vt adæquata forma repræsentativa formaliter, seu cognoscendi: ergo constitueret intellectum Christi creatum infinitè intelligentem: ergo & Deum comprehendentē. Antecedens constat *ex num. 25*. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: ideò persona Verbi vnita cum Christi humanitate, vt forma dignificans, & valorans illius operationes, illas constituit infinitè valorosas, quia vnitur, vt adæquata forma dignificans, & valorans; atqui si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, increata intellectio vnire-

tur

tur cum intellectu Christi creato, vt adæquata forma repræsentativa formaliter, seu cognoscendi: ergo constitueret intellectum Christi creatum infinitè intelligentem. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior verò est Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 35.*

37 *Reijcitur 5. etiam ad hominem.*

Reijcitur quintò ad homniem etiã contra ipsum: si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectio increata non gereret vices intellectionis creatæ: ergo intellectio increata constitueret intellectum Christi creatum infinitè intelligentem: ergo intellectus Christi creatus cum intellectione increata intelligeret modo infinito: ergo comprehenderet Deum. Antecedens est Ill. Godoy, & constat ex dictis *num. 18* Consequentia prima probatur: ideò subsistentia Verbi non constituit humanitatem infinitè subsistentem, neque Essentia Divina vnita per modũ speciei constituit intellectum potentem infinitè videre; quia subsistentia Verbi gerit vices subsistentiæ creatæ proprię humanitatis, & Essentia Divina per modum speciei gerit vices obiecti; atqui si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectio increata non gereret vices intellectionis creatæ: ergo intellectio increata constitueret intellectũ Christi creatum infinitè intelligentem. Consequentia est legitima. Minor est concessa. Maior autem, inqua poterat esse difficultas, est doctrina expressa Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 35.*

38 *Reijcitur 6. etiam ad hominem.*

Reijcitur sextò etiam ad hominem contra ipsum: si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectio increata non esset compartialis causa cum intellectu ad aliquid producendũm: ergo intellectio increata constitueret intellectum Christi creatum infinitè intelligentem: ergo intellectus Christi creatus cum intellectione increata modò infinito intelligeret: ergo Deum comprehenderet. Antecedens est certum. Prima consequentia probatur: ideò Essentia Divina, vnita per modum speciei, non constituit intellectum potentem infinitè videre, quia Essentia Divina, vnita per modum speciei, est compartialis causa cum intellectu ad producendam intellectionem; atqui si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectio increata non esset compartialis causa cum intellectu ad aliquid producendum: ergo intellectio increata constitueret intellectum Christi creatum infinitè intelligentem. Minor, & consequentia tenent. Maior est ipsius *cit.*

Et vt hæc triplex ad hominem contra Ill. Godoy impugnatio clarissimè patefiat, verba ipsius transcribo. Ipse enim *tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 35.* respondendo ad quodam argumentum, ex duplici disparitate, quam adducit, prima est hæc: *Subsistentia Verbi vnitur humanitati, substituendo vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis, quia illam continet eminenter, ideòque non constituit illam subsistentem ita perfectè, ac subsistentem redderet naturam Angelicam; quia subsistentia naturæ Angelicæ, cuius vices gereret subsistentia Verbi, si naturam Angeli redderet subsistentem, perfectior est subsistentia propria humanitatis; & indè fit, vt humanitas, etsi per infinitam subsistentiam subsistat, non dicatur subsistere infinitè per illam. Divina etiam Essentia vnita per modum speciei gerit vices obiecti determinantis ex parte principij, & vnitur, non dando virtutem, sed illam in intellectu supponendo: vndè commensurari debet cum virtute principij proximi effectivi, & quia hæc finita est in intellectu creato, nequit Essentia Divina, vt species, illum constituere potentem infinitè videre, nec cum illo ad intellectionem infinitam concurrere. Quæ rationes in persona Verbi, vt valorante actus humanitatis non militant; non enim valorat illos substituendo vices valoris finiti, nec vnitur, vt comprincipium non dans, sed supponens virtutem, sed vt adæquata forma dignificans, & valorans in ordine ad satisfaciendum, & merendum; ideòque non limitatur ex limitatione physica actuum, vt illis infinitum præstet valorem, eosque infinitè valorosos constituat.*

39 *Doctrina Ill. Godoy.*

Reijcitur septimò: ad comprehensionem Dei non requiritur adæquatio subiecti ad subiectum, sed sufficit obiecti ad obiectum adæquatio; atqui si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, haberet cũ Deo adæquationem obiecti ad obiectum, etsi non subiecti ad subiectum: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, Deũ comprehenderet. Consequentia ex

40 *Reijcitur 7.*

præ-

præmissis infertur. Præmissæ autem sunt probandæ, & à minori incipiendo, probatur minor: si Deus suam Omnipotentiam vniret potentiæ executivæ hominis, homo adæquationē cum Deo haberet in obiecto, etsi non in subiecto: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, haberet cum Deo adæquationem obiecti ad obiectum, etsi non subiecti ad subiectum. Probatur antecedens: si Deus suam Omnipotentiā vniret potentiæ executivæ hominis, homo posset ex nihilo Angelum crea re, vti Deus sua Omnipotentia potest illum creare: ergo si Deus suam Omnipotentiam vniret potentiæ executivæ hominis, homo adæquationem cum Deo haberet in obiecto, etsi non in subiecto. Maior verò prædicti syllogismi probatur duplici paritare.

Probatur minor.

Maior syllogismi probat. paritatibus.

Prima est: si intellectus creatus cognosceret omnia possibilia in Verbo, comprehenderet Deum; sed tunc non esset adequatio subiecti ad subiectum, sed solum obiecti ad obiectum adæquatio: ergo ad comprehensionem Dei non requiritur adæquatio subiecti ad subiectum, sed sufficit obiecti ad obiectum adæquatio. Maior cum omnibus Thomistis docetur ab Ill. Godoy *disput.* 34. Minor probatur: etiam si intellectus creatus cognosceret omnia possibilia in Verbo, intellectus creatus adhuc esset creatus: ergo non adæquaret intellectui increato: ergo si intellectus creatus cognosceret omnia possibilia in Verbo, non esset adequatio subiecti ad subiectum, sed solū obiecti ad obiectū adequatio.

Prima paritas.

Secunda paritas est: si esset species impressa Dei, intellectus creatus tali specie Deum cognoscens, comprehenderet Deum; sed tunc non esset adæquatio subiecti ad subiectum, sed obiecti tantum ad obiectum: ergo ad comprehensionem Dei non requiritur adæquatio subiecti ad subiectum, sed sufficit adæquatio obiecti ad obiectum. Maior est doctrina Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 11. cum omnibus suæ Scholæ. Minor pro prima parte patet: nam tàm species, quàm intellectus, essent quid creatum. Pro secunda constat; alioquim intellectus tali specie Deum cognoscens, non comprehenderet Deū, quod est contra ipsum. Consequētia certa videtur.

Secunda.

Reijcitur octavò: ex possibilitate comprehensionis Essentiæ Divinæ ab intellectu creato, vt ex absurdo rectè probatur: non posse intelligere intellectione increata intellectum creatū: ergo si posset intelligere intellectione increata, posset comprehendere Deum. Consequentia est certa; quia si posse comprehendere Divinam Essentiam, vt absurdum, probat, intelligere intellectione increata; posse comprehendere esset absurdum secutum ex eo, quod intelligeret prædicta intellectione; aliàs malè probaretur ex illo, tanquam ex absurdo: ergo si intelligeret prædicta intellectione, sequeretur tale absurdū, scilicèt, quod comprehenderet Deum: ergo dato casu, quod intelligeret intellectione increata, sequeretur hoc absurdum, nempè, quod comprehenderet Deū: ergo vera est suprà posita maior, scilicèt, si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, intellectus Christi creatus de facto Deum comprehendisset. Antecedens primū probatur: ex impossibilitate comprehensionis Essentiæ Divinæ ab intellectu creato, vt ex non absurdo, probatur benè: non posse intelligere intellectione increata intellectum creatū: ergo ex possibilitate comprehensionis Essentiæ Divinæ ab intellectu creato, vt ex absurdo, rectè probatur: non posse intelligere intellectione increata intellectum creatum. Antecedens est certum, & consequentia patet: quia quando ex oppositō, vt ex non absurdo, probatur benè aliquid; ex altero oppositō à contrario deducitur benè, vt ex absurdo, v.g. si ex impotentia ad comprehendere, sequitur, vt ex non absurdo, non cognoscere omnia, nec posse omnia possibilia in Verbo cognoscere; ex possibilitate comprehensionis, vt ex absurdo, sequitur, intellectum creatum non posse cognoscere omnia possibilia in Verbo, & similitèr de specie impressa, & alijs.

Reijcitur 8.

Reijcitur nonò: hæc illatio est rationalis, & bona: impossibilitas comprehendēdi essentiam infinitā, arguit impossibilitatem cognoscendi cognitione infinita: ergo possibilitas cognoscendi cognitione infinita arguit possibilitatem comprehendendi essentiam infinitam: ergo infinita cognitio arguit comprehensionem essentię infinitæ: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata,

Reijcitur 9.

41 42

quæ

quæ infinita est, intellectus Christi creatus de facto Deum comprehenderet. Omnia videntur vera, si verum est antecedens. Antecedens autem probatur. Primò: impossibilitas comprehendendi essentiam infinitam arguit rationabiliter impossibilitatem cognoscendi specie infinita creata, nempè, impræssa, vt fateri debet Ill. Godoy: ergo impossibilitas comprehendendi essentiam infinitam arguit impossibilitatem cognoscendi cognitione infinita. Secundò probatur: hæc illatio est rationalis, & bona: impossibilitas comprehendendi essentiam infinitam arguit impossibilitatem cognoscendi cognitione omnium, quæ continentur eminentèr in ipsa essentia infinita: ergo impossibilitas comprehendendi essentiam infinitam arguit impossibilitatem cognoscendi cognitione infinita. Probatur consequentia: cognitio illa omnium possibilium eminentèr contentorum in essentia infinita, esset infinita secundum Thomistas: ergo si impossibilitas comprehendendi essentiam infinitam arguit rationabiliter impossibilitatem cognoscendi omnia possibilia; arguit impossibilitatem cognoscendi cognitione infinita.

43 *Reijcit.10.* Reijcitur dezimò: possibilitas comprehendendi obiectum infinitum arguit possibilitatem cognoscendi cognitione infinita: ergo impossibilitas comprehendendi obiectum infinitū arguit impossibilitatem intelligendi intellectione infinita: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, quæ infinita est, Deum de facto comprehenderet. Antecedens est certum, ex quo, & ex prima consequentia infertur secunda. Prima verò probatur: quando possibilitas vnius sic connectitur cum possibilitate alterius, quod ex vna sequatur rationabiliter alia, ex impossibilitate rationabiliter sequitur impossibilitas, v.g. quia ex possibilitate cognitionis omnium possibilium infertur rationabiliter in Verbo comprehensio; ex impossibilitate cognitionis illorum in Verbo infertur Verbi impossibilitas comprehensionis. Deindè: nam quia ex possibilium positione sequitur Omnipotentia erga possibilia, ex impossibilium destructione, destructio Omnipotentiæ deducitur, vt tenet Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 26*: ergo si ex possibilitate comprehensionis obiecti infiniti sequitur benè, & rationabiliter possibilitas cognoscendi cognitione infinita; ex impossibilitate comprehendendi obiectum infinitum arguitur impossibilitas intelligendi intellectione infinita.

44 *Reijcitur deniquè.* Deniquè reijcitur prædicta solutio Ill. Godoy, aliter formando ad hominem contra ipsum paritatem de sanctitate increata: semel vnita sanctitate increatà cū humanitate Christi, sanctitas increata constituit humanitatem Christi infinitè Sanctam: ergo semel vnita intellectione increata cum intellectu Christi creato, intellectio increata constituet intellectum Christi creatum infinitè intelligentem: ergo & comprehendentem Deum: nulla ergo est solutio Ill. Godoy. Antecedens est ipsius *disput. 21. num. 269.* Prima consequentia probatur: nulla est ratio imaginabilis probativa antecedentis, quæ consequentiam non convincat: ergo si semel vnita sanctitate increata cum humanitate Christi sanctitas increata constituit humanitatem Christi infinitè Sanctam; semel vnita intellectione increata cum intellectu Christi creato, intellectio increata constituet intellectum creatū Christi infinitè intelligentem. Antecedens constabit per quamcumque rationem, quæ assignetur; nam licèt possit esse aliqua ratio, vt humanitas Christi possit sanctificari sanctitate increata; non verò intellectus Christi creatus possit intelligere intellectione increata (quod pro nunc omittimus) nulla tamen potest esse ratio, vt semel vnita intellectione increata cum intellectu Christi creato, intellectio increata non constituat intellectum Christi creatum infinitè intelligentem, si semel vnita sanctitate increata cum humanitate Christi, illam infinitè Sanctam constituit.

Probatur antecedens doctrinâ Ill. Godoy: Et vt hoc manifestè appareat, inspicite rationem, qua Ill. Godoy *disp. 21. num. 270.* probat, humanitatem Christi per gratiam vnionis esse Sanctam infinitè. Hæc enim est illius ratio. *Sanctificatio humanitatis à Verbo est suprà quam excogitari maior non potest in linea sanctitatis per communicationem; sed hoc sufficit, vt sit infinitè Sancta: ergo infinitè sanctificatur à Verbo. Deniquè probatur: si namquè infinitè Sancta non esset, maximè, quia Deus in se*

ipso sanctior est; sed hoc infinitæ sanctificationi humanitatis à Verbo non obstat: ergo infinitè sanctificatur ab illo. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primò: nam etiam increatæ Dei actiones maioris sunt dignitatis, quam actiones Christi creatæ; & tamen huiusmodi actiones sunt dignitatis infinitæ, & infiniti valoris: ergo quod Deus sanctior sit humanitate, & magis Sanctus, quam illa, non obstat, vt humanitas sit Sancta infinitè. Secundò: nam etsi in eadem linea vnum infinitum maius alio esse non possit; in diversa tamen potest, infinitumque vnius lineæ potest maius esse infinito alterius lineæ; sed infinitas sanctitatis per communicationem, & infinitas sanctitatis per essentiam in diversis lineis sunt: ergo ex eo, quod sanctitas Dei per essentiam sit maior sanctitate humanitatis per communicationem, non sequitur, humanitatem non esse infinitè Sanctam. Eccè rationem æquè convincentem, intellectum Christi creatum forè infinitè intelligentem, semel vnita cum illo intellectione increata.

§. III.

Suprà positam conclusionem in opinione Ill. Godoy substineri non posse, ostenditur.

45 LIcèt conclusio suprà posita sit vera, & verissima; tamen in principijs Ill. Godoy videtur inconsequens; vndè contra ipsum, & ipsius doctrina vtendo, probabimus, prædictam conclusionem in ipsius doctrina substineri non posse. Et omissa paritate de personalitate Verbi, quæ de facto reddit humanitatem Christi formalitèr subsistentem; quia in rei veritate intentum convincere nequit, & militat etiam contra omnes Catholicos, ideòque §. *sequenti*, illi solutionem præstabimus. Omissa etiam paritate de Essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei, quia vim certè non habet, vt §. *sequenti*, etiam videbimus; alia via à nobis venit probandum.

46 *Probatur intentum.* Probatur itaquè intentum hac vnica paritate: humanitas Christi est Sancta sanctitate increata: ergo est Beata beatitudine increata: ergo intellectus Christi creatus de facto intelligit intellectione increata. Antecedens est doctrina Ill. Godoy *disput.* 21. Secunda consequentia ex prima infertur: nam beatitudo iuxta ipsum 1. 2. *disput.* 5. consistit in actu intellectus: ergo si humanitas Christi est Beata beatitudine increata, intellectus Christi creatus intelligit intellectione increata. Prima consequentia probatur: ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem: ergo ex sanctificatione sanctitate increata, conveniente de facto humanitati, sequitur beatificatio eiusdem humanitatis, præstita formalitèr à beatitudine increata. Consequentia tenet à paritate rationis.

47 *Probatur antecedens.* Antecedens autem probatur: capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem. Antecedens est notorium; omnis namquè natura sanctificabilis est beatificabilis. Consequentia certa apparet iuxta illam regulam, nempè, concesso antecedenti in illatione vt verò, conceditur consequentia illativè vera; quia si ex capacitate ad sanctificari sequitur capacitas ad beatificari, etiam ex capacitate ad sanctificari sanctitate increata sequi debet capacitas ad beatificari beatitudine increata. Sed vltrà hoc probatur consequentia: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata; sed iuxta concessa, & veritatem, capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo ex possibilitate sanctificationis per sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per beatitudinem increatam. Minor, & consequentia tenent.

48 *Probatur maior paritatibus.* Maior autem probatur. Primò: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, ex capacitate ad sanctificari sanctitate creata, sequitur capacitas ad beatificari beatitudine creata: ergo si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ab beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata. Probatur secundò dicta maior: si immaterialitas arguit intellectivum, & intellectivum volitivum, ex immaterialitate creata sequitur intellectivum creatum, & ex intellectivo creato sequitur

Prima.

Secunda.

volitivum creatum. Item: ex immaterialitate increata sequitur intellectivum increatum, & ex intellectivo increato sequitur volitivum increatum: ergo idem quod antea.

49 *Tertiò.* Probatur tertiò eadem maior, & formatur paritas ab oppositò: si capacitas ad beatificari arguit capacitatem ad sanctificari, ex capacitate ad beatificari beatitudine increata sequitur capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo pariter: si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata. Probatur consequentia: capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari sunt convertibiles: valet namquè: *Est capacitas ad beatificari: ergo est capacitas ad sanctificari*, & è contra: ergo etiam debent esse convertibiles capacitas ad beatificari beatitudine increata, & capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo valet etiam: *Est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo est capacitas ad sanctificari sanctitate increata*: & è contra: ergo si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.

50 *Confirmat. & vrget. 1.* Confirmatur, & vrgetur primò: capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari sunt convertibiles; sed quia sunt convertibiles, valet hæc consequentia: *Est capacitas ad sanctificari sanctitate creata: ergo est capacitas ad beatificari beatitudine creata*: ergo quia sunt convertibiles, etiam hæc debet valere: *Est capacitas ad sanctificari sanctitate increata: ergo est capacitas ad beatificari beatitudine increata.* Atqui in Christo non est capacitas ad beatificari beatitudine increata; ergo nec ad sanctificari sanctitate increata. Vrgetur secundo: capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari sunt convertibiles; sed quia convertibiles sunt, valet hæc consequentia: *Est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo est capacitas ad sanctificari sanctitate increata*: ergo quia sunt convertibiles, hæc etiam debet valere: *Non est capacitas ad beatificari beatitudine increata: ergo non est capacitas ad sanctificari sanctitate increata.* Consequentia claret ex vi illius axiomatis: *Quando affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis.*

Secundò.

Hæc ratio fundatur in doctrina generali, scilicèt, in eo, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari sunt convertibiles, quam doctrinam expræssè docuit Ill. Godoy *disput. 21. num. 45.* assignando discrimen inter effectus gratiæ vnionis, & effectus gratiæ habitualis; vbi clarissimè fatetur prædictam convertibilitatem his verbis: *Nam cum esse particeps Divinæ naturæ sit esse radicem videndi, & amandi Deum, & implicet capacitas ad videndum, & amandum Deum, absquè capacitate amabilitatis ab ipso, ideò non stat capacitas ad participium Divinæ naturæ, absque capacitate ad sanctitatem.* Huic accedit bonam esse paritatem; cum æqualitas, quæ datur inter beatificari, & sanctificari, reperiatur etiam inter beatitudinem increatam, & increatam sanctitatem.

51 *Prædicta paritas fundatur in doctrina Ill. Godoy.*

Fundatur etiam in alia generali doctrina, scilicèt, in eo, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari, oriuntur ab eodem principio, nempè, ab intellectualitate naturæ; nam ex eo, quod natura sit intellectualis, rectè infertur, quod sit sanctificabilis, & quod sit beatificabilis, vt omnibus apparet; & constat ex eo, quod ideò natura irrationalis, nec est sanctificabilis, nec beatificabilis, quia intellectualis non est; vndè, etsi à Verbo assumeretur, adhuc esset incapax sanctitatis, & beatitudinis, vt sentiunt omnes Theologi.

52 *Fundatur etiam in communi doctrina Theologorũ*

Ad hanc paritatem, licèt non sic formalizatam, nec ita confirmatam, respondet Ill. Godoy *num. 34.* negando paritatem: quia ista consequentia non tenet: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata*; sicut ista non tenet: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina, probat capacitatem operandi operatione Divina.* Cuius antecedens est verum; consequens autem est falsum, vt constat in natura irrationali, quam posse Dei subsistentia subsistere, docet communis sententia; & tamen nullus docuit, esse capacem operandi operatione Divina.

53 *Respondet Ill. Godoy.*

Et ratio nullitatis consequentiæ (prosequitur Ill. Godoy *num. 35.*) est:

54 *Ratio solutionis.*

nam

nam facta comparatione inter sanctitatem, & beatitudinem absolutè, non est differentia in modo conveniendi subiecto, ratione cuius cum capacitate sanctitatis stare possit repugnantia beatitudinis: nam formalitatibus creatis, sicut non repugnat informatio physica, vel moralis, quarum aliqua ad sanctificandum requiritur: ita non repugnat illis egredi realitèr ab agente, quod est de ratione beatitudinis, eo, quod Beatus vivit per illam, quod sine egressu ab illo nequit subsistere; & ideo facta comparatione inter sanctitatem vt sic, & beatitudinem absolutè, capacitas vnius infert capacitatem alterius.

Cæterum facta comparatione inter sanctitatem increatam, & Divinã, increatamque beatitudinem, argumentum non tenet per respectum ad subiectum creatum, eo, quod informatio moralis, quæ ad sanctificandum sufficit, non repugnat Divinis formalitatibus; egressus autem, tàm realis, quàm virtualis, quorum aliquis est de conceptu essentiali beatitudinis, repugnat prædicatis Divinis respectu naturæ creatæ; & ideò ex capacitate conveniente humanitati, vt sanctificetur per sanctitatem increatam, & Divinam, non arguitur, nec probatur capacitas, vt beatificetur increata beatitudine; vt in simile instabamus in ordine ad subsistendum; nam licèt capacitas subsistendi arguat capacitatem operandi absolutè, capacitas subsistendi subsistentia Divina, non arguit capacitatem operandi per Divinam operationem.

55 NOTA. Hæc tamen solutio efficatiam nostræ paritatis non tollit; & ante impugnationem noto, quod per ly *operatione Divina*, quod ponit Ill. Godoy in instantia, quam contra nos facit, intelligo operationem tendentem in Deum, scilicet, operationem intellectualem; vt claret in exemplo ab ipso posito de natura irrationali, quæ etsi capax sit subsistendi subsistentia Divina; incapax tamen est operandi operatione Divina, idest, operatione intellectuali, in Deum tendente; nam si per ly *operatione Divina*, intelligeret Divinam operationem, nempè, intellectionem, & volitionem Divinam, idem exemplum esset de natura rationali, & Angelica, ac de natura irrationali; cum quælibet sit capax subsistendi subsistentia Divina, & nulla sit capax operandi intellectione, & volitione Divina, vt apud omnes est certum. Hoc notato.

56 *Refellit. 1. instantia Ill. Godoy.* Refellitur primò instantia Ill. Godoy: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata*: ergo nulla est instantia Ill. Godoy. Antecedens probatur. *Antecedens probatur. 1.* Primò: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad personari probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad personari personalitate Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*: ergo pariter de illa.

57 *Probat. 2. ad homin. contra Ill. Godoy.* Probatur secundò antecedens ad hominem contra Ill. Godoy: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad personari probat capacitatem ad sanctificari: ergo capacitas ad personari personalitate Divina probat capacitatem ad sanctificari sanctitate Divina*: ergo similiter. Antecedens est Ill. Godoy *disput.* 21. Consequentia paritate videtur certa.

58 *Probat. 3. etiam ad hominem.* Probatur tertiò idem antecedens etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad immaterialitatem probat capacitatem ad intellectualitatem: ergo capacitas ad immaterialitatem increatam probat capacitatem ad intellectualitatem increatam*: ergo idem quod priùs. Consequentia est paritate certa. Antecedens verò est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 22.*

Pro-

59 *Probat. 4. etiam ad hominem.*

Probatur quartò dictum antecedens etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad intellectivum probat capacitatem ad volitivum: ergo capacitas ad intellectivum increatum probat capacitatem ad volitivum increatum* : ergo idem quod anteà. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disput. 45.* Consequentia est paritate legitima.

60 *Probat. 5. etiam ad hominem.*

Probatur quintò suprà positum antecedens ad hominem etiam contra Ill. Godoy: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi : ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hęc consequentia sit bona : *Capacitas ad esse substantiam spiritualem probat capacitatem ad esse intellectivum : ergo capacitas ad esse substantiam spiritualem infinitam probat capacitatem ad esse intellectivum infinitum*: ergo paritèr. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 22. numer. 168. & sequentibus.* Consequentia eadem, ac cœteræ, gaudet veritate.

61 *Probat. 6. etiam ad hominem.*

Probatur antecedens suprà dictum, sextò etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: *Capacitas ad videndum, & amandum Deum probat capacitatem amabilitatis ab ipso : ergo capacitas ad videndum, & amandum Deum infinitè probat capacitatem infinitæ amabilitatis ab ipso*: ergo similitèr. Consequentia patet. Antecedens deducitur ex Ill. Godoy *disput. 21. num. 45.*

62 *Probatur deniquè doctrina generali.*

Probatur deniquè antecedens paritate apud omnes certa: quod hæc consequentia sit falsa : *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi : ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina* ; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad beatificari probat capacitatem ad sanctificari : ergo capacitas ad beatificari beatitudine increata probat capacitatem ad sanctificari sanctitate increata* : ergo paritèr : quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi : ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.* Antecedens conceditur ab omnibus. Consequentia verò vi paritatis legitima apparet.

63

Ecce septem paritates (pluribus alijs omissis) quarum quælibet est manifesta retorsio contra instantiam, quam in nos facit Ill. Godoy. Si ergo tot retorsionibus falsificatur eius instantia; cur (quæso) valebit, nostram probationem falsificare? Non itaquè attendenda est paritas Ill. Godoy pro nullitate nostræ probationis, quin potiùs pro veritate ipsius attendendæ sunt septem paritates suprà dictæ. Et quia eadem est de omnibus ratio, retorsio, quam contra ipsum ex prima paritate faciam, deserviat ad cœteras formandas.

64 *Refellit. 2. retorquēdo instantiam.*

Refellitur secundò instantia Ill. Godoy, ipsam retorquendo hac paritate: hæc consequentia est bona: *Capacitas ad personari probat capacitatem ad operari : ergo capacitas ad personari personalitate Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*: ergo etiam ista consequentia est bona : *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.* Nulla ergo est instantia Ill. Godoy. Sic per cœteras paritates fiant contra ipsum retorsiones.

65 *Triplex ratio nullitatis instātiæ Ill. Godoy.*

Ratio autem, cur instantia Ill. Godoy nullam habet efficatiam, triplex esse potest. Prima est: quia esse subsistens stat duplicitèr, nempè, personalitèr, vt contingit in natura intellectuali; & suppositalitèr, vt evenit in natura irrationali. Primò modo vera est consequentia tradita ab Ill. Godoy, & ex ipsa contra ipsum in faborem nostræ consequentiæ arguebamus *num. antecedent.* Secundò modo est falsa, sed ex hoc non licet contra nos arguere, quia est maxima disparitas; nam subsistens suppositalitèr est incapax om-

Prima.

nis operationis intellectualis, & consequenter Divinæ, ideoque hæc consequentia : *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi : ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*, est falsa, intellecta de subsistente suppositaliter. Ast subsistens personaliter non est incapax omnis beatitudinis, & consequenter nec beatitudinis increatæ, dato, quod incapax non sit sanctitatis increatæ ; ideoque bona est hæc consequentia : *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitacem ad beatificari beatitudine increata.*

66 *Prædicta ratio deducitur ex Ill. Godoy.*

Hæc doctrina, quæ vera est, deducitur ex Ill. Godoy, qui *disput. 21. num. 45.* hæc habet : esse autem Divinitati coniunctum duplicitèr contingere potest, nempè, in vnitate personæ, vt coniungitur cum Deo rationalis natura; & in vnitate suppositi, vt in natura irrationali contingeret: & primò modo affert secum indispensabilitèr sanctitatis effectum ; secus autem secundò modo ; ideoque stare potest capacitas ad esse Deificatum, quod primariò à gratia vnionis præstatur, cum incapacitate ad effectum sanctitatis, qui secundariò provenit ab illa. Ex quibus sic arguo: licèt hæc propositio sit falsa : *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad effectum sanctitatis*; hæc tamen est vera: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad effectum sanctitatis* : ergo licèt hæc propositio sit falsa : *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*; hæc tamen est bona: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina* : ergo hæc etiam erit bona: *Capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.*

Probatur cõsequentia

Probatur hæc consequentia: hæc propositio: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*, est falsa, quia in natura suppositi adest incapacitas ad omnem operationem intellectualem ; & ideò hæc est vera: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina*, quia in natura personæ adest capacitas ad operationem intellectualem ; atqui in natura capaci ad sanctificari adest capacitas ad beatificari : ergo si hæc est bona: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina* ; hæc etiam erit bona : *Capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.*

67 2. *Ratio.*

Secunda ratio ex prima deducta est: quia operari, vel non operari operatione Divina, non provenit à subsistentia, sed à natura, quam connotat, quod fateri debet Ill. Godoy, & fatetur in responsione ; nam ratio, quarè natura irrationalis, etiam si subsisteret subsistentia Divina, non posset operari operatione Divina; benè tamen natura rationalis, non potest provenire à subsistentia ; cum eadem esset : ergo à natura proveniret. Vndè mirum non est, quod etiam si hæc propositio sit vera : *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi*: hæc sit falsa: *Capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina* ; cum natura, quæ capax est subsistendi subsistentia Divina, possit esse incapax operationis Divinæ. Cæterum oppositum contingit in sanctificabilitate, & beatificabilitate, cum capacitas ad vtrumque à natura intellectuali proveniat ; ideoque si hæc propositio est vera : *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari*: hæc etiam sit vera : *Capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.* Stat ergo maxima differentia inter consequentiam Ill. Godoy, & nostram consequentiam.

68 3. *Ratio.*

Tertia ratio est : nam capacitas ad operandum, & capacitas ad subsistendum, non sunt convertibiles, præsertim in doctrina Ill. Godoy: nam licèt hæc sit vera: *Capacitas ad subsistendum arguit capacitatem ad operandum* ; hæc tamen est falsa: *Capacitas ad operandum arguit capacitatem ad subsistendum* ; vt patet in natura accidentali, in qua est capacitas ad operandum sine capacitate ad subsistendum, vt tenet, & probat Ill. Godoy *disput. 18. num. 135. & sequentibus.* Ex quo manifestè retorqueo instantiam ipsius : quod hæc consequentia sit falsa : *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad ope-*

Retorqueo instantiam Ill. Godoy.

ran-

randum: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem ad operandum operatione Divina ; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari : ergo capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina*: ergo nulla est instantia Ill. Godoy.

Probatur antecedens.

Probatur antecedens : quod hæc consequentia sit falsa : *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum : ergo capacitas ad operandum probat capacitatem ad subsistendum*; non tollit, quod hæc consequentia sit bona : *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari : ergo capacitas ad beatificari arguit capacitatem ad sanctificari* ; seu quod idem est : quod capacitas ad subsistendum, & capacitas ad operandum, non sint convertibiles, non tollit, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari, sint convertibiles : ergo quod hæc consequentia sit falsa : *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem ad operandum operatione Divina* ; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari : ergo capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.* Et certè hæc est ratio præcipua, inqua fundatur paritas, qua nitimur, ad probandum, conclusionem suprà positam in opinione Ill. Godoy sustineri non posse, vt diximus *num.* 51.

69

Aliter formatur paritas, & inconsequentia Ill. Godoy ostenditur.

Vltrà dicta tamen de paritate sanctitatis increatæ, aliter contra Ill. Godoy paritatem formo, & inconsequentiam probo : proprietas consequens naturam Divinam convenit de facto alteri naturæ præter Divinã; sed intellectio increata est proprietas consequens naturam Divinam : ergo de facto convenit alteri naturæ præter Divinam: ergo convenit intellectui Christi Domini. Vtraque consequentia est legitima. Minor est notoria, & patet. Primò : nam intellectio increata est ens increatum, à se, & omninò independens, & consequentèr proprietas consequens naturam Divinam. Secundò: quia Æternitas, Immensitas, Omnipotentia, &c. sunt proprietates consequentes naturam Divinam : paritèr etiam increata intellectio. Tertiò denique: nam intellectio increata non est accidens, naturæ Divinæ adveniens: ergo ad minus est proprietas consequens naturam Divinam. Maior, inqua est difficultas, probatur: sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam ; sed sanctitas increata convenit de facto alteri naturæ præter Divinam, nempè, humanitati Christi : ergo proprietas consequens naturam Divinam convenit de facto alteri naturæ præter Divinam. Consequentia est legitima. Minor est doctrina Ill. Godoy *disput.* 21. Maior est manifesta, & claret triplici ratione, qua ostendimus, intellectionem increatam esse proprietatem consequentem naturam Divinã, quod à nullo videtur, posse negari.

§. IV.

Duplici argumento occurritur.

70

Arguit. 1.

COntra nostram conclusionem potest primò objici instantia de subsistentia Divina. Subsistentia namquè Verbi est forma, reddens humanitatem Christi formalitèr subsistentem ; sed hoc facit sine informatione physica, vel identate reali: ergo effectus formalis non exigit necessariò, vel physicam informationem, vel identitatem realem. Respondeo distinguendo maiorem : subsistentia Verbi est forma, reddens per modum termini humanitatem Christi formalitèr subsistentem, concedo maiorem; reddens per modum formæ humanitatem Christi formalitèr subsistentem, nego maiorem ; & concessa minori nego consequentiam; quia hęc est differentia inter formam per modum formæ communicatam, & communicatam per modum termini ; quod hæc sine informatione physica, vel reali identitate tribuit effectum, vt convincit optimè exemplum; illa autem effectũ tribuere nequit absque aliqua istarũ. Et certè, si argumentum vrgeret, conviceret, quod homo posset esse ratiocinans, albus, &c. absque forma physicè informante, vel realitèr identificata, quod est contra omnes, tàm Philosophos, quàm Theologos, ex quo fiat retorsio adversus argumentum, servatis illius terminis.

Respondetur.

Retorque.

Secundò potest objici instantia de Essentia Divina. Essentia enim Divina de facto vnita fuit intellectui Animæ Christi per modum speciei : ergo de

71

Arguit. 2.

facto fuit vnita per modum intellectionis. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est: nam Essentia Divina per modum speciei est compartialis causa cum intellectu, efficienter concurrens ad intellectionē, ad cuius vnionem cum intellectu nec informatio, nec identitas requiritur; ast ad vnionem Essentiæ Divinæ per modum intellectionis cum intellectu, vel informatio, vel identitas est necessaria, & vtrumque repugnat Essentiæ Divinæ sub quocumque conceptu respectu intellectus creati. Hæc solutio sufficienter constat ex dictis *n.* 6. 15. & 16.

Respondetur.

72 *Dices cōtra solutionem.*

Dices contra solutionem: Essentia Divina per modum speciei vnita cum intellectu Christi creato gerit vices speciei impressæ creatæ: ergo ad vnionem illius cum intellectu creato requiritur informatio: ergo ruit solutio. Antecedens est certum, & à nobis in discursu disputationis pluriès repetitum. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: Essentia Divina per modum speciei vnita cum intellectu Christi creato gerit vices speciei impressæ creatæ; sed ad vnionem speciei impressæ creatæ cum intellectu creato requiritur informatio: ergo ad vnionem Essentiæ Divinæ per modum speciei cum intellectu Christi creato requiritur informatio. Probatur minor: ad vnionem speciei impressę creatę cum intellectu creato requiritur inhærentia; sed inhærentia est informatio: ergo ad vnionem speciei impressæ creatæ cum intellectu creato requiritur informatio.

73 *Respondetur.*

Respondeo ad replicam negando primam consequentiam, ad cuius probationem concessa maiori, nego minorem, & ad huius probationem distinguo maiorem: ad vnionem speciei impressæ creatæ, vt accidens est, cum intellectu crea - requiritur inhærentia concedo maiorem; ad vnionem speciei impressæ creatæ, vt est causa partialis simul cum intellectu concurrens ad intellectionem nego maiorem, & concessa minori, distinguo similiter consequens. Sicut enim substantia Angeli per solam assistentiam constituit intellectum in actu primo ad cognitionem sui; ita Essentia Divina constituit intellectum Beati, qui cum Lumine gloriæ non minus proportionatus est cum Deo in esse intelligibili, quam Essentia, & intellectus Angeli.

Hæc solutio est Scoti *in* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 7. §. *ad quæstion.* vbi hæc habet: *Etiam apparet* (scilicet vnio potentiæ ad obiectum sine inhæsione) *ponendo aliquod intelligibile præsens sine specie, illud tamen obiectum est causa partialis; sed istæ duæ causæ partiales aproximatæ absque informatione alterius ab altera per solam aproximationem debitam causant vnum effectum communem.* Hæc Scotus, & anteà dixerat: *Si species posset esse inexistens intellectui absque inhærentia per modum formæ, si isto modo inexistens esset sufficienter coniuncta intellectui, possent istæ duæ causæ partiales species, & intellectus coniunctæ sibi invicem in eandem operationem, in quam modò possunt.* Hæc Scotus.

74 *Solutio est Scoti.*

§. V.

Statuitur secunda conclusio.

75 2. *Conclusio*

SEcunda conclusio: *Implicat, intellectum Animæ Christi per increatam Dei cognitionem intelligere.* Hanc conclusionem statuit Ill. Godoy *num.* 38. ipsamque tenent communiter Theologi, cum quibus nos illam amplectimur. Et reiectis aliorum rationibus, sic eam probat Ill. Godoy *num.* 68: implicat, voluntatem creatam liberè velle per voluntatem liberam Dei, sibi intrinsicè vnitam: ergo implicat etiam, intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem. Antecedens non videtur posse ab aliquo negari: volitio namquè libera debet esse in potestate voluntatis; volitio autem Divina nequit potestati voluntatis creatæ subijci. Consequentia verò probatur primò: nam ideò scientia Dei posset intellectum creatum scientem constituere, quia eminenter continet perfectionem scientiæ creatæ; sed etiam volitio libera increata continet eminenter perfectionem volitionis creatæ liberæ, & hoc non obstante, non potest volentem liberè constituere voluntatem creatam: ergo pariter: non obstante, quod scientia increata perfectionem cognitionis creatę eminenter contineat, implicat, quod intellectum creatum constituat intelligentem. Tùm etiam: nam quod volitio libera debeat voluntati convenire ab intrinseco, non habet ex conceptu liberæ,

Probat cōc. Ill. Godoy.

sed

sed ex conceptu voluntatis, & vitalis; at in hoc secundo convenit cum actuali cognitione ; & in primo cum actu necessario voluntatis : ergo si libera volitio Dei non potest voluntatem creatam liberè volentem constituere, actus necessarius voluntatis Divinæ non poterit voluntatem creatam constituere volentem, nec scientia increata intellectum creatum poterit intelligentem constituere.

76 *Argument. hoc non vrget.*

Hoc tamen argumentum non vrget, vt de simili diximus *n.* 43; nam qui semel asserat ; intellectum creatum posse intelligere intellectione increata, asserere debet, voluntatem creatam posse velle volitione increata ; alioquim inconsequentèr procederet; vndè miror, quod Ill. Godoy dicat: *Antecedens non videtur posse ab aliquo negari.* Imò inconsequentèr procedit ipse Ill. Godoy ad ea, quæ docet *tom. 1. in 1. 2. disput. 4. num. 19.* vbi ad probandum, quod intellectus non possit Deum videre per actum à se non elicitum, vtitur paritate de voluntate, & ait : *Consequentia est ipsis adversarijs nota, qui eodem modo, & absque vllo discrimine de intellectu ; & voluntate locuntur quoad hoc ; quod est, tendere in propria obiecta per motus à se non causatos ; sed tantum acceptos.* Ex quo apparet illius inconsequentia ; nam in præsenti supposito antecedenti de voluntate, consequentiam probat de intellectus, *& tom. cit.* vt consequentiam de intellectu salvet, probat antecedens de voluntate, vt ibi apparet. Quarè in forma potest responderi, negando antecedens, ad eius imbibitam probationem sic distinguenda est maior : volitio libera debet esse in potestate voluntatis, vt illam producat, vel vt per illam in obiectum tendat concedo maiorem; vt illam producat præcisè nego maiorem ; & distinguo minorem : volitio Divina nequit potestati voluntatis creatæ subijci, vt à tali voluntate producatur concedo minorem ; vt voluntas per illam tendat in obiectum nego minorem, & consequentiam.

77 *Ratio solutionis.*

Volitio itaquè dupliciter potest esse libera. Primò causalitèr, vel effectivè, & hoc modo, ita est in potestate voluntatis, vt volitio libera nequeat esse, nisi à voluntate producatur. Secundò formalitèr, & hoc modo non petit à voluntate produci ; cum velle formalitèr, sicut & intelligere formalitèr, non consistat in producere, sed in tendentia in obiectum, vt in libris de anima docuimus cum veriori sententia, quam tenet Scotus *quod lib. 15.* Vndè vt voluntas creata vellit formalitèr volitione liberâ, nullatenùs requiritur, quod volitio libera sit in potestate voluntatis in ordine ad illam producere, sed sufficit; quod sit in potestate voluntatis in ordine ad tendentiam in obiectum, quod volitioni Divinæ respectu voluntatis creatæ non repugnat, attenta Ill. Godoy probatione.

78 *Doctrina est Scoti, & Scotistarũ.*

Hæc est doctrina, quam generalitèr tuentur Scotistæ cum Magistro Subtili, qui *in 1. dist. 3. quæst. 7. Et in 3. dist. 13. quæst. 4. §. ad quæstionem. Et in 4. dist. 49. quæst. 11.* docet : tàm intellectionem, quàm volitionem, (& idem de quacumque operatione vitali) posse à solo Deo produci in nostro intellectu, nostraque voluntate, sine aliquo concursu intellectus, & voluntatis ; per illasque nostrum intellectũ intelligere posse, & nostram voluntatem velle. Quod ostendit maxima ita certa; vt D. Thom. *1. part. quæst. 105. art. 2.* erroneum appellet oppositum. Maxima est hæc: *Quidquid Deus potest facere medijs causis secundis, causantibus in genere causæ efficientis, potest se solo facere, & causare.* Ex qua sumit: atqui Deus medio intellectu, & specie impressa intelligibili causat in genere causæ efficientis intellectionẽ: (idemque de volitione proportione servata) ergo Deus se solo potest producere in nostro intellectu, nostraque voluntate, intellectionem, & volitionẽ.

79 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices pro Ill. Godoy contra hanc doctrinam : generatio, & nutritio nequeunt produci à solo Deo: ergo nec intellectio, & volitio. Respondeo concessò antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est: quod potentiæ generativæ, nutritivæ, & augmentativæ, solum sunt productivæ, & sic earum actus necessariò petunt ab ipsis produci, vt sint vitales; at intellectus, & voluntas non solum sunt productivæ, verum & operativæ, cum post receptionem suorum actuum tendãt in obiectum ; quarè eorum actus necessariò non postulant, vt sint vitales, quod ab ipsis producantur ; sed tantum, quod post receptionem actuum

Respondetur.

tendant in obiectum, quod est formaliter vivere, vt dictum manet.

80 *Probat Ill. God. concl. alia ratione*

Alia etiam ratione probat Ill. Godoy *num.* 69 conclusionem prædictã, quæ sic se habet: implicat; intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem, quin per illam vivat in actu secundo; sed implicat, quod vivat per increatam Dei cognitionem: ergo etiam implicat, quod per illam intelligat. Consecutio est in forma. Maior omnibus manifesta: nam intelligere essentialiter est vivere gradu perfectissimo vitæ: ergo non stat intelligere per aliquam formam, & per illam non vivere.

Minorem probat. 1.

Minor autem ostenditur primò: implicat, naturam Divinam sub conceptu vitæ radicalis naturam creatam radicaliter viventem constituere; aliàs posset lapidi vniri, illumque reddere radicaliter viventem, & vnita materiæ primæ posset compositum rationale, & intellectivum constituere, quod nullus admittet: ergo etiam implicat, quod sub conceptu vitæ actualis constituat intellectum creatum viventem in actu secundo. Patet consequentia: tùm primò à paritate rationis. Tùm etiam: quia actus vitalis alicuius naturæ, cum ab illa suam specificationem desumat, communicari nequit, non communicata natura. Qua ratione vsus est D. Thomàs *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art ic.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 2. *quæst.* 20. *de Veritate, artic.* 1. *in corpore. Et in præsenti artic.* 1. *ad* 1. sumpta ex D. Ambrosio *lib.* 2. *ad Gratianum, cap.* 10. asserente: vbi diversa substantia est, non posse vnam operationem intelligi: ex quo sexta Synodus suprà relata argum entum desumpsit.

81 *Secundò.*

Secundò probat minorem principalem *num.* 70: vivere est habere perfectionem, non solum in se, verum etiam à se; nam in hoc vivens à non vivente differt, quod non vivens habet perfectionem in se, non à se; vivẽs autem habet perfectionem à se, vel per identitatem, qualiter contingit in vivente increato, vel per egressionẽ, qualiter contingit in nobis; sed implicat, intellectum creatum habere à se increatam Dei cognitionem, aut per identitatem, aut per egressionem, cum increata intellectio nequeat cum intellectu creato identificari, aut ab illo dependere: ergo implicat, intellectum creatum vivere per increatam, & Divinam intellectionem.

82 *Argument. non vrget.*

Sed nec hoc argumentum vrget; responderi namquè potest negando minorem, ad cuius primam probationem concessò antecedenti, negatur consequentia. Disparitas est: nam vita radicalis debet realiter saltim identificari cum natura, quam radicaliter viventem constituit; non verò actus vitalis, vt patet in creatis, vbi actus vitalis realiter distinguitur à natura, & consequenter potest communicari, non communicata natura, per quod patet ad probationem consequentiæ, quam adducit Ill. Godoy.

83 *Respondetur ad* 2. *probat. minoris.*

Ad secundam probationem, quæ est fundamentum principale Ill. Godoy, respondetur distinguendo maiorem: vivere productivum est habere perfectionem, non solum in se, verum etiam à se concedo maiorem; vivere operativum nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: ergo implicat, intellectum creatum vivere productivè per increatam, & Divinam intellectionem concedo consequentiam; vivere operativè nego consequentiam, & ex hoc ad probationem imbibitam maioris, ipsam distinguo: in hoc vivens productivum à non vivente differt, quod non vivens habet perfectionem non solum in se, verum etiam à se concedo probationem; in hoc vivens operativum à non vivente differt, nego probationem.

84 *Ratio solutionis.*

Duplex enim est vivens. Vnum productivum, & alterum operativum. Vivens productivum habet perfectionem à se, vel per identitatem, vt contingit in Deo, vel per productionem, vt in nobis contingit, & consequenter vivens productivum differt à non vivente in hoc, quod vivens productivum habet perfectionem à se, & non vivens habet perfectionem in se, & non à se. Vivens autem operativum, qualis est intellectus, & voluntas, non exigit habere perfectionem à se, sed solum habere in se perfectionem, & media illa tendere in obiectum, in quo distinguitur à non vivente, quod licèt habeat in se perfectionem; non tamen media illa tendit in obiectum, vt est manifestum, vt ex dictis *à num.* 76. satis apparet.

85 *Vera cõclus. probatio.*

Vndè his argumentis reiectis, probatur primò nostra, & communis conclusio: intellectio increata nequit

præs-

præstare suum effectum formalem intellectui Christi creato: ergo intellectus Christi creatus nequit intelligere intellectione increata. Probatur antecedens: effectus formalis intellectionis cuiuscumque est reddere intellectum formaliter intelligentem; sed intellectio increata nequit reddere intellectum Christi creatum formaliter intelligentem: ergo intellectio increata nequit præstare suum effectum formalem intellectui Christi creato. Probatur minor: reddere intellectum formaliter intelligentem est effectus formalis præstitus ab intellectione per modum formæ, vt distinguitur ab effectu præstito à forma *per modum termini*; sed intellectio increata nequit *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, præstare intellectui Christi creato effectum formalem intelligendi: ergo intellectio increata nequit reddere intellectum Christi creatum formaliter intelligentem. Probatur minor: omnis effectus formalis præstitus à forma *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, exigit necessario vel physicam informationem, vel realem identitatem cum subiecto; sed vtrumque repugnat intellectioni increatæ respectu intellectus Christi creati: ergo intellectio increata nequit *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*, præstare intellectui Christi creato effectum formalem intelligendi. Minor cum consequentia tenet. Maior autem patet inductione per omnes formas, sivè creatas, sivè Divinas, quæ suum effectum formalem præstent *per modum formæ*, vt distinguitur à ly *per modum termini*.

86 *Probat. 2. ab inconvenienti.*

Probatur secundò ab inconvenienti: si intellectus Christi creatus posset intelligere intellectione increata, intellectus Christi creatus posset comprehendere Deum; sed implicat, intellectum Christi creatum posse comprehendere Deum: ergo implicat, intellectum Christi creatum posse intelligere intellectione increata. Consequentia est legitima. Minor est communis Theologorum consensus, vt videbimus *disput.* 33. Maior autem, inqua solum potest esse difficultas, probatur: si intellectus Christi creatus de facto intellexisset intellectione increata, intellectus Christi creatus de facto Deum comprehendisset: ergo si intellectus Christi creatus posset intelligere intellectione increata, intellectus Christi creatus posset comprehendere Deum. Consequentia est manifesta. Antecedens autem probatum manet per dicta *à numer. 9. vsque ad 44.* & per ibi dicta ad quamlibet solutionem patet instantia.

87 *Conclusio defendi nequit in doctrina Ill. Godoy.*

Quamvis autem conclusio prædicta sit certa, & certissima, & vt talis defendatur ab Ill. Godoy cum tota Thomistarum caterva; videtur tamen in illorum opinione conclusionem prædictam subsistineri non posse. Hoc manifestè apparet ex dictis §. 3. *per totum*, quæ omnia hic applicari debent; sed quia dicta repetere non licet, videantur ibi, & vltrà ibi dicta intentum ostendam sequenti argumento.

88 *Probatur intentum.*

Ostenditur itaque: prædictam conclusionem defendi non posse in doctrina Ill. Godoy, & Thomistarum: vel intellectus creatus est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè, vel ad intellectionem accidentalem logicè tantum? Atqui quodcumque dicat Ill. Godoy, vel est contra ipsum, vel intellectus creatus Christi Domini potest intelligere intellectione increata: ergo hæc conclusio: intellectus Christi creatus non potest intelligere intellectione increata, nequit defendi in ipsius doctrina. Maior est certa. Primò: nam triplex est accidens, scilicèt, physicum, & est quod entitativè est accidens. Methaphysicum, & est omne id, quod non est essentia rei. Et logicum, & est, quod potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione: ergo intellectus creatus vel est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè, vel ad intellectionem accidentalem logicè tantum. Secundò: nam sicut intellectus Divinus est essentialiter determinatus ad intellectionem subsistantialem; ita intellectus creatus est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem; sed accidens vel est physicum, vel methaphysicum, vel logicum: ergo intellectus creatus vel est essentialiter determinatus ad accidentalem intellectionem physicè, & methaphysicè, vel logicè tantum.

89 *Probatur minor.*

Minor autem probanda est per quodcumque, quod dicat Ill. Godoy. Si dicat, quod intellectus creatus est

es-

essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem logicè tantum. Sic contra ipsum insurgo: per te intellectus creatus est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem logicè tantum: ergo intellectus creatus potest intelligere per intellectionem substantialem physicè, & methaphysicè; logicè tantum accidentalem. Consequentia est evidens concesso antecedenti. Infero nunc: ergo intellectus creatus potest intelligere intellectione increata. Probatur hæc consequentia: intellectus creatus potest intelligere per intellectionem substantialem physicè, & methaphysicè, logicè tantum accidentalem; sed increata intellectio est physicè, & methaphysicè substantialis, & respectu intellectus creati esset logicè tantum accidētalis: ergo intellectus creatus potest intelligere intellectione increata.

90 *Intentum prosequitur, & ostēditur* 1.

Si verò ad hoc evitandum, dicat Ill. Godoy, quod intellectus creatus est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè. Sic insurgo contra ipsum. Primò: intellectus creatus non est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè: ergo si hoc dicit Ill. Godoy, contra se dicit. Probatur antecedens: intellectus creatus iuxta ipsum est accidens; sed accidenti non repugnat esse immediatè operativum substantiæ physicè, & methaphysicè iuxta eundem: ergo intellectus creatus non est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè. Præmissæ sunt in doctrina Ill Godoy statutæ. Consequentia probatur: si intellectus essentialiter esset determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè, accidenti repugnaret, esse immediatè operativum substantiæ physicè, & methaphysicè; sed per te accidenti non repugnat, esse immediatè operativum substantiæ physicè, & methaphysicè: ergo intellectus creatus non est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè.

91 *Secundò.*

Insurgo secundò: intellectus creatus est accidens; sed accidens potest recipere effectum formalem substantialem physicè, & methaphysicè: ergo intellectus creatus potest recipere effectum formalem intellectionis substantialis physicè, & methaphysicè: ergo intellectus creatus non est essentialiter determinatus ad intellectionem accidentalem physicè, & methaphysicè. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima ex præmissis. Ex his autem maior est doctrina Ill. Godoy. Restat igitur in minori difficultas. Probatur itaquè minor: corpus in sententia omnium Thomistarum, negantium formam corporeitatis substantialem, nihil aliud est, quam accidens; sed corpus recipit effectum formalem substantialem physicè, & methaphysicè ab anima rationali: ergo accidens potest recipere effectum formalem substantialem physicè, & methaphysicè.

§. VI.

Occurritur cuidam argumento.

92 *Arguitur cōtra concl.*

Argumenta, quæ nobis contra conclusionem objici possunt, facillimè solvuntur ratione posita *num.* 85. quod vt apparet, difficiliùs proponam argumentum. Arguitur contra nostram conclusionem: si vniretur intellectio increata cum creato intellectu Christi, aliquis effectus intellectionis, vt intellectionis, redundaret in intellectu, vt intellectu; sed effectus intellectionis, vt intellectionis, in intellectu, vt intellectu, est intelligere: ergo si vniretur intellectio increata cum intellectu Christi creato, redderet illum intelligentem. Atqui etsi de facto non sit vnita cum intellectu creato, non repugnat vniri: ergo intellectus Christi creatus potest de potentia absoluta intelligere intellectione increata. Maior probatur: quia subsistentia vnitur cum humanitate, aliquis effectus subsistentiæ, vt subsistentiæ, communicatur humanitati; & quia Filij subsistentia vnitur cum humanitate, aliquis effectus Filij, vt Filij, communicatur humanitati: ergo si vniretur intellectio increata cum creato intellectu Christi, aliquis effectus intellectionis redundaret in intellectu, vt intellectu. Probatur consequentia primò: vbi non repugnat vnio rei sub aliquo conceptu, non repugnat effectus communicabilis ratione vnionis, & sub illo conceptu; nam vbi repugnat effectus communicabilis sub aliquo conceptu, repugnat & vnio sub illo conceptu: ergo si in-

tellectio increata vniretur cum intellectu creato Christi, aliquis effectus intellectionis, vt intellectionis, redundaret in intellectu, vt intellectu. Probatur secundò consequentia: non potest esse vnio in subiecto, quin det subiecto suum effectum, scilicèt, esse vnitum: ergo non potest esse forma aliqua vnita, quin det in ratione formæ aliquem effectum formalem subiecto: ergo intellectio increata nequit vniri in intellectu creato, quin præstet in linea intelligendi aliquem effectum.

93 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: si vniretur intellectio increata cum creato intellectu Christi, vnione sufficienti, vt aliquis effectus intellectionis, vt intellectionis, redundaret in intellectu, vt intellectu, aliquis effectus intellectionis, vt intellectionis, redundaret in intellectu, vt intellectu concedo maiorem; si vniretur vnione insufficienti nego maiorem; & omissa minori, distinguo similiter consequēs. Omitto sussumptam, & nego consequentiam. Ratio est: nam vt intellectio increata tribuat intellectui creato effectum intellectionis, vt intellectionis, seu effectum intelligendi (quod pro eodem vsurpatur in argumento) non sufficit quælibet vnio, sed necessario exigitur vnio vel per informationem, vel per identitatem, vt ostendimus *numer.* 85. Cum igitur hoc repugnet, numquam sequitur, quod intellectio increata possit reddere intellectum creatum intelligentem, adhuc omisso, quod possit vniri cum intellectu creato, & quod effectus intellectionis, vt intellectionis, sit intelligere.

94 *Firmatur solutio.* Solutio est manifesta, & his patet exemplis. Primum est: nam etiam si Verbum immediatè vniretur accidenti, v.g. albedini, quod esse possibile, diximus *disput.* 18. §. 3. albedo non tribueret Verbo suum effectum formalem, scilicèt, esse album; quia non vniretur ipsi vnione sufficienti, vt illud album denominaret. Secundum est: nam etiam si Verbum immediatè vniretur intellectioni creatæ, intellectio creata non tribueret Verbo suum effectum formalem, scilicèt, esse intelligentem, quia non vniretur ipsi vnione sufficienti, vt illud intelligentem denominaret. Ratio vtriusque exempli constabit retorsionibus, quas cum ipsis contra argumentum formabimus.

95 *Retorqueo 1. argum.* Retorqueo itaquè primò argumentum: si Verbum vniretur cum albedine, aliquis effectus albedinis, vt albedinis, redundaret in Verbo; sed effectus albedinis, vt albenidis, est reddere album: ergo si Verbum vniretur cum albedine, albedo redderet illud album, quod est apud omnes falsum.

Secundò. Retorqueo secundò: si Verbum vniretur cum intellectione creata, aliquis effectus intellectionis, vt intellectionis, redundaret in Verbo; sed effectus intellectionis, vt intellectionis, est intelligere: ergo si Verbum vniretur cum intellectione creata, intellectio creata redderet Verbum intelligentē, quod etiam est apud omnes falsum.

96 *Ratio vtriusque retorsionis.* Ratio autem vtriusque exempli, vtriusque que retorsionis ex ipsis contra argumentum factæ, est: data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec albedo, nec intellectio creata tribuerent Verbo suos effectus formales: ergo non sufficit quælibet vnio ad hoc, vt forma præstet subiecto suum effectum formalem: ergo vera est nostra ad argumentum solutio. Probatur antecedens: data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec albedo, nec intellectio creata prędicarentur de Verbo: ergo data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec albedo, nec intellectio creata tribueret Verbo suos effectus formales. Probatur antecedens: data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec in concreto, nec in abstracto prædicarentur de Verbo albedo, & creata intellectio: ergo data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec albedo, nec intellectio creata prædicarentur de Verbo. Probatur antecedens: prædicatio in abstracto petit identitatem prædicati cum subiecto; & prædicatio accidentis in concreto petit informationem; sed vtrumque repugnat Verbo Divino respectu albedinis, & intellectionis creatæ: ergo data vnione Verbi Divini cum albedine, & cum intellectione creata, nec in concreto, nec in abstracto prædicarentur de Verbo albedo, & creata intellectio. Minor, & consequentia tenent. Maior autem pro prima parte est notoria.

Pro secunda autem probatur: concreta accidentalia non denominant, nisi ratione informationis, ideoque dixit Scotus *in 3. dist. 22. in fine*: sola sustentatio non sufficit: ergo prædicatio accidentis in concreto petit informationem.

97 Quomodo autem albedo, & intellectio (idemque de quolibet alio accidente) denominarent Verbum Divinum, data vnione Verbi Divini cum illis, iam diximus *disput. 18. num. 90.* scilicèt, quod Verbum denominarent solum in obliquo, sicque data prædicta vnione, Verbum non diceretur album, sed habens albedinem; non diceretur intelligens, sed habens intellectionem. Quam doctrinam fatetur Ill. Godoy *in præsenti num. 150.* prætermissa sententia, quod Deus sibi albedinem, & intellectionem assumeret, & in illis subsisteret; licèt talis vnio, vel assumptio sit apud ipsum impossibilis, cuius oppositum adversus illum propugnavimus *disput. 18. §. 3. 4. & 5.*

§. VII.

Statuitur tertia conclusio.

98 3. *Conclusio* *Probatur.* *Dato, non implicare contradictionem, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, negandum est, de facto intellectum Animæ Christi per illam intellexisse.* De hac conclusione nihil apud Theologos invenio, estque contra Ill. Godoy *num. 155.* Sed (meo iudicio) colligitur ex communi illorum doctrina, nempè, Christo concedendum esse, quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involvatur, aut aliquod sequatur inconveniens, quo circa ab illo relegavimus *disp. 21.* duplicem sanctitatem substantialem, scilicèt; à gratia vnionis, & accidentalem à gratia habituali, quia in aliqua illarum seorsim, & in vtraque simul aliqua repugnantia invenitur, vel aliquod ex illis inconveniens sequitur; atqui licèt maximæ dignitatis esset, humanitatem Christi esse Divina intellectione sibi vnita sapiens, ex hoc autem aliqua repugnantia, aliquod vè inconveniens sequitur: ergo adhuc concesso, non implicare contradictionem, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens; negandum est, de facto intellectum Animę Christi per illam intellexisse.

99 Maior cum consequentia tenet. Minor pro prima parte est certa. Pro secunda, in qua stat tota difficultas, probatur: ex eo, quod humanitas Christi esset Divina intellectione sibi vnita sapiens, sequeretur, humanitatem Christi non intellexisse per intellectionem creatam; sed hoc est implicatorium, aliquod vè inconveniens: ergo ex eo, quod humanitas Christi esset Divina intellectione sibi vnita sapiens, aliqua repugnantia, aliquod vè inconveniens sequitur. Consequentia est legitima. Minor patet: nam implicatorium, & inconveniens est, humanitatem Christi non habuisse de facto, quod de fide certum est, de facto habuisse; sed est de fide certum, humanitatem Christi de facto intellexisse per intellectionem creatam, vt fatetur Ill. Godoy *num. 172.* & nos cum ipso statuemus conclusione sequenti: ergo humanitatem Christi non intellexisse per intellectionem creatam, implicatorium est, aliquod vè inconveniens. *Probatur minor.*

100 Minor verò, quam negat Ill. Godoy, fusè à nobis ostendetur *§. sequenti*; pro nunc autem per oppositum ad Ill. Godoy probatur: ex eo, quod humanitas Christi esset Divina sanctitate sibi vnita Sancta, sequeretur, humanitatem Christi non esse Sanctam per sanctitatem creatam: ergo pariter: ex eo, quod humanitas Christi esset Divina intellectione sibi vnita sapiēs, sequeretur, humanitatem Christi non intellexisse per intellectionem creatam. Consequentia ita efficax est contra Ill. Godoy, vt tota ratio, qua probat suam conclusionem, nostræ contradictoriè oppositam, sit paritas de sanctitate, vltrà quod proprio loco, scilicèt, *§. sequenti* eam probabimus. Antecedens autem latè à nobis manet probatum *disput. 21. à numer. 28. & sequentibus.* *Probatur maior.*

101 Contra nostram conclusionem ratione, & paritate, per oppositum arguit Ill. Godoy *num. 155.*: Christo concedendum est, quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involvatur: quo circa duplicem sanctitatem recognoscunt in illo, substantialem, scilicèt, à Deitate, & accidentalem à gratia habituali, quia in nulla illarum seorsim, nec in vtraque simul, aliqua repugnantia invenitur; sed humanitatem Christi esse Divina intellectione sibi vnita sapientem, *Arguit Ill. Godoy.*

dig-

dignitatis maximæ est: ergo concesso, nullā in hoc contradictionē involvi, asserendum est, de facto evenisse.

102 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum concedendo totum, excepta falsitate duplicis sanctitatis. Sed nego, quod asserere, intellectum Christi creatum intelligere de facto intellectione increata, possibilitate adhuc supposita, non involvit contradictionem, vt ex nostra claret probatione. Nec paritas de duplici sanctitate, creata, scilicèt, & increata, vim facit, quia ita falsum est, quod Christi humanitas sit de facto Sancta duplici illa sanctitate, ac est falsum, quod intellectus Christi creatus intelligat de facto intellectione creata, & increata, supposita adhuc possibilitate in humanitate Christi ad sanctificari sanctitate increata, & in intellectu Christi creato ad intelligere intellectione increata. Hoc, & non aliud, est fundamentum Ill. Godoy, de qua nihil apud Theologos invenisse fatetur *num.* 155. Et hoc per oppositum est nostrum fundamentum, quod firmius videtur ex dictis *disput.* 21. *citat.* & per dicenda §. *sequenti* clarebit.

§. VIII.

Statuitur quarta conclusio.

103 *4. Conclusio* VLtima conclusio sit: *De facto humanitas Christi fuit sapiens per sapientiam creatam, per quam sapiens non esset, si intellexisset per intellectionem Divinam.* Hæc conclusio pro secunda parte est contra Ill. Godoy *numer.* 172. Pro prima autem est certa secundum fidem in communi Theologorū sententia. Et in primis, quod humanitas Christi fuit sapiens per sapientiam creatam, probatur testimonijs Scripturæ: Ioann. 8: *Scio eum, & sermonem eius servo.* Ioan. *cap.* 13. *Sciens Iesvs, quia venit hora eius.* Matth. *cap.* 22. *Cognita Iesvs nequitia eorum.* Ad Hebræos *cap.* 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Matth. *cap.* 26. *Tristis est anima mea.* Et *cap.* 8. dicitur, Iesum fuisse miratum. Et Ioann. 11. dicitur, ipsum orasse.

1. Pars probatur testimonijs Scripturæ.

104 *Sensus horum testim. proponitur.* In quibus testimonijs fieri sermonem de Christo, vt homine, constat primò: quia vt homo, mandata servabat; de eodem autem scivisse dicitur, de quo mandata servasse. Secundò: nam admiratio, & oratio, quæ sunt actus intellectus, non possunt Christo, vt Deo, convenire: discere etiā Christo ratione Divinitatis repugnat; sed non possunt prædicta testimonia explicari de cognitione increata; tùm, quia humanitatem intelligere per illam, repugnat. Tùm etiam, quia discere denotat experimentalem cognitionem, idest, per experientiam acquisitam; sic autem acquiri, Divinæ cognitioni repugnat. Tùm tertiò, quia oratio est actus liber intellectus; implicat autem omninò, per actum increatum liberè intelligere humanitatem. Tùm deniquè; nam admiratio est cognitio effectus, non cognita causa; cognitio autem increata ad effectum præcissivè à causa terminari non potest: ergo Christus, vt homo, habuit intellectionem creatam.

105 *Esse de fide probatur.* Quod autem sit de fide, quod humanitas Christi fuit de facto sapiens per sapientiam creatam, probatur ex Agathone Papa *in Epist. Synodali*, quæ refertur *in sexta Synodo, act.* 4. *& in* 8. suscipitur: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent: duas naturas eius prædicamus, & vnam quamque proprietates naturales habere confitemur, Divinam omnia, quæ Divina, humanam omnia, quæ humana sunt absque vllo peccato.* Idemque *inferiùs* repetit, referens in hanc sententiam Concilium Calcedonense *act.* 5. Id ipsum habetur *in quinta Synodo, collatione* 8. *Canone* 7. Et in Concilio Lateranensi sub Martino I. *Canone* 9. vbi dicitur: fuisse proprietates humanitatis in Christo indiminutè, & sine deminoratione. Quæ verba, cum vniversalia sint, non solum duas voluntates, duasque volitiones, sed etiam duos intellectus, & scientias, creatam, scilicet, & increatam, sub se comprehendunt; ac proindè fuisse creatam scientiam in Christo est immediatè de fide; aliàs non omnia fuissent in Christo duplicia, nec natura humana in Christo omnia haberet, quæ pertinent ad humanam naturam.

106 *Suadetur ratione D. Thom.* Ratione deniquè D. Thom. *in præsenti artic.* 1. ostendit Ill. Godoy *num.* 188. primam partem conclusionis: nam congruum fuit, vt Verbum humanam naturam assumens illam perfectam assumeret; sed humanitas sine actu intelligendi creato foret imperfecta: ergo assumpsit humanitatem, non solum cum intellectu, sed etiam cum creata intellectione. Illatio est le-

gi-

gitima. Maior certa, & minorem probat D. Thomas primò: nam omne, quod est in potentia, imperfectum est, si non reducatur ad actum; sed natura humana est in potentia ad intellectionem creatam: ergo imperfecta foret sine illa. Secundò: nam potentia suo fine frustrata imperfecta est; sed intellectus Christi est propter intellectionem creatam, vt finem; omnis enim potentia est propter suam operationem: ergo sine intellectione foret imperfectus. Si quæras: an hæc ratio D. Thom. demonstrativa sit? Respondet Ill. God. *num.* 189. quod non; posset enim Deus statuere, quod Verbum humanitatem assumeret sine omni operatione creata; licèt enim congruum sit, humanitatem perfectam assumere, necessarium tamen non est, nisi perfectio sit essentialis; ac proindè ratio D. Thomæ demonstrativa non est.

Hæc ratio non est demõstrativa

107 Secunda pars conclusionis, nempè, quod si humanitas Christi intellexisset per Divinam intellectionem, non intellexisset per creatam, probata manet §. *antecedenti* paritate sanctitatis, quæ in nostra sententia vera est; sed quia hoc negat Ill. Godoy, probanda venit conclusio contra ipsum, & ante probationes supponamus (brevitatis, & claritatis gratia) quod intellectus Christi creatus intellexit de facto per intellectionem Divinam, quod est in conclusione suppositum. Hoc itaquè supposito.

108 *Probat. 1. 2. pars conclusionis.* Probatur primò secunda pars conclusionis: intellectus Christi creatus intellexit intellectione increata: ergo intellectus Christi creatus non intellexit intellectione creata: ergo intellectus Christi creatus non esset sapiens per sapientiam creatam, si intellexisset per intellectionem Divinam. Antecedens supponitur in conclusione. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: intellectus Christi creatus non potest intelligere intellectione increata, & creata intellectione; sed intellectus Christi creatus intellexit iuxta concessa intellectione increata: ergo intellectus Christi creatus non intellexit intellectione creata. Probatur maior: tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem increatam, & si potest, expletur; sed expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, intellectus Christi creatus non potest intellectione creata intelligere: ergo intellectus Christi creatus non potest intelligere intellectione increata, & creata intellectione. Consequentia est ex præmissis legitimè illata. Præmissæ verò sunt probandæ.

109 *Maior quoad 1. p. probatur.* Probatur itaque maior quoad primam partem primò: tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligere non excedit virtutem intellectionis increatæ: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem increatam. Probatur antecedens: virtus intellectionis increatæ est virtus intellectionis infinitæ; sed tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum non excedit virtutem intellectionis infinitæ: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligere non excedit virtutem intellectionis increatæ. *Primò.*

Secundò. Probatur secundò eadem pars maioris: intellectus Christi creatus, intelligens per intellectionem increatam, est infinitè intelligens; sed tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem infinitam: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expleri potest per intellectionem increatam. Consequentia est legitima. Minor certa; nam tota capacitas intellectus Divini in ordine ad intelligere expletur per intellectionem increatam: ergo multo melius tota capacitas intellectus Christi creati. Maior verò probata manet §. 2. *per totum.*

110 *2. Pars probatur. 1.* Ex his facilitèr suadetur secunda pars maioris prædictæ, & primò sic: intellectio increata (suppositione facta) cõmunicaretur intellectui Christi creato, quantum posset communicari: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expletur per intellectionem increatam. Antecedens patet *ex dictis* §. 2. Consequentia est legitima; alioquin tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum non posset expleri per intellectionem increatam, cuius oppositum manet probatum. Secundò suadetur eadem *Secundò.*

pars

pars maioris: intellectio increata est infinita; sed tota capacitas intellectus creati Christi in ordine ad intelligendum expletur per intellectionem infinitam: ergo tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum expletur per intellectionem increatam. Præmissæ sunt certæ, & consequentia eadem gaudet veritate, ac consequentia præcedens. Suadetur

Tertiò. tertiò ad hominem contra Ill. Godoy: dato, non implicare contradictionem, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, asserendum est, de facto intellectum Animæ Christi per illam intellexisse: ergo dato, quod tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum posset expleri per intellectionem increatam, asserendum est, de facto sic expleri. Antecedens est conclusio, quam statuit Ill. God. *num.* 155. Consequentia est à paritate notoria.

111 *Minor suprà positi syllogismi sic probari potest.* Minor verò suprà positi syllogismi sic probari potest: si expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posset intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam, idem effectus posset à duplici forma, vel causa procedere; sed hoc est falsum: ergo expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, intellectus Christi creatus non potest intelligere per intellectionem creatam. Probatur maior: si expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posset intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam, intellectus Christi creatus esset intelligens duplici intellectione, nempè, creata, & increata intellectione: ergo si expleta tota capacitate intellectus creati Christi in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posset intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatã, idem effectus posset à duplici forma, vel causa procedere.

112 *Si dicas pro Ill. Godoy.* Si dicas pro Ill. Godoy: prædictum inconveniens non sequi; nam in intellectu Christi creato esset duplex intelligere, quorum vnum ab vna, & aliud ab alia intellectione procederet.

Contra. Contra: nam sic respondendo, defendi potest, quod expleta tota capacitate materiæ per vnam formam, posset per aliam informari; non enim sequeretur, quod idem effectus proveniret à duplici forma; esset namquè in materia duplex informatio, quarum vna ab vna, & alia ab alia forma proveniret; atqui hoc est falsum in sententia Ill. Godoy: ergo nulla est solutio pro illo allata.

113 *Melior minoris probatio.* Sed quidquid sit de hac probatione, melius à nobis minor prædicta probatur: implicat, quod expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posit intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam: ergo expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, intellectus Christi creatus non potest intelligere per intellectionem creatam. Antecedens probatur: si expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posset intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam, sequeretur hæc contradictio, scilicèt, quod tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum esset expleta, & non esset expleta; atqui hoc nequit concedi: ergo implicat, quod expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posit intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: in primis esset expleta, vt supponitur. Deindè non esset expleta; quia esset capacitas ad intelligendum per intellectionem creatam, vt est evidens; supponitur namquè intelligere per creatam intellectionem, quod necessariò supponit capacitatem ad intelligendum per illam: ergo si expleta tota capacitate intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum per intellectionem increatam, posset intellectus Christi creatus intelligere per intellectionem creatam, sequeretur contradictio, scilicèt, quod tota capacitas intellectus Christi creati in ordine ad intelligendum esset expleta, & non esset expleta.

114 *Probat. 2. concl. quoad 2. part.* Probatur secundò conclusio quoad secundam partem: humanitas Christi intelligens per intellectionem increa-

tam, nequit simul intelligere per intellectionem creatam; sed in suppositione facta humanitas Christi intelligeret per intellectionem increatam: ergo in hac suppositione humanitas Christi non intelligeret per creatam intellectionem. Probatur maior: humanitas Christi subsistens per subsistentiam increatam, nequit subsistere per subsistentiam creatam: ergo pariter: humanitas Christi intelligens per intellectionem increatam, nequit intelligere simul per intellectionem creatam.

115 *Respondet Ill. Godoy.*

Hoc argumentum insinuat Ill. Godoy *num.* 156. & pro solutione se remittit ad *disputationem* 19. Hæc enim sunt verba illius: *Ratio autem, cur repugnat simultanea terminatio creatæ, & increatæ subsistentiæ, alterius est loci. Videantur Theologi suprà quæstionem* 4. *artic.* 2. *vbi & nos disputatione* 19. *fusè illam examinavimus.* Ratio verò, quam adducit Ill. Godoy dicta *disputatione* 19. pro repugnantia simultaneæ terminationis creatæ, & increatæ subsistentiæ, est, quam *disput. citat. numer.* 31. deducit ex Caietano, nempè, quod natura creata cum propria personalitate adæquatur intensivè, & extensivè.

116 *Impugnatur solutio Ill. Godoy, omissa illius falsitate.*

Sed vltrà falsitatem huius doctrinę, quam nos fusè ostendimus *disput.* 19. *à num.* 10. *vsque ad num.* 35. solutionem admitto, & contra Ill. Godoy insurgo: natura creata nequit simul terminari subsistentia creata, & increata: ergo natura creata nequit simul intelligere intellectione creata, & increata. Probatur consequentia: ideò natura creata nequit simul terminari subsistentia creata, & increata, quia natura creata in ordine ad subsistendum adæquatur intensivè, & extensivè cum propria personalitate; atqui natura creata in ordine ad intelligere adęquatur intensivè, & extensivè cum intellectione increata: ergo natura creata nequit simul intelligere intellectione creata, & increata. Consequentia est legitima. Maior est solutio Ill. Godoy. Minor verò probatur: non minus adæquatur natura creata in ordine ad intelligere cum intellectione increata, ac adæquatur in ordine ad subsistendum cum subsistentia creata; sed natura creata in ordine ad subsistendum adæquatur intensivè, & extensivè cum creata subsistentia: ergo natura creata in ordine ad intelligere adæquatur intensivè, & extensivè cum intellectione increata. Minor cum consequentia tenet ad hominem contra Ill. Godoy.

117 *Firmatur impugnatio*

Maior autem, inqua vnicè potest esse difficultas, videtur innegabilis; si enim natura creata in ordine ad subsistendum adæquatur intensivè, & extensivè cum creata subsistentia; cur (quæso) natura creata in ordine ad intelligere non adæquabitur intensivè, & extensivè cum intellectione increata? Difficile certè videtur. Primò: nam intellectio increata in ordine ad intelligendum infinitè excedit subsistentiam creatam in ordine ad subsistere. Secundò: quia intellectio increata in ordine ad intelligendum intellectionem superiorem non agnoscit; creata verò subsistentia superiorem subsistentiam habet in ordine ad subsistere, vt est manifestum. Vndè tam longè abest, vt solutio Ill. Godoy minuat efficatiam nostræ rationis, quod potius sit efficax nostræ conclusionis probatio.

118 *Probat. 3. conclusio.*

Probatur tertiò conclusio: posita intellectione increata, intellectum Christi creatum intelligentem constituente, frustrà ponitur intellectio creata in intellectu Christi creato: ergo si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, non intelligeret creata intellectione. Probatur antecedens: quandocumque forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr formam inferiorem, & effectum illius, frustrà forma inferior ponitur cum forma superiori; sed intellectio increata est intellectio superior, continens eminentèr, vel virtualitèr intellectionem creatam, & effectum illius: ergo posita intellectione increata, intellectum Christi creatum intelligentem constituente, frustrà ponitur intellectio creata in intellectu Christi creato. Consequentia est legitima. Præmissę autē sunt probandę.

119 *Probatur maior.*

Probatur itaquè maior: quandocumque forma superior continet eminentèr, vel virtualitèr inferiorem, & effectum illius, quidquid habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo; sed quandocumque id, quod habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo, frustrà inferior ponitur cum superiori: ergo quandocumque forma superior continet eminen-

tèr,

tèr, vel virtualitèr inferiorem, & effectum illius, frustrà inferior ponitur cum superiori. Consequentia infertur. Maior patet in anima rationali; hæc enim est forma superior, continens eminentèr, vel virtualitèr vegetativam, & sensitivam; ideòque quidquid habetur per istas, præstatur ab illa, & excellentiori modo. Minor verò eadem patitate probatur: nam ideò in homine frustrà ponerentur anima vegetativa, & sensitiva cum anima rationali, quia quidquid habetur per illas, præstatur ab anima rationali, & excellentiori modo: ergo quandocumque id, quod habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo, frustrà inferior ponitur cum superiori. Consequentia est legitima. Antecedens autem est communis omnium sententia.

120 *Minor probatur.* Minor syllogismi prædicti probatur: intellectio increata est intellectio substantialis, Divina, & imparticipata; creata verò intellectio est intellectio accidentalis, finita, & participata: ergo intellectio increata est intellectio superior, continens eminentèr, vel virtualitèr intellectionem creatam. Atqui intellectio increata continet etiã eminentèr, vel virtualitèr effectum intellectionis creatæ: ergo intellectio increata est intellectio superior continens eminentèr, vel virtualitèr intellectionem creatam, & illius effectum. Antecedens cum consequentia claret. Sumpta probatur: effectus intellectionis creatæ est reddere intellectum intelligentem (& si alius est, de eo fiat idem argumentum) sed suppositione facta, intellectio increata redderet intellectum Christi creatum intelligentem: ergo intellectio increata continet eminentèr, vel virtualitèr effectũ intellectionis creatæ. Præmissæ constant. Consequentia patet: nam intellectio increata non posset reddere intellectum Christi creatum intelligentem, quin eminentèr, vel virtualitèr intellectionem creatam contineret, vt claret in subsistentia Divina respectu creatæ, & in anima rationali respectu vegetativæ, & sensitivę: ergo intellectio increata continet eminentèr, vel virtualitèr effectum creatæ intellectionis.

121 *Respõdebit Ill. Godoy.* Hanc probationem sibi non obiecit Ill. Godoy, nec ex ab ipso in præsenti traditis invenio, quid ad eam respondere valeat, nisi recurrendo ad rationem suæ conclusionis, scilicèt, quod si humanitas Christi non intellexisset per intellectionem creatam dato, quod per increatam intellectionem intellexisset, humanitas Christi esset imperfecta, vtpotè, carens perfectione, ad quam est in potentia naturali. Hic tamen recursus, nec pro probatione conclusionis Ill. Godoy, subsistineri valet, vt ex solutione illius §. *sequenti* clarebit; nec pro solutione nostræ rationis valere potest, quod ostendo sequentibus impugnationibus.

122 *Reijcitur. solutio.* Reijcitur primò solutio: humanitas Christi, intelligens intellectione increata, non esset imperfecta sine cognitione creata, etiam si sit in potentia naturali ad illam: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: humanitas Christi, intelligens intellectione increata, haberet expletam totam capacitatem in ordine ad intelligendum: ergo humanitas Christi, intelligens intellectione increata, non esset imperfecta sine cognitione creata, etiam si sit in potentia naturali ad illam. Antecedens constat ex dictis *num.* 108 & 109. Consequentia verò probatur: materia prima informata qualibet forma, qua expleatur tota illius capacitas in ordine ad informari, non est imperfecta sine alia forma, ad quam est in potentia naturali; sed humanitas Christi, intelligens intellectione increata, haberet expletam totam capacitatem in ordine ad intelligendũ: ergo humanitas Christi, intelligens intellectione increata, non esset imperfecta sine cognitione creata, etiam si ad illam sit in potentia naturali. Consequentia est legitima. Minor concessa, & Maior communis Philosophorum doctrina.

123 *Reijcitur 2.* Reijcitur secundò allata solutio: humanitas Christi, intelligens intellectione increata, intelligeret intellectione superiori continente eminentèr, vel virtualitèr intellectionem creatam, & eius effectum: ergo humanitas Christi, intelligens intellectione increata, non foret imperfecta sine cognitione creata: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Antecedens probatum manet *num.* 120. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: humanitas Christi, intelligens intellectione increata, continente eminentèr, vel virtualitèr intellec-

tionem creatam, & eius effectum, haberet per illam quidquid per creatā intellectionem habere posit, & excellētiori modo: ergo humanitas Christi, intelligens intellectione increata, imperfecta non foret sine cognitione creata. Antecedens patet; nam quandocumque forma superior continet eminenter, aut virtualitèr formā inferiorem, & effectum illius, quidquid habetur per inferiorem, præstatur à superiori, & excellentiori modo, vt claret in anima rationali, quæ quia est forma superior, continens eminenter, vel virtualitèr vegetativam, & sensitivam, quidquid habetur per istas, præstatur ab illa, & excellentiori modo, quin ob hoc homo sit imperfectus sine anima vegetativa, & sensitiva, quod exemplum est manifesta consequentiæ probatio.

124 *Reijcitur 3.* Reijcitur tertiò prædicta solutio: humanitas Christi, subsistens subsistentia increata, non est imperfecta sine creata subsistentia: ergo patitèr: humanitas Christi, intelligens intellectione increata, non foret imperfecta sine cognitione creata: ergo ruit solutio Ill. Godoy.

125 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc paritatem potest respondere Ill. Godoy doctrina ab ipso tradita *tom. 2. in 1. part. disput. 45. n. 101.* negando, scilicèt, paritatem, cuius disparitas est: nā in communi Theologorum sententia non datur in humanitate Christi, terminata subsistentia Verbi, appetitus innatus propriæ personalitatis; aliàs esset in statu violento, illa carens, & hoc ideò, quia licèt non habeatur, nec possideatur formalitèr; possidetur tamen, & habetur eminentèr in subsistentia Verbi. Hæc sunt verba Ill. Godoy. *cit.* Ast in humanitate Christi, adhuc per increatam intellectionem intelligente, esset potentia naturalis, seu naturalis appetitus ad intellectionē creatam, & consequentèr sine cognitione creata foret imperfecta, vtpotè, carens perfectione, ad quam est in potentia naturali. Quod tenet Ill. Godoy *in præsenti num.* 190.

126 *Solutio hæc plura falsa continet.* Hæc tamen solutio plura falsa continet. Primò namque falsū est, quod in communi Theologorum sententia non detur in humanitate Christi, terminata subsistentia Verbi, appetitus innatus propriæ personalitatis; nā dari talem appetitum, tuentur omnes Scotistæ tenentes: personalitatē esse quid positivum, & ferè omnes, qui dicunt esse quid negativum. Eandem sententiam tuentur plures ex Societate, pro quibus sufficiant Suarius, Vasquius, & Hurtado. Denique ex Schola Ill. Godoy prædictam sententiam defendunt Caietanus, Medina, Alvarez, & alij. Si ergo Theologi ex omni Schola graviores, & plures hāc sententiā tuentur, vndè stant Theologi per oppositam, qui communem sententiam inter Theologos constituant? Falsum igitur est, quod ait Ill. Godoy in sua solutione.

127 Secundò falsum est, quod pro ratione tradit, scilicèt, quod si esset talis appetitus in humanitate Christi, esset violenta; hoc enim negant omnes Authores relati, & varijs rationibus relictis, duplex potest esse ratio. Prima: quia illa carētia propriè personalitatis provenit à personalitate Verbi, quæ est forma, quæ non minùs perfectè, imò perfectiùs, quam propria personalitas, actu, & formalitèr præstat effectum, quem illa præstaret. Hoc explicatur exemplo materiæ primæ, quæ licèt appetitu innato appetat formam, qua caret, non est in statu violento, si semel informata est aliqua forma, etsi minùs perfecta, quam forma, qua caret: potiori ergo ratione in humanitate Christi, vtpotè, perfectiori forma subsistens.

128 Secunda ratio est: nam licèt posset dici, humanitatem Christi in Verbo esse violentam secundum appetitum innatum, non tamen secundum appetitum elicitum, secundum quem vult, quod melius est, vt est, esse in Verbo, & cum iste appetitus perfectior sit, quam innatus, dicendum est, quod simpliciter humanitas non est violenta, licèt posit dici, esse violentam secundum quid; sicut, si homo nollens, præcipitaretur, talis motus diceretur simpliciter, & absolutè violentus homini, quia esset contra appetitum elicitum hominis, & dicitur secundū quid naturalis, quia est iuxta naturalem eius gravitatem, quo modo loquendi vtitur Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 14. litt. K.* loquens de gravitate corporis glorioſi, *& in 2. dist. 29. litt. C.* loquens de effectibus iustitiæ originalis.

129 *Refellitur solutio Ill. Godoy.* His ergo, vt falsis, ostensis, facilitèr refellitur solutio Ill. Godoy: nam

iux-

Primò. iuxta ipsum non datur in humanitate Christi, terminata subsistentia Verbi, appetitus innatus propriæ personalitatis: ergo nec datur in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam, appetitus innatus intellectionis creatæ. Probatur consequentia: ideò iuxta Ill. Godoy non datur in humanitate Christi, terminata subsistentia Verbi, appetitus innatus propriæ personalitatis, quia licèt propria personalitas non habeatur, nec possideatur formaliter; possidetur tamen, & habetur eminentèr in subsistentia Verbi; atqui licèt creata intellectio non habeatur, nec possideatur formaliter; possidetur tamen, & habetur eminentèr in intellectione increata: ergo nec datur in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam, appetitus innatus intellectionis creatæ. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Ill. Godoy. Minor verò est notoria; nulla enim potest esse ratio, vt subsistentia creata eminentèr contineatur in subsistentia Divina, quæ non convincat, quod intellectio creata eminentèr contineatur in intellectione increata.

130 *Refellit. 2.* Refellitur secundò dicta solutio Ill. Godoy: humanitas Christi, intelligens intellectione increata, esset in potentia naturali ad intellectionem creatam: ergo etsi humanitas Christi infinitè intelligeret per intellectionē increatam, esset in potentia naturali ad intellectionem creatam: ergo etsi humanitas Christi infinitè intelligeret per intellectionem increatam, intelligeret per creatam intellectionē. Antecedens est solutio Ill. Godoy, & ratio suæ conclusionis. Consequentia secunda infertur. Prima verò constat paritate sanctitatis; nam si humanitas Christi, quæ Sancta est sanctitate increata, est in potentia naturali ad sanctitatem creatam, etiam humanitas infinitè Sancta sanctitate increata, est in potentia naturali ad sanctitatem creatam, vt tenet Ill. Godoy *disput.* 21. vtramque sanctitatem humanitati Christi concedens. Infero nunc: ergo humanitas Christi esset magis intelligens; quam Deus, quod est omnino absurdum, & repugnans. Probatur hæc consequentia: si humanitas Christi infinitè intelligens per intellectionem increatam, intelligeret etiam per creatam intellectionem, humanitas Christi esset intelligens duplici intellectione, scilicèt, creata, & increata; atqui Deus vnica tantum intellectione, scilicèt, increata, esset intelligens: ergo humanitas Christi esset magis intelligens, quam Deus.

131 *Si respondeas.* Nec dicere valet, quod in hypotesi facta humanitas Christi esset magis intelligens, quam Deus extensivè; non verò intensivè. Nam in contrarium obstat: humanitas Christi per te esset magis intelligens extensivè, quā Deus: ergo absolutè dicenda esset magis intelligens, quam Deus. *Contrà.* Probatur maior: maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur, vnum esse magis perfectū, quam aliud: ergo maior intelligentia extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur, humanitatem Christi esse magis intelligentem, quam Deus. Probatur antecedens: ideò iuxta communem Scotistarum sententiam, & frequentiorem Thomistarum opinionem; quam sequitur Ill. Godoy, & ex D. Augustino, & D. Thoma, vt veram supponit *disput.* 21. *num.* 121. relationes Divinæ nullā dicunt perfectionem, nec extensivam, quia absolutè verè essent hę propositiones: *Pater est perfectior Filio, & Spiritu Sancto: Filius, & Spiritus Sanctus sunt perfectiores Patre,* quam maiorē perfectionem absolutè deducunt ex eo, quod aliqua perfectio extensivè daretur in vna persona, quæ non daretur in alia: ergo maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur, vnum esse magis perfectum, quam aliud.

132 Alias impugnationes contra solutionem Ill. Godoy omitto videndas §. *sequenti*, vbi argumentum illius solvemus, retorsiones varias in ipsum formabimus, & quandam inconsequentiam ab ipso commissam (ni fallor) aperiemus, & manifestabimus.

§. Vltimus.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

133 *Arguit Ill. Godoy cõtra 2. part. conclus.*

COntra secundam partem nostræ conclusionis arguit Ill. Godoy *num.* 190: nam estò humanitas Christi esset sapiens per increatam intellectionem, adhuc esset in potentia naturali ad intellectionem creatam; cum hæc esset compossibilis cum intellectione Divina, vt humanitatem constituente intelligentem: ergo foret imperfecta sine cognitione creata, vtpotè, carens perfectione, ad quã est in potentia naturali; & consequentèr, vt hæc imperfectio ab humanitate tollatur, asserendum est, habituram cognitionẽ creatam, quamvis esset sapiens per intellectionem Divinam.

134 *Respond. 1.*

Respondeo primò ad argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiam, neque eam probat imbibita probatio; nam carentia perfectionis cognitionis creatæ in humanitate Christi, intelligente per cognitionem increatam, proveniret à cognitione increata, quæ est forma, quæ non minus perfectè, imò perfectiùs, quam creata cognitio, præstaret actu, & formalitèr effectum, quem creata cognitio præstaret; & consequentèr humanitas Christi imperfecta non foret, etsi creata cognitione careret, vt liquet in materia prima respectu formæ, qua caret; in homine respectu animæ vegetativæ, & sensitivæ, quibus caret; & in Christi humanitate respectu propriæ personalitatis, qua caret, ex quibus instantias facio sequentes.

135 *Respond. 2. retorquẽdo argum.*

Respondeo secundò retorquendo argumentum contra Ill. Godoy: estò materia prima sit informata forma ligni, adhuc est in potentia naturali ad formam ignis, qua caret: ergo materia prima est imperfecta sine forma ignis, vtpotè, carens perfectione, ad quam est in potentia naturali. Atqui hoc est contra bonam Philosophiã: ergo quod humanitas Christi, intelligens per intellectionem increatam, sit in potentia naturali ad intellectionem creatam, non arguit, humanitatem Christi esse imperfectam. *Aliter formatur.* Aliter formatur retorsio: materia prima semel informata aliqua forma, etsi minus perfecta, quam forma, qua caret, & ad quam est in potentia naturali, non est imperfecta: ergo paritèr: humanitas Christi semel intelligens per intellectionem increatam, quæ est forma valdè perfectior, quam intellectio creata, qua caret, & ad quam est in potentia naturali, non erit imperfecta.

136 *Respond. 3. aliter retorquend.*

Respondeo tertiò aliter retorquendo argumentum: estò homo vivat vegetativè, & sensitivè per animam rationalem, adhuc est in potentia naturali ad animam vegetativam, & sensitivam: ergo homo est imperfectus sine anima vegetativa, & sensitiva, vtpotè, carens perfectione, ad quam est in potentia naturali. Atqui hoc est generalitèr contra omnes: ergo quod humanitas Christi, intelligens per intellectionem increatam, sit in potentia naturali ad intellectionem creatam, non arguit, humanitatem Christi esse imperfectam. *Aliter formatur.* Aliter formatur retorsio: homo vivens anima rationali, quæ est anima perfectior, quam anima vegetativa, & sensitiva, quibus caret, & ad quas est in potentia naturali, non est imperfectus: ergo paritèr: humanitas Christi, semel intelligens per intellectionem increatam, quæ est forma valdè perfectior, quam intellectio creata, qua caret, & ad quam est in potentia naturali, non erit imperfecta.

137 *Respond. 4. aliter retorquend.*

Respondeo quartò aliter retorquendo argumentum: estò humanitas Christi sit personata personalitate Verbi, adhuc est in potentia naturali ad propriam personalitatem: ergo humanitas Christi est imperfecta sine propria personalitate, vtpotè, carens perfectione, ad quam est in potentia naturali. Atqui hoc est contra omnes generalitèr Theologos: ergo quod humanitas Christi, intelligens per intellectionem increatam, sit in potentia naturali ad intellectionem creatam, non arguit, humanitatem Christi esse imperfectam. *Aliter formatur.* Aliter formatur retorsio: humanitas Christi semel personata personalitate Verbi, quæ est personalitas eminentèr continens personalitatem creatam, qua caret, & ad quam est in potentia naturali, non est imperfecta: ergo similitèr: humanitas Christi, semel intelligẽs per intellectionem increatam, quæ est intellectio eminentèr continens creatam intellectionem, qua ca-

caret, & ad quam est in potentia naturali, non erit imperfecta.

138 *Respond. 5 aliter retorquend.* Et ne detur locus disparitatis, quam ex Ill. Godoy assignavimus *num.* 125. inter humanitatem Christi personatam personalitate Verbi respectu propriæ subsistentiæ, & humanitatem Christi intelligentem per intellectionem increatam respectu creatæ intellectionis. Respondeo quintò aliter retorquendo argumentum: iuxta Ill. Godoy non datur in humanitate Christi, terminata subsistentia Verbi, appetitus innatus propriæ personalitatis: ergo nec datur in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam, appetitus innatus intellectionis creatæ. Probatur consequentia: ideò iuxtà Ill. Godoy non datur in humanitate Christi, terminata subsistentia Verbi, appetitus innatus propriæ personalitatis, quia licèt propria personalitas non habeatur, nec possideatur formaliter; possidetur tamen, & habetur eminentèr in subsistentia Verbi; atqui licèt creata intellectio non habeatur, nec possideatur formaliter; possidetur tamen, & habetur eminentèr in intellectione increata: ergo nec datur in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam appetitus innatus intellectionis creatæ. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Ill. Godoy. Minor verò est notoria; nulla enim potest esse ratio, cur subsistentia creata eminentèr contineatur in Divina subsistentia, quæ non convincat, quod intellectio creata eminentèr contineatur in intellectione increata.

139 *Ab opposito formatur retorsio.* Ab opposito etiam formatur retorsio: estò humanitas Christi esset sapiens per increatam intellectionē, adhuc esset in potentia naturali ad intellectionem creatam: ergo estò humanitas Christi sit personata personalitate Verbi, adhuc esset in potentia naturali ad propriam personalitatem, quod est contra Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 45. num.* 101. Probatur consequentia: estò personalitas propria eminentèr possideatur in personalitate Verbi, adhuc humanitas Christi, personata personalitate Verbi, erit in potentia naturali ad propriam personalitatem: ergo estò humanitas Christi sit personata personalitate Verbi, adhuc erit in potentia naturali ad propriam personalitatem. Probatur antecedens: estò intellectio creata eminentèr possideatur in intellectione increata, adhuc humanitas Christi, intelligens intellectione increata, esset in potentia naturali ad intellectionem creatam: ergo estò personalitas propria eminentèr possideatur in personalitate Verbi, adhuc humanitas Christi, personata personalitate Verbi, erit in potentia naturali ad propriam personalitatem.

140 *Retorqueo deniquè ad homin. contra Ill. Godoy.* Retorqueo deniquè argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: appetitus propriè innatus non est in Deo in ordine ad bona creata: ergo in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam, non erit appetitus propriè innatus in ordine ad creatam intellectionem: ergo humanitas Christi, intelligens per intellectionem increatam, non erit in potentia naturali ad intellectionem creatam, & consequentèr non foret imperfecta sine cognitione creata, quod est omninò contra Ill. Godoy.

141 *Probatur consequētia* Antecedens est opinio Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 45. num.* 100. Consequentia probatur: ideò iuxta ipsum *cit. num.* 101. non datur in Deo appetitus propriè innatus in ordine ad bona creata, quia hæc eminentèr possidentur à Deo; sed intellectio creata eminentèr possidetur ab humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam: ergo in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam, non erit appetitus propriè innatus in ordine ad creatam intellectionem. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ita est Ill. Godoy *cit.* vt hæc sit ad litteram ratio illius. *Appetitus innatus petit in termino conditionem non habiti, modo, quo illam petit; sed iste petit pro conditione obiecti rationem non habiti, nec formaliter, nec eminentèr: & ideò illum excluſimus à voluntate Divina per ordinem ad bona creata; quia eminentèr possidentur à Deo, etsi non semper formaliter: ergo etiam appetitus innatus propriè acceptus, petit terminum non habitum, nec formaliter, nec eminentèr; ac proindè non est constituendus in Deo in ordine ad bona creata eminentèr in ipso contenta:* ergo iuxtà ipsum non datur in Deo appetitus propriè innatus in ordine ad bona creata,

quia

quia hæc eminentèr à Deo posidentur.

142 *Quædam inconsequentia Ill. Godoy.*

Atque hinc se se aperit illius inconsequentia, quam aperire promisimus *num.* 132: nam defendere, vt defendit Ill. Godoy *cit.* in Deo non esse appetitum propriè innatum in ordine ad bona creata, quia hæc eminentèr à Deo posidentur, & hac eadem ratione tueri, vt immediatè tuetur, non dari in humanitate Christi, terminata personalitate Verbi, appetitum innatum propriæ personalitis. Et in præsenti defendere, dari in humanitate Christi, intelligente per intellectionem increatam, appetitum innatum in ordine ad creatam intellectionem, est inconsequens manifestum; quia negari nequit, quod humanitas Christi, intelligens per intellectionem increatam, posidet eminentèr creatam intellectionem, quæ est tota ratio Ill. Godoy.

143 *Mag. Sent.*

Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri: *in 3. distinct. 14. §. 2.* ad illa verba: *Animam Christi per sapientiam gratis datam, &c. Et distinct. 27. §. 3.* ad illa verba: *Eadem sanè est dilectio, qua diligitur Deus, & proximus, quæ Spiritus Sanctus est. Et in 1. distinct. 17. §. 2.* illis verbis: *His autem addendum est, quod ipse idem Spiritus Sanctus est amor, sivè charitas, qua nos diligimus Deum.* Quibus in locis quæstio à nobis de cognitione excitata, potest de dilectione moveri.

DISPVTATIO TRIGESIMA SECUNDA.

Quotuplex Scientia fuerit in Anima Christi?

Num. 1 DE Scientia Beata, de Scientia per se infusa, & de Scientia per se acquisibili, præsens disputatio procedit. An, scilicèt, omnes huiusmodi Scientiæ in Anima Christi extiterint? Primam, scilicèt, Beatam, negarunt quidam Hæretici. Secundam excluserunt (inquit Ill. Godoy *num.* 1.) D. Bonaventura, Scotus, & Durandus. Sed quidquid sit de alijs, fallitur Ill. Godoy, Scotum pro hac opinione citans, vt infrà videbimus. Tertiam negavit Ricardus *in 3. sent. dist. 14. artic. 3. quæst. 2. & 4.* pro qua sententia refertur ab aliquibus Div. Thomas *in 3. dist. 14. quæst. vnic. art. 3.* Veram sententiam quatuor conclusionibus explicabimus.

§. I.

De Scientia Beata.

2 1. *Conclusio* *Scotus.* *D. Thom.* SIt prima conclusio: *In Anima Christi Domini fuit Scientia Beata à primo conceptionis Christi instanti.* Ita Scotus *in 3 dist. 18. §. Hoc vissò.* D. Thom. *in 3. dist. 14. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 3. quæst. 20. de Veritate, artic. 2. 3. part. quæst. 9. artic. 2.* Et infrà *quæst. 34. artic. 4.* Hæc conclusio quoad primam partem, qua asserimus Scientiam Beatam in Anima Christi fuisse, est certa secundum fidem in omnium Theologorum sententia. An autem ante mortem habuerit Scientiam Beatam, illaque poritus fuerit à primo conceptionis instanti, quod asserit secunda pars conclusionis; etsi omnes Catholici vnanimi consensu id fateantur; in gradu tamen certitudinis dissident. Quibusdam affirmantibus esse immediatè de fide; eo quod, etsi in Scriptura expræsè non contineatur, Animam Christi à primo conceptionis instanti Deum vidisse; per traditionem tamen habetur, quod sufficit, vt sit veritas de fide immediatè. Ita Medina *in præsenti artic. 2. et infrà quæst. 34. artic. 4.* Alijs docentibus, non esse immediatè de fide; esse tamen ita certum, vt oppositum sit proximum hæresi. Ita Suarez *disput. 25. sect. 2.* Alijs asserentibus: esse ad minus ita certum, vt oppositum temerarium sit. Sic Lorca *disput. 43. num. 3.* Alijs denique affirmantibus: esse de fide immediatè, Christum, vt hominem, fuisse ante mortem beatum, quod autem beatus fuerit, Deumque viderit à primo conceptionis instanti, hoc gradu certitudinis non gaudere; esse

Disidium Authorum. *Medina.* *Suarez.* *Lorca.*

ta-

tamen ita certum, vt oppositum sit ingens temeritas. Sic Alvarez *disput. 52. conclus. 2. & 3.* Quæ omnia probabiliter defendi possunt.

Alvarez.

3 *1. Pars conclus. probatur.*

Prima pars conclusionis probatur: nam de fide est, omnes homines post hanc vitam beatitudine perfrui, si ex illa sine culpa mortali decesserint, vt diffinitur in Concilio Florentino in decreto fidei his verbis: *Illorum animas, quæ post baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ post contractam peccati maculam; vel in suis corporibus, vel eisdem exules corporibus, vt superius dictum est, sunt purgatæ, in Cœlum mox excipi, & intueri clarè ipsum Deum, sicuti est, &c.* Sed ab hac regula generali, non nisi omninò insipienter potest Christus Dominus excipi: ergo de fide tenendum est, Christum, vt hominem, saltim post mortem, fuisse, & esse beatum; ac proindè est certum secundum fidem, Scientiam Beatam esse in Anima Christi.

4 *Probat. 2. pars authoritate.*

Probatur secunda pars conclusionis ex Ricardo de S. Victore *lib. 2. de Emmanuele, cap. 22.* dicente: *Quod nos accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista. Quod nobis dabitur in consumatione, illi datum est ab initio conceptionis suæ.* Constat etiam ex illo Psalmi 64: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*; nam in instanti conceptionis humanitas fuit assumpta: ergo beata. *Probatur ratione.* Ratione probatur: nam Christus fuit Beatus in vita mortali; sed non est assignandum tempus, in quo inceperit: ergo cum sit Christi excellentia, dicendum est, quod ab instanti conceptionis; nam sicut tunc habuit gratiam habitualem, congruum fuit, vt haberet gratiam consummatam, scilicèt, gloriam, præcipuè, qui erat caput Angelorum, qui tunc habebant gloriam, debebat in hoc illis conformari, ne esset aliqua perfectio in membris, quæ non esset in capite, propter quæ Scholastici negare hanc conclusionem ad minus censent temerarium.

Aliquas probationes pro vtraque parte conclusionis, tàm ex Scriptura, quàm ex Patribus adducit Ill. Godoy *in præsenti*, & passim tradunt Authores, in quibus videndas relinquo, simul cum responsionibus ad obiectiones, quas ex Scriptura faciunt Hæretici.

Obiectio autem à ratione, quam contra secundam partem conclusionis proponit Ill. Godoy, & quam difficilem vocat *num. 23.* est hæc: summa tristitia cum intensa delectatione simul existere nequit; cùm oponatur contrariè, & contraria in gradibus intensis non possint simul existere; sed Christus tempore mortis summam passus est de morte sua tristitiam: ergo mortis tempore caruit delectatione beatifica; & consequentèr etiam beatitudene caruit, ad quam, necessariò consequitur delectatio: ex quo vlteriùs fit, non fuisse à primo instanti suæ conceptionis Beatum; nam dè ratione beatitudinis est inamissibilitas; ac proindè, si tempore mortis beatitudinem amisit non fuit ante illam Beatus.

5 *Arguitur contra 2. p.*

Huic obiectioni triplicitèr respondet Cano, & triplicem illius solutionem impugnat Ill. Godoy *à num. 25. vsque ad 54.* Ipse verò *num. 55.* respondet: maiorem argumenti esse veram, si tristitia, & delectatio sint de eodem obiecto sub eadem ratione formali; sic enim nec de potentia absoluta possunt existere simul; si verò, vel erga diversa obiecta, vel erga idem secundum diversam rationem gaudium, & tristitia versentur, quamvis inter se opponantur, nec possint simul in gradibus intensis ex natura rei, & secudum legem ordinariam existere; per miraculum autem, & de potentia absoluta simul existere possunt: tristitia autem, quam Christus de sua morte concepit, & delectatio, quam habuit de illa, non respiciebant mortem sub eadem, sed sub diversa ratione obiectiva; delectabatur namquè de morte, vt vtili ad Humani Generis Redemptionem; tristabatur verò de illa prout mala, & disconvenientè naturæ, quæ sunt rationes obiectivè diversæ; vndè potuit fieri de potentia absoluta, & de facto Divina dispensatione fuit factum, vt summa delectatio non excluderet summam tristitiam, sed simul cum illa existeret. Ita Medina, Alvarez, Suarez, & Vazquez *locis suprà relatis.* Cornejo *in præsenti, disput. vnica, dub. 2.* & communiter Commentatores D. Thomæ *in hac quæst. artic. 2. & infrà quæst. 34. artic. 4.* Sicque accipienda, & intelligenda est doctrina D. Thomæ *quæst. 26. de Veritate, artic. 10. ad 9. & in hac*

6 *Respondet Ill. Godoy.*

3. *part. inf. à quæst.* 46. *artic.* 8. *ad* 1.

7 *Verior solutio.*

Sed quidquid sit de hac solutione, de cuius veritate non est in præsenti examinandum, ad argumentum respondeo concessis præmissis, distinguendo consequens: ergo tempore mortis caruit Christus delectatione beatifica, carentia proveniente ex speciali dispositione, seu providentia Dei, impedientis emanationem delectationis beatificæ concedo consequentiam; carentia proveniente ex alio capite nego consequentiam. Itaquè sicut toto tempore vitæ Christi Domini cessarunt, seu non dimanarunt dotes gloriæ corporis ex speciali dispositione, seu providentia Dei, quamvis essent debitæ corpori vnito animæ glorioſſæ; ita, quamvis animæ videnti, & fruenti Deo sit ex congruentia, vel naturalitèr debita delectatio beatifica; eius tamen emanatio fuit impedita tempore mortis, ex speciali Dei providentia, seu dispositione.

§. II.

De Scientia per se infusa supernaturali.

8 *Datur in Christo Scientia in proprio genere.*

Præter scientiam Beatam alia datur scientia in proprio genere, ideſt, per proprias species rerū, hancque esse in Christo Domino, fatentur omnes Theologi. Primò: quia hæc scientia est connaturalis viatoribus; sed Christus Dominus sic fuit comprehensor, vt simul esset viator: ergo habuit Christus scientiam in proprio genere, ideſt, per proprias species rerum. Secundò: quia etiam in Beatis constituit D. Augustin. *de Genes. ad litteram cap.* 11. *&* 12. duplicem scientiam creaturarū. Vnam in Verbo, quam appellat matutinam; & aliam in proprio genere, seu per proprias species, quam vocat vespertinam; sed Christus Dominus verè fuit Beatus: ergo in ipso præter scientiam creaturarum in Verbo admittenda est scientia creaturarum in proprio genere, seu per proprias species.

9 *Nec obest, si dicas.*

Nec obest, si dicas: quod Christus Dominus per scientiam Beatam omnia cognoscebat: superflua ergo erit in illo scientia in proprio genere. Non (inquam) obest; nam per scientiam Beatam non cognoscebat obiecta omnibus modis, quibus cognoscibilia sunt; non enim illa cognoscebat in se ipsis, seu per proprias illarum species, & ad hoc est in Christo necessaria scientia in proprio genere; quia cognoscere res omnibus modis, quibus cognoscibiles sunt, spectat ad excellentiam Christi Domini.

10 *Scientia in proprio genere est duplex.*

Hæc itaquè scientia in proprio genere, seu per proprias species rerum, est duplex. Prima est adquisita, quæ proprio labore adquiritur ministerio intellectus agentis, de qua agemus §. 5. quia tamen species deserviens ad scientiam adquisitam potest à Deo infundi, vocant Theologi hanc scientiam per accidens infusam, ideſt, hanc infusionem non exigentem naturam illius speciei. Secunda est per se infusa, & est illa, cuius species intelligibiles, seu impressæ nequeunt proprio labore adquiri, & ideo ex natura sua, seu per se exigunt à Deo infundi. Vndè illa solum scientia, quam elicit intellectus, potest dici per se infusa, ad quam concurrit species impressa, petens ex natura sua infundi.

11 *Species per se infusa est, quæ à nulla creatura acquiri potest.*

Atque hinc se se aperit, speciem, seu scientiam per se infusam, deberi considerari absolutè, seu independentèr ab hoc, vel illo subiecto, imò & ab omni subiecto creato, & creabili. Quarè illa solum species impressa intelligibilis (consequentèrque scientia ex illa orta) est per se infusa, quæ à nulla creatura creata, vel creabili potest adquiri, seu produci, & è contra sola illa species (consequentèrque scientia ex illa orta) est per accidens infusa, quæ ab aliqua creatura creata, vel creabili adquiri, seu produci valet; quamvis alias à subiecto, cui nunc infunditur, adquiri nequeat.

12 *Probat.* 1. *ex Scoto.*

Et quod sic debeat necessario philosophari in principijs Scoti patet. Primò: nam Doctor *in* 3. *dist.* 36. §. *Contra hoc*, à versic. *Licèt de istis*, absolutè negat virtutes morales per se infusas, & certè difficilè creditu est, nullam ex his virtutibus esse, quæ ab aliquo subiecto determinato non possit adquiri. Secundò patet: nam iuxta Scoti principia ens supernaturale dicitur absolutè illud, quod est super omnem naturam creatam, & creabilem, ideſt, quod à nulla creatura produci valet: ergo paritèr: ens supernaturale per se infusum dicitur absolutè illud, quod à nulla creatura creata, vel creabili potest produci.

Secundò.

Tertiò patet ratione: nam per se in-

13

fus-

Probat. 3. ratione.

fussum debet ex natura sua distingui à quocumque per accidens infusso; sed non sic distingueretur, si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infussum: ergo per se infussum solum est illud, quod à nulla creatura potest produci. Consequentia est legitima. *Maior probatur.* Maior certa. Primò: nam per se infussum debet ex natura sua distingui à quocumque non tali. Secundò: nam si Deus crearet duas species, alteram per se infussam, & alteram infussam per accidens, illasque conservaret extra subiectum, adhuc tunc ex natura sua distinguerentur. Tertiò: quia per se infussum ex natura sua distinguitur à per se adquisibili; sed quodcumque per accidens infussum est per se adquisibile: ergo per se infussum debet ex natura sua distingui à quocumque per accidens infusso.

14 *Probatur minor.* Minor autem syllogismi suprà positi probatur: per se infussum non distinguitur ex natura sua à per se infusso: ergo per se infussum non distingueretur ex natura sua à per accidens infusso, si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infussum. Probatur consequentia: si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infussum, esset per se infussum, & per accidens infussum; sed per se infussum iuxta concessa non distinguitur ex natura sua à per se infusso: ergo per se infussum non distinguitur ex natura sua à per accidens infusso, si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infussum. Maior constat: nam in primis esset per se infussum, vt supponitur. Deindè: esset per accidens infussum, quia infussum per accidens nihil aliud est, quam quod cum possit ab aliqua creatura adquiri, à Deo infunditur; alioquim assignetur, quid sit per accidens infussum?

15 *Probat. 4. doctrina generali.* Patet quartò doctrina omnium generali: nam omnes concedunt: speciem sensibilem ovi, v.g. in casu, quo crearetur à Deo, esse solum per accidens creatam: ergo paritèr: species intelligibilis impressa per se adquisibilis, in casu, quo à Deo infunderetur, erit solum per accidens infussa. Probatur consequentia: ideò species sensibilis ovi, in casu, quo crearetur à Deo, esset solum per accidens creata, quia ex natura sua peteret educi de potentia subiecti; atqui species intelligibilis impressa per se adquisibilis peteret ex natura sua viribus naturæ adquiri: ergo species intelligibilis impressa per se adquisibilis, in casu, quo à Deo infunderetur, erit solum per accidens infussa.

Probat. 5. ex doctrina Ill. Godoy. Probatur quintò ex doctrina Ill. Godoy: habitus, ad cuius productionem est in actibus intrinseca activitas sufficiens, dato, quod à Deo infundatur, est tantum per accidens infussus; sed ad adquisitionem speciei impressæ per se adquisibilis est in intellectu creato intrinseca activitas sufficiens: ergo dato, quod à Deo infundatur, erit tantum per accidens infussa. Consequentia est legitima. Minor nota; alioquim species non esset per se adquisibilis. Maior verò est expressa doctrina Ill. Godoy *num.* 117. & 119.

16 Vndè audiendi non sunt omnes illi (etiam ex nostris) qui dicunt: posse eandemmet speciem intelligibilem esse per se infussam homini respectu Angeli, eo, quod ab homine nullo labore, aut industria potest adquiri; benè verò ab Angelo. Non (inquam) audiendi sunt ob à nobis dicta, quæ veriora videntur, & principijs Scoti conformiora. Quarè si mihi Deus infunderet speciem Angeli, v. g. talem speciem vocarem per accidens infussam, quia etsi pro hoc statu illa sit mihi inadquisibilis; est tamen aliqua creatura, nempè, Angelus, aut anima separata, à qua viribus naturæ adquiri possit. His igitur sic intellectis. Sit.

17 *2. Conclusio* Secunda conclusio: *Præter Scientiam Beatam fuit in Anima Christi Domini Scientia per se infussa supernaturalis, per quam res in proprio genere, & extrà Verbum cognovit.* Sic Ill. Godoy sequens D. Thomam *in 3. distinct. 14. quæst. 1. artic. 3. Ad Anibaldum in eadem distinctione, quæst. vnic. artic. 4. quæst. 20. de Veritate, artic. 3. opusc. 2. cap. 216. Et in 3. part. quæst. 9. artic. 3.* Sic etiam ego sequens Magistrum Subtilem locis infrà citandis, ex quibus apparebit, quam immeritò pro opposita sententia citat Scotum Ill. Godoy *num.* 62. *Ill. Godoy, cũ D. Thom. Scotus.*

18 *Mens Scoti aperitur.* Et quod hæc sit mens Scoti patet. Primò: nam *in 2. dist. 3. quæst. 9.* concedit speciem abstractivam Trinitatis; atqui talis species viribus naturæ nequit adquiri: ergo concedit Scotus speciem per se infussam, & consequentèr in Christo potiùs, quam in alio, reperiri. Secundò: quia Scotus *in 3.*

dist.

dist. 14. *quæst.* 4. asignat in Christo species infusas ita perfectissimas in summo gradu, quod sint summæ negativè, sicut gratia habitualis illius. Insuper, & quod tantò excedant species alterius intellectus superioris, v.g. Angeli, quantò intellectus Christi excedit in perfectione ab illo intellectu superiori. Ex quo sic argumentum formo: illæ species sunt per se infusæ, quæ nequeunt adquiri à virtute intellectus agentis creati; sed species prædictæ nequeunt adquiri à virtute intellectus agentis creati: ergo tales species sunt per se infusæ, & consequenter, cum has in Christo asignet Scotus, concedit Christo species per se infusas. Probatur minor: species, quæ nequeunt adquiri à virtute intellectus agentis Angeli, & Christi, nequeũt adquiri à virtute intellectus agentis creati; atqui species, quæ tantum excedant perfectionem virtutis intellectus agentis Angeli, quantum intellectus Angeli est superior intellectu Christi, nequeunt adquiri virtute intellectus agentis Angeli, & Christi: ergo species prædictæ nequeunt adquiri à virtute intellectus agentis creatæ.

19 *Opponit Ill. Godoy.* Nec obest, quod Ill. Godoy *numer.* 62. citet pro oppositа sententia Scotũ *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. dicentem: Christum habuisse scientiam infusam rerũ extra Verbum; non tamen infusam per se, sed per accidens, & eiusdem speciei cum scientia per se adquisibili de eisdem obiectis. Non (inquam) obest, *Contra* 1. quia in contrarium obstat primò: nam Scotus ibi impugnat Div. Thomam asserentem: quod circa obiecta, circa quæ adquiri possunt species, dentur in Christo Domino species per se infusæ; nam circa talia obiecta (ait Scotus) tantum concedendæ sunt species per accidens infusæ, vt optimè notavit Fabet *disp.* 36. *cap.* 3. & insinuat Rada 3. *part. controvers.* 9. *artic.* 4. §. *sextò observa*, & est conforme principijs Scoti, vt diximus *num.* 12.

20 *Contra* 2. Obstat secundò: nam Scotus ibi impugnat D. Thomam ex dictis eius, vt ibi expræssè habetur: quarè cum Div. Thomàs solum admittat distinctionem specificam actuum per ordinem ad obiecta, quæ respiciunt (videlicèt 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 2. & *quæst.* 100. *artic.* 10.) optimè arguit Scotus contra ipsum, quod si circa idem obiectũ daretur scientia per se infusa, & per se adquisita, (idem dicit de matutina, & vespertina) essent solum numero distinctæ, & solum differrent per ordinem ad causas efficientes, quę differentia solum est numerica in sententia etiam D. Thomæ; sicut ea, quæ reperitur inter hominem genitum, & creatum, & tunc etiam sequeretur, quod duo accidentia numero distincta essent in eodem subiecto, quod D. Thomàs negat 3. *part. quæst.* 35. *artic.* 5. & *alibi*, itaque totum argumentum procedit ex dictis D. Thomæ.

21 Scotus tamen alitèr sentit; quia cum in sententia ipsius circa idem obiectum possit dari actus naturalis, & supernaturalis, non sumit distinctionem specificam solum in ordine ad obiectum, *vt latè in materia de Gratia dicitur*; neque similitèr sumit distinctionem specificam solum in ordine ad efficiens, sed sumit ex natura effectus, qui ex se postulat solum Deum, vt infundentem, & causantem supernaturalitèr, *vt etiam dicitur in materia de Fide.* Quarè existimo, quod in hoc loco non expræssè docuerit Scotus distinctionem specificam inter species per se, & per accidens infusas; quia cum hæc distinctio sit eadem cum distinctione supernaturalitatis quoad substantiam, & quoad modum, hanc iam docuerat *in Prologo*, *quæst.* 1. §. *ad quæstionem in fine*, & *sæpè alibi.* Vndè solũ vsus fuit alia distinctione scientiæ, scilicèt, abstractivæ, & intuitivæ, quæ magis congrua erat, vt explicaret, an Anima Christi noverit omnia in genere proprio, vel non? Et hoc idem fecerat *in* 2. *citat. quæst.* 11. vt explicaret, an Angelus potuerit proficere, accipiendo cognitionem à rebus?

22 Quarè non est dicendum, quod in doctrina Scoti non possit esse scientia per se Infusa, & per se adquisita circa idem obiectum; quia hoc solum negat Scotus, arguendo ad hominem contra D. Thomam ex dictis eius, sed potiùs hoc est concedendum in eius doctrina, quia ipse ex vna parte admittit species naturalitèr, & per se adquisitas circa vniversalia in via, & circa singularia; & ex alia parte admittit species infusas magis perfectas, quam in Angelis, posse esse circa eadem obiecta, quæ, vt probavimus, sunt per se infusæ, & admittit scientiam adquisitam per discursum circa obiectum præcognitum per scientiam infusam.

Ita habet *versic. ad 3. dico, §. ad argum.*

23 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: Scotus etiam impugnat sententiam, ex eo, quod si habet Christus vnam Scientiam: ergo alia superfluit. Respondeo: argumentum fit solum contra Div. Thomam; quia si infertur contra ipsum, quod Scientia infusa, & Scientia adquisita solum distinguantur numero, & quod dentur duo accidentia solum numero distincta in eodem subiecto, etiam infertur, quod vna ex illis Scientijs superfluit.

Respondetur.

24 Tamen, licèt Scotus admittat cum D. Thoma species per se, & per accidens infusas, sed non sicut D. Thom; quia hic adstruit, esse vniversales in repræsentando, ita, vt vna species quò magis perfecta est, eò plures creaturas repræsentat. Vndè in Angelo superiori, in quo perfectiores sunt species (inquit Div. Thomàs) sunt numero pauciores, quam in Angelo inferiori. Scotus tamen in prædictis locis pro quolibet obiecto, tàm in specie, quàm in individuo, docet: esse assignandam specialem speciem, quia habet distinctam intelligibilitatem. Vndè in Angelo superiori admittit plures species, quam in inferiori, & multò plures in Christo.

25 *Conclusionem probat Ill. Godoy.* Statuto iam contra Ill. Godoy, Scotum posse in Christo Domino Scientiam per se infusam, conclusionem probat Ill. Godoy *num.* 72. ratione D. Thomæ ad hanc formam reddacta: decens enim fuit, vt Verbum humanitatem perfectam assumeret; sed si Scientia per se infusa supernaturali distincta ab Scientia creata caruisset, esset imperfecta humanitas: ergo habuit Scientiam per se infusam supernaturalem distinctam ab Scientia Beata. Maior cum consequentia tenet. Minor verò probatur: nam omne, quod est in potentia ad aliquam perfectionem, imperfectum est, nisi reducatur ad actum; sed intellectus Animæ Christi est de se in potentia ad res creatas in proprio genere cognoscendas per species immediatè à Deo infusas: ergo imperfectus erit sine huiusmodi cognitione; & consequentèr sine Scientia per se infusa distincta à Scientia Beata, imperfecta esset humanitas.

26 *Alitèr probat à nobis.* Rationem Ill. Godoy admitto, & alitèr iuxtà dicta à nobis probatur conclusio: quia si species est per se infusa, ex eo, quod viribus proprijs non possit ab obiecto acquiri, quia obiectum est super naturam, vt videtur dicendum in sententia D. Thomæ, vel si est per se infusa, quia licèt possit ab obiecto haberi naturalitèr aliqua species, non tamen hæc, nam hæc, vt hęc, propter suam perfectionem postulat solum agens supernaturale, vt supernaturale, vt dicendum est necessariò in sententia Scoti; optimè sequitur, quod cum Christus plura obiecta in proprio genere cognoverit, à quibus, vel virtute propria non potuit habere species, vel si potuit, non verò talis naturæ, & perfectionis, sicut has, quæ solum postulant à Deo produci, quod talis cognitio, & Scientia sit per se infusa. Et confirmatur: quia hæc Scientia debebatur Christo, vtpotè, præcipua, tanquam præcipuo Doctori omnium, & Magistro: ergo, &c.

Videantur argumenta soluta in Ill. Godoy. Argumenta autem, quæ contra conclusionem prædictam militare possunt, adducit, & optimè solvit Ill. Godoy *à num.* 79. *vsque ad num.* 95. In ipso ea videnda relinquo, quia in conclusione oppositionem cum illo non habemus, nec habuit Scotus, vt liquet ex dictis. Est tamen maxima differentia inter Scotum, & Ill. Godoy; nam Scotus in conclusione nullam committit inconsequentiam; Ill. Godoy (ni fallor) inconsequentiam committit, quam sic ostendo.

27 *Ostenditur quædam in cõsequentia Ill. Godoy.* In Anima Christi Domini fuit Scientia per se acquisibilis, seu ex genere suo adquisita: ergo superfluit in Anima Christi Domini Scientia supernaturalis infusa: ergo non fuit in Anima Christi Domini Scientia supernaturalis infusa. Antecedens est Ill. Godoy *numer.* 165. Prima consequentia probatur: ratio convincens necessitatem scientiæ supernaturalis infusæ, per quam Christus Dominus vltrà Scientiam Beatam cognoscat res in proprio genere, & extra Verbũ, probat superfluitatem scientiæ supernaturalis infusæ, posita scientia adquisita; sed iuxta Ill. Godoy in Anima Christi Domini fuit scientia per se adquisibilis, seu adquisita ex genere suo: ergo in Anima Christi Domini superfluit Scientia supernaturalis infusa. Probatur maior: ratio convincens necessitatem Scientiæ supernaturalis infusæ, per quam Christus Dominus vltrà Scientiam Beatam cognoscat

res in proprio genere, & extra Verbum, est, quia per Scientiam supernaturalem infusam cognoscit res in se ipsis, & in proprio genere, quomodo eas non cognoscit per Scientiam Beatam; sed hæc ratio probat superfluitatem scientiæ supernaturalis infusæ, posita scientia adquisita: ergo ratio convincens necessitatem scientiæ supernaturalis infusæ, per quam Christus Dominus vltrà Scientiam Beatã cognoscat res in proprio genere, & extra Verbum, probat superfluitatem scientiæ supernaturalis infusæ, posita scientia adquisita. Maior est Ill. Godoy *numer.* 81. Minor probatur: per Scientiam supernaturalem infusam cognoscit Christus res in se ipsis, & in proprio genere; sed hoc modo cognovit res per scientiam adquisitam: ergo ratio dicta probat superfluitatem scientiæ supernaturalis infusæ, scientia adquisita posita. Maior est Ill. Godoy *num.* 62. Minor est ipsius *num.* 165. Consequentia legitima videtur.

Respondebis cũ illius doctrina.

Respondebis cum illius doctrina negando consequentiam, ad cuius probationem concesis præmissis, negatur consequentia; quia licèt ratio convincens necessitatem scientiæ supernaturalis infusæ vltrà Scientiam Beatam, probet superfluitatem scientiæ supernaturalis infusæ vltrà scientiam adquisitam, non ob hoc superfluit scientia supernaturalis infusa, posita scientia adquisita; quia necessitas huius vtriusque scientiæ non probatur ratione, quà probatur necessitas scientiæ supernaturalis infusæ, & Scientiæ Beatæ, imò ex alio capite distincto; nam necessitas scientiæ supernaturalis infusæ, & Scientiæ Beatæ sumitur ex duplici capite, quod probat primò *numer.* 75: nam intellectus Christi Domini est in potentia ad cognoscendas res creatas in proprio genere, & in se ipsis, non solum ex parte rei cognitæ, sed etiam ex parte medij cognoscendi, cum vtroque modo sint cognoscibiles; sed quamvis per Scientiam Beatam illas in proprio genere, & in se ipsis ex parte rei cognitæ contempletur; non tamen illas in se ipsis cognoscit ex parte medij cognoscendi; lumen namque beatificum terminatur ad creaturas mediante Divina Essentia, vt obiecto cognito, & mediò illas cognoscendi: ergo per Scientiam Beatam non tollitur omnis potentialitas intellectus Animæ Christi in ordine ad creaturarum cognitionem; & consequenter, illa posita, & secluſa cognitione rerum in proprio genere ex parte medij cognitionis, quæ habetur per scientiam infusam, à beatifica distinctam, potentialis, & imperfectus maneret.

Secundò idem explicat *numer.* 76: nam intellectus Animæ Christi est de se in potentia ad creaturarum cognitionem per proprias illarum species immediatè à Deo infusas; sed huiusmodi cognitio non habetur per Scientiam Beatam; nam species, per quam scientia beatifica ad creaturas terminatur, est Divina Essentia, primo repræsentans Deum, & secundario creaturas; ergo vt præfata cognitio intellectui Christi competat, necessaria est scientia infusa distincta à Scientia Beata; ac proindè sine illa potentialis, & imperfectus maneret. Et denique idē declarat *num.* 81. dicens: Christum ex vi Scientiæ Beatæ cognoscere res creatas in se ipsis ex parte rei cognitę; non tamen in se ipsis, vt medio cognitionis, & per proprias illarum species, sed Divina Essentia est medium, in quo obiectivè cognoscuntur, & principium per modum speciei: & quia intellectus Christi creatus est in potentia ad cognoscendas creaturas in se ipsis immediatè, & ratione sui, & per proprias illarum species, se tenentes ex parte principij: fit consequens, quod esset sine huiusmodi cognitione imperfectus, etiam posita visione beatifica secundario terminata ad creatutas; ac proindè, quod prædicta creaturarum cognitio ad illas in se ipsis immediatè terminata, non sit censenda superflua in Anima Christi Domini, etiã beatifica visione suppositа.

Necessitas autem scientiæ supernaturalis infusæ, & scientiæ adquisitæ ex nullo ex his capitibus sumitur, sed accipitur ex eo, quod obiecta creata sunt cognoscibilia naturali, & supernaturali cognitione, licèt per vtramque in se ipsis, & in proprio genere cognoscantur, vt ait Ill. Godoy *disput.* 35. *num.* 6. *in probatione suæ conclusionis.* Vndè numquam superfluit aliqua ex his scientijs, vtpotè, adest ratio, necessitatem vtriusque convincens.

Fateor hanc solutionem optimam esse pro solutione rationis positæ, sed

Impugnat. responsio.

etiam

etiam fateor, falsam, & inconsequentem esse doctrinam solutionis in opinione Ill. God, & quia hoc est intentum præsens, solutionem ad hominem contra ipsum impugno: Ideò iuxta solntionem Christus cognoscit res naturales scientia supernaturali infusa, quia res naturales sunt in se ipsis cognoscibiles supernaturali cognitione; sed hæc ratio non tenet iuxta Ill. Godoy: ergo inconsequentèr procedit in solutione. Probatur minor: quod Deus sit cognoscibilis à posteriori in creaturis, & ex creaturis, non probat, quod Deus se cognoscat à posteriori in creaturis, & ex creaturis: ergo quod res naturales sint in se ipsis cognoscibiles supernaturali cognitione, non probat, quod Christus eas cognoscat scientia infusa supernaturali. Antecedens est Ill. Gogoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 23. *num.* 120. vbi negat, quod Deus se à posteriori cognoscat, & similitèr, quod se in creaturis, & ex creaturis cognoscat, pro quo videantur, quæ diximus *tom.* 1. *in* 1. *sent. disput.* 23. *num.* 60.

Consequentia verò est paritate notoria, & vt illius efficatia magis, ac magis appareat, probatur: ideò negat Ill. Godoy *tom.* 1. *cit.* Deum se à posteriori cognoscere, similitèrque se in creaturis, & ex creaturis cognoscere, quia semel, quod Deus se à priori, & in se cognoscat, superfluit cognitio à posteriori, in creaturis, & ex creaturis: ergo semel, quod Christus Dominus cognoscat res naturales scientia adquisita, superfluit scientia supernaturalis infusa. Consequentia est manifesta. Antecedens verò est Ill. Godoy *tom.* 1. *cit.* vbi illud sic probat *num.* 173: *Ideò in effectibus creatis Deus se ipsum non cognoscit, quia ad illorum cognitionem supponitur cognitus perfectissimè; sed etiam Divina Essentia pro priori ad attributa supponitur perfectissimè cognita, vt radix attributorum: ergo Deus non cognoscit in atributis, aut ratione attributorum, quod necessarium erat, vt illam à posteriori per attributa cognosceret.* Hæc doctrina Ill. Godoy est, qua contra ipsum vtimur pro superfluitate scientiæ supernaturalis infusæ, posita scientia adquisita.

****

§. III.

De Scientia per se infusa naturali.

28 3. *Conclusio*

Tertia conclusio: *Nec quo ad species, nec quo ad habitum fuit in Anima Christi Domini Scientia naturalis per se infusa.* Hæc conclusio quoad secundam partem est Ill. Godoy *num.* 96. Quoad primam verò est expresse contra ipsum *num. cit.* Et licèt hanc conclusionem in nullo Scotista, à me viso, invenerim, ex dictis tamen *§. antecedenti* probatur prima pars illius primò: omnis species deserviens ad scientiam naturalem est viribus naturæ adquisibilis ab intellectu Christi Domini: ergo non fuit in Anima Christi Domini Scientia naturalis per se infusa quoad species. Antecedens est manifestum; nam omnis species deserviens ad scientiam naturalem, est omnimodo naturalis; sed species omnimodo naturalis est viribus naturæ adquisibilis ab intellectu Christi Domini: ergo omnis species deserviens ad scientiam naturalem est viribus naturæ adquisibilis ab intellectu Christi Domini. Consequentia verò probatur: ab specie, quæ viribus naturæ est adquisibilis, non potest oriri scientia per se infusa quoad speciē; sed omnis species deserviens ad scientiam naturalem est viribus naturę adquisibilis ab intellectu Christi Domini: ergo non fuit in Anima Christi Domini Scientia naturalis per se infusa quoad species. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probata manet *num.* 10. *& sequentibus.*

1. *Pars probatur.* 1.

29 *Probat.* 2. *ad homin. contra Ill. Godoy.*

Probatur secundò ad hominem contra Ill. Godoy: intellectus Christi Domini habet virtutem sufficientem intrinsecam ad adquirendam omnem speciem deservientem ad scientiam naturalem: ergo nulla est species deserviens ad scientiam naturalem, quæ sit per se infusa: ergo non fuit in Anima Christi Domini Scientia naturalis per se infusa quoad species. Antecedens est certum, & *num. antedent.* probatum. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: sola illa species, ad cuius adquisitionem non datur in intellectu creato virtus sufficiens intrinseca, est per se infusa; sed per te intellectus Christi Domini habet virtutem sufficientem intrinsecā ad adquirendam omnem speciem de-

servientem ad scientiam naturalem: ergo nulla est species deserviens ad scientiam naturalem, quę sit per se infusa. Probatur maior: solus ille habitus est per se infusus, ad quem adquirendū, non reperitur in actibus activitas suffiiciens intrinseca: ergo paritèr: sola illa species, ad cuius adquisitionem non datur in intellectu creato virtus sufficiens intrinseca, est per se infusa. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 117. Consequentia est paritate evidens; nam ita se habet potentia respectu adquisitionis speciei, ac actus respectu adquisitionis, seu productionis habitus.

30 *Probat. 3. etiam ad hominem, cōtra ipsum*

Et ex hoc probatur tertiò prima pars conclusionis, etiam ad hominem contra Ill. Godoy: non fuit in Anima Christi Domini scientia naturalis per se infusa quoad habitum: ergo nec fuit in Anima Christi Domini scientia naturalis per se infusa quoad species. Antecedens tenet Ill. Godoy in sua conclusione. Consequentia probatur: ideò non fuit in Anima Christi Domini scientia naturalis per se infusa quoad habitum, quia eo ipso, quod in nostris actibus sit intrinseca activitas sufficiens ad producendum habitum, non petit per se talis habitus ab alio agente produci, vel ab extrinseco infundi; atqui in intellectu Christi Domini est intrinseca activitas sufficiens ad adquirendam speciem deservientem ad scientiam naturalem: ergo in Anima Christi Domini non fuit scientia naturalis per se infusa quoad species. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est ipsius *num.* 117.

31 *2. Pars conclusionis probatur.*

Ex his itaquè sufficientèr manebat probata secunda pars conclusionis, sed vt magis dicta patefiant, & specialitèr probationes ad hominem contra Ill. Godoy factæ, ratione ipsius, quam tradit *num.* 117. probatur secunda pras: solus ille habitus est per se infusus, qui per se requiritur ad substantiam operationis; sed habitus naturalis scientificus, si in Anima separata, & in Anima Christi invenitur respectu intellectionis naturalis elicitæ medijs speciebus infusis, non est per se requisitus ad substantiam intellectionis, sed solum ad illius facilitatem, vt, scilicèt, potentia intellectiva promptè, & delectabilitèr operetur: ergo non est per se infusus. Illatio est in forma. Minor certa. Nam tunc solum habitus per se requiritur ad substantiam operationis, cum potentia sine habitu ad illius elicientiam non sufficit; sed ad prædictam intellectionem eliciendam, sufficit; sola potentia intellectus, concurrentibus speciebus obiectivè; cum sufficiat ad eliciendam intellectionem per conversionem ad phantasmata habitam: ergo habitus ab speciebus, & intellectu distinctus, non est per se requisitus ad prædictam intellectionē. Maior autem probatur: nam solus ille habitus est per se infusus, ad quē producendum, non reperitur in actibus activitas sufficiens intrinseca; eo namquè ipso, quod in nostris actibus sit intrinseca activitas sufficiens ad producendum habitum, non petit per se talis habitus ab alio agente produci, vel ab extrinseco infundi; sed ad solū illum habitum non datur in nostris actibus activitas sufficiens intrinseca, qui per se ad illorum substantiam supponitur; nam eo ipso, quod habitus ad substantiam actuum non supponatur per se, possunt actus ipsum præcedere, & non est cur ex illorum repetito exercitio nequeat produci: ergo solus ille habitus per se petit infundi; & consequentèr est per se infusus, qui per se prærequiritur, & præsuponitur ad substantiam nostrarum operationum.

32 *Species deservientes ad scientiā naturalem fuerunt per accidens Christo infusæ.*

Licèt autem in Anima Christi non fuerit scientia naturalis per se infusa, nec quoad species, nec quoad habitum; tales tamen species fuerunt per accidens Christo infusæ à primo suæ conceptionis instanti, & idem similitèr de habitu est dicendum. Probatur de speciebus: nam Christo Domino concedendum est, quidquid est possibile, si eius excellentiam commendet, vt dixit Scotus *in 3. dist. 13. quæst. 4. §.* & versic. *Quantum ad secundum*, per illa verba semper, & pro semper veneranda: in commendando Christum malo excedere, quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat, in alterum incidere; atqui ad excellentiam Christi spectat habere à primo suæ conceptionis instanti infusas species omnes, quæ ad scientiam naturalem deserviunt: ergo tales species fuerunt per accidens Christo infusæ à primo suæ conceptionis instanti.

Confirmatur primò: nulla po-

33

Confirm. 1.

Confirm. 2.

posset apparere ratio, vt infusionem talium specierum ad aliud tempus, aut instans differamus: ergo idem, quod antea. Confirmatur secundò: nam omnis perfectio creaturis exhibita concedenda est humanitati Christi ratione vnionis ad Verbum; sed scientia naturalis per accidens infusa ex parte specierum est perfectio conveniens Angelis, vt dicitur in illorum tractatu: ergo Animæ Christi est tribuenda.

34 *Fuit prædictus habitus per accidens in Christo infussus.*

Quod autem prædictus habitus fuerit etiam per accidens Christo infusus à primo suæ conceptionis instanti, eadem ratione probari valet, & vltrà ex munere talis habitus probatur: Christus enim sine prædicto habitu difficultèr intellectionem eliceret; sed hoc asserendum non est: ergò est constituendus in intellectu Christi precedentèr ad prædictam intellectionem; & consequentèr asserendum est, fuisse per accidens Christo infussum à primo suæ conceptionis instanti. Vtraque consequentia ex præmissis benè infertur. Maior constat; nam si talis habitus datur, est, vt intellectus Christi mediante illo promptè, facilè, & delectabilitèr eliceat intellectionem: ergo sine illo nec facilè, nec promptè, nec delectabilitèr operabitur. Minor autē probatur: nam Christo concedendū est, quod magis decet eius dignitatē; sed magis decet dignitatem Christi, quod promptè facilè, & delectabilitèr eliceat intellectionem, quam quod difficultèr operando, & sine suavitate, & delectatione eliciendo intellectionem per se ipsum, habitum predictum acquirat: ergo hoc secundum est negandum, & primum est asserendum.

35 *Confirmat. à simili.*

Quod confirmat Ill. Godoy *num.* 120. à simili: magis enim decet dignitatem Christi, media gratia habituali suppositā, operationes supernaturales connaturalitèr elicere, quam quod medijs prædictis actibus elicitis, non connaturalitèr gratiam habitualem per meritum proprium haberet: ergo paritèr: magis decet Christi dignitatem, facilè, & delectabilitèr elicere intellectionem, quam quod media intellectione difficultèr à se elicita acquirat prædictum habitum; & consequentèr asserendum est, talem habitum, supposito, quod in intellectu Animæ Christi admittatur, præcessisse intellectionem, & non fuisse acquisitum per illam. Ex quo vlteriùs sequitur, quod fuerit per accidens Christo infussus à primo suæ conceptionis instanti.

§. IV.

Argumenta Ill. Godoy contra primam partem conclusionis solvuntur.

ILl. Godoy *numer.* 97. 101. 104. & 105. adducit contra primam partem nostræ conclusionis quadruplex testimonium D. Thomæ, ex quo triplicitèr contra nos arguit. Et primo *num.* 106. in hunc modum: omnis perfectio creaturis exhibita concedenda est humanitati Christi ratione vnionis ad Verbum; sed scientia naturalis per se infussa ex parte specierum est perfectio conveniens Angelis: ergo Animæ Christi atribuenda. Respondeo ad argumentum negando minorē; quia scientia naturalis infussa ex parte specierum conveniens Angelis est tantum per accidens infussa, vt diximus *num.* 33. Et ratio est, quam suprà dedimus *num.* 10. *& sequentibus*, scilicèt, quia tales species possunt viribus naturæ adquiri, cum quo non stat, quod ex natura sua petant infundi.

36 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

Respondeo.

Arguit secundò *num.* 107: omnis potentia receptiva Animæ Christi debuit ad actum reduci, ne imperfecta post assumptionem maneret; nam omne, quod est in potentia imperfectum manet, nisi reducatur ad actum, vt docet D. Thomas *in hac quæstione artic.* 1. 2. & 3; sed Anima Christi Domini est in potentia ad recipiendas species, non solum à phantasmatibus ministerio intellectus agentis abstractas, sed etiam à Deo infussas: ergo huiuscemodi species recepit; & consequentèr habuit scientiam nataralem per se infussam ex parte specierū. Respondeo ad argumentum concessis præmissis, & prima consequentia, negando secundam, scilicèt, & consequentèr habuit scientiam naturalem per se infussam ex parte specierū, quia ex præmissis nullatenùs sequitur, & sufficit, illam habuisse per accidens infussam, vt liquet ex dictis.

37 *Arguit. 2.*

Respondeo.

Arguit tertio *num.* 109. nam Animæ à corpore separatæ debetur modus cognoscēdi independens à phantasmatibus, quia in illo statu est inde-

38 *Arguit. 3.*

pẽdens à corpore, modus autem operandi sequitur modum essendi; sed Anima Christi Domini, esto sit corpori vnita, est tamen independens à corpore, & illi quoad cognitionem non subdita: ergo debitus est illi modus cognoscẽdi à phantasmatibus independens; & consequentèr sunt illi debitæ species per se infusiæ naturales à corpore independentes; estque in illa ad tales species recipiendas capacitas naturalis. Maior est D. Thomæ 1. *part. quæst.* 89. *artic.* 1. Consequentia est legitima. Minor probatur: nam Anima Christi Domini fuit à primo suæ conceptionis instanti beata; sed vna ex conditionibus Animæ beatæ est, esse à corpore in cognoscendo independens: ergo Anima Christi Domini est independens à corpore in cognoscendo.

39 *Confirm.* 1. Quod amplius confirmat primo *num.* 110. nam Anima Christi Domini solum fuit subdita corpori in his, quæ ad salvandum misterium nostræ Redemptionis necessariò conducebant; ideòque impossibilitas non transivit ex Anima ad corpus, sed mortale, & passibile mansit, vt locus nostræ Redemptioni per mortem, & passionem daretur; sed quod à corpore in omni cognitione naturali penderet, non erat ad Redemptionis finem necessarium: ergo talem dependentiam non habuit; & consequentèr potuit sine dependentia à corpore, & ab ordine ad phantasmata cognitionem aliquam naturalem elicere, quod sine speciebus absolutis ab ordine ad phantasmata, & per se infusis à Deo non potest subsistere.

40 *Confirm.* 2. Confirmat secundò *num.* 111: nam Anima puri viatoris, quandiu est corpori coniuncta, non solum dependet à corpore in cognitione naturali, sed etiam à phantasmatibus in supernaturali cognitione dependet; & tamen Anima Christi ob independentiam à corpore, & elevationem suprà illud ratione status beatifici, non dependet à phantasmatibus in supernaturali cognitione, vt constat ex dictis; aliàs scientiam per se infusam non habuisset: ergo paritèr: quamvis sit corpori vnita, non fuit subiecta corpori in omni cognitione naturali, sed aliquã habuit à corpore omnino absolutam, & ab illo independentem; & consequentèr habitam per species naturales per se infusas à Deo, independentes à corpore, & ab ordine ad phantasmata.

41 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum concessis præmissis cum prima consequentia, negando secundam, nempè, & consequentèr sunt illi debitæ species per se infusæ naturales, à corpore independentes, quia ex præmissis non sequitur, & sufficit, vt diximus in responsione ad argumentum præcedens, quod illi sint debitæ species per accidens infusæ. Neque amplius convincunt confirmationes; sunt namquè probationes minoris, quam nos concedimus, & melius esset, nae, vt concessa, suppositа, probare consequentiam, quam negamus.

§. V.

De Scientia per se acquisibili.

42 *Quid sit Scientia per se acquisibilis.* SCientia per se acquisibilis (inquit Ill. Godoy *num.* 164.) est illa, quæ licèt aliquando de facto per accidens infundatur à Deo, qualitèr omnes scientias naturales fuisse infusas Adamo in primo suæ conceptionis instanti, docet D. Thom. 1. *part. quæst.* 94. *artic.* 3. per se tamen petit, vt fiat connaturalitèr, nostris actibus acquiri. Ad differentiam scientiæ per se infusæ, cui vel repugnat essentialitèr per nostros actus, etiam supernaturales acquiri, vel licèt possit de potentia absoluta actibus supernaturalibus effici; connaturalitèr tamen exposcit per infusionem, & non ab intrinseco per subiecti efficientiam haberi.

43 *Quid, & quotuplex sit Scientia acquisita.* Scientia autem acquisita est illa, quæ oritur ab specie, quam intellectus propria virtute acquirit. Et tàm scientia acquisibilis, quam acquisita dividitur in intuitivam, quam alij experimentalem vocant, & abstractivã. Abstractiva est, qua cognoscitur obiectum abstrahendo ab actuali præsentia, & existentia. Intuitiva est, quæ ab actuali præsentia, & existentia insuplebilitèr dependet. Et de vtraque quæritur, an sit in Anima Christi Domini constituenda?

44 4. *Conclusio* Hoc itaquè supposito sit quarta conclusio: *Constituenda est in Anima Christi Domini Scientia per se acquisibilis, vel ex genere suo acquisita.* Ita frequentèr Scholastici, & Theologi, quos citat, & sequitur Ill. Godoy *num.* 165. Sed ante probationem advertit *num.* 166. duplicitèr posse conclusionem istam defendi. Primò asserendo: fuisse

Duplex sensus explicatur.

hu-

huiusceмodi scientiam in Christo proprijs actibus adquisitam. Secundò: illam constituendo, non proprijs actibus acquisitam, sed per accidens in Anima Christi infussam à primo instanti Conceptionis Christi. In quo puncto variant Theologi, & in diversa dividuntur platica; quia tamen illorum examen propriam sedem habet, illudque memorat *disput. 37. num. 157.* vbi nos etiam de hoc agemus; ideò *in præsenti* solum asseveramus: fuisse in Anima Christi Domini scientiam per se acquisibilem, vel ex genere suo acquisitam, abstrahendo pro nunc à modo, quo illam habuit, an, scilicèt, proprijs actibus illam acquirendo, vel ab extrinseco infussam per accidens?

45 *Probatur conclusio ex Scriptura, & ratione.*

Et ostenditur: nam de hac scientia veniunt necessario intelligenda aliqua Scripturæ testimonia, præcipuè, illud ad *Hæbreos cap. 5. Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Et *Isaiæ 8. Antequam sciat* (experimentalitèr) *puer vocare Patrem, & Matrem, &c.* Et *cap. 7. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare, &c. Et antequam sciat puer reprobare malum, &c.* Et *Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia*, (experimentali) *& ætate.* Et ratio est: nam scientia per se acquisibilis, vel ex genere suo acquisita, pertinet ad perfectionem naturæ humanæ; sed hæc fuit in Christo perfecta: ergo in illo fuit hæc scientia. Aliàs probationes adducit Ill. Godoy *à num. 167.* quas in ipso videndas relinquo, simul cum argumentorum solutione.

46 *Species, & habitus per se acquisibiles fuerunt in Anima Christi Domini.*

Notandum tamen est, quod tàm rationes ab Ill. Godoy traditæ, quàm ratio à nobis adducta, non solum convincunt, fuisse in Anima Christi Domini species per se acquisibiles, quas intellectus agens ministerio sensuum abstrahit à phantasmatibus, & ex parte obiecti se tenent; sed etiam convincunt, in Anima Christi Domini fuisse habitum scientificum per se acquisibilem, seu ex genere suo acquisitum, qui præstat potentiæ intellectivæ facilitatem in ordine ad intellectionē, & se tenet ex parte potentiæ. Quod videri potest in Ill. Godoy *num. 175. & 176.* & attendenti ad nostram rationem manifestè patebit.

47 *Quædam Ill. God. incōsequentia declaratur.*

Sed licèt in conclusione nos, & Ill. Godoy conveniamus; non tamen prætermittam, inconsequentiam, quam contra ipsum ostendi *num. 27.* hic etiam declarare. Arguo sic contra ipsum: in Anima Christi Domini fuit scientia supernaturalis infussa; per quam res in proprio genere, & extra Verbum cognovit: ergo superfluit scientia per se adquisibilis, seu ex genere suo adquisita. Antecedens est Ill. Godoy *num. 62.* Consequentia probatur: ratio convincens necessitatem scientiæ supernaturalis infussæ, per quam Christus Dominus vltrà Scientiam Beatam cognoscat res in proprio genere, & extra Verbum, probat superfluitatem scientiæ adquisitæ, posita scientia supernaturali infussa; sed iuxtà Ill. Godoy in Anima Christi Domini fuit scientia supernaturalis infussa, per quam res in proprio genere, & extra Verbum cognovit: ergo superfluit scientia per se adquisibilis, seu adquisita ex genere suo. Probatur maior: ratio convincens necessitatem scientiæ supernaturalis infussæ, per quam Christus Dominus vltrà Scientiam Beatam cognoscat res in proprio genere, & extra Verbum, est, quia per scientiam supernaturalem infussam cognovit res in se ipsis, & in proprio genere, quomodo eas non cognovit per Scientiam Beatam; sed hæc ratio probat superfluitatem scientiæ adquisitæ, posita scientia supernaturali infussa: ergo ratio convincens necessitatem scientiæ supernaturalis infussæ, per quam Christus Dominus vltrà Scientiam Beatam cognoscat res in proprio genere, & extra Verbum, probat superfluitatem scientiæ adquisitę, posita scientia supernaturali infussa. Maior est Ill. Godoy *num. 81.* Minor probatur: per scientiam adquisitam cognoscit Christus res in se ipsis, & in proprio genere; sed hoc modo cognovit res per scientiam supernaturalem infussam: ergo ratio dicta probat superfluitatem scientiæ adquisitæ, posita scientia supernaturali infussa. Maior est Ill. Godoy *num. 165.* Minor est eiusdem *num. 62.* Consequentia legitima videtur.

48 *Respōdebit Ill. Godoy.*

Si ad hoc argumentum respondeatur, quod responsum manet ex doctrina ipsius Ill. Godoy ad argumentū factum *num. 27.* supposita confessione ibi à me facta, solutionem ad hominem contra ipsum impugno: ideò iuxtà solutionem ipsius Christus cognoscit res naturales scientia adquisita, quia res naturales sunt in se ipsis

Impugnat. solutio.

cog-

cognoscibiles scientia adquinta; atqui hæc ratio non tenet iuxtà Ill. Godoy: ergo inconsequenter procedit in solutione. Probatur minor: quod Deus sit cognoscibilis à posteriori, in creaturis, & ex creaturis, non probat, quod Deus sic se cognoscat: ergo quod res naturales sint in se ipsis cognoscibiles scientia adquisita, non probat, quod Christus eas cognoscat tali scientia. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. citat. infrà num. 27.* Efficatia autem paritatis ex ipso Ill. Godoy ostenditur pro superfluitate scientiæ adquisitæ; posita scientia supernaturali infusa, sicut ibi manet ostensa pro superfluitate scientiæ supernaturalis infusæ, posita scientia adquisita.

49 *Colligit.* 1. Ex dictis in discursu disputationis colligitur primò cum Ill. Godoy *num. 269*: constituendum esse in Anima Christi Domini in ordine ad visionem Beatam, præter Divinam Essentiam per modum speciei vnitam, lumen supernaturale, quod vocatur lumen gloriæ, vt de omnibus Beatis tenet communis sententia, & nos suppositum habemus *tom. 1. in 1. sent. disput. 18. numer. 1.* Et patet: vt enim visio Beata eliciatur connaturalitèr, requiritur, potentiam esse elevatam per formam permanentem intrinsecam, vt docuimus *disput. citat. & in hoc tom. disput. 23.* quæ forma debet esse distincta ab specie, se tenente ex parte obiecti; cum enim ex parte obiecti se teneat, non præstat virtutem potentiæ, nec per illam intellectus ad agendum elevatur; sed oportuit, quod Animam Christi Domini connaturalitèr visionem Beatam eliceret: ergo præter Dei Essentiam vnitam per modum speciei, constituenda est in intellectu Christi creato qualitas permanens supernaturalis, illum roborans, & elevans, quæ appellatur lumen gloriæ.

50 *Colligit.* 2. Secundò colligitur cum Ill. Godoy *num. 270*: ad actus scientiæ acquisitæ fuisse in intellectu Christi habitus per se acquisibiles, distinctos ab speciebus naturalibus. Quod patet: nam Anima Christi Domini promptè, facilè, & suavitèr prædictos actus elicuit; sed facilitas ad actus naturales scientificos non est effectus specierum, sed qualitatis habitualis, ab speciebus distinctę: ergo ad actus scientiæ acquisitæ constituendi sunt in Anima Christi Domini habitus per se acquisibiles, ab speciebus distincti, dantes facilitatem ad illos. Minor, præterquam quod est communis Logicorum, & Methaphysicorum sententia, constat primò: nam species se tenet ex parte obiecti, non autem ex parte potentiæ: ergo non præstat facilitatem ad actum. Secundò: nam in voluntate, præter cognitionem repræsentantem obiectum, illamque obiectivè determinantem, constituuntur habitus præstantes facilitatem ad actus: ergo paritèr in intellectu: præter speciem repræsentantem obiectum constituendi sunt habitus, quibus facilè reddatur ad intelligendum.

Colligitur denique: in Christo Domino esse ponendum intellectum seu habitum principiorum, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem. Et ratio generalis est: quia omnia hæc spectant ad perfectionem naturæ assumptæ, nullamque involvunt imperfectionem, quod particularitèr de omnibus ostenditur: nam fuisse in Christo intellectum, & prudentiam, patet: nam in nobis hi habitus nullam involvunt imperfectionem: ergo neque in Christo. Etiam fuit Sapientia, & Scientia; nam licèt in nobis sint admixtæ cum opinionibus, & incertitudine, in Christo tamen fuerunt ita perfectè, vt quod ratio naturalis consequitur, tàm quoad evidentiam aliquorum conclusionum, quàm quoad probabilitatem aliarum, consequtus fuit: itaquè in probabilibus cognovit omnes rationes probabiles, non tamen tulit sententiam de illis, sed suspendebat iudicium, vel tantum assentiebat probabilitati opinionum. Habuit etiam artem, sed sine vsu, nam licèt ad illum dirigat, non tamen ab illo dependet; nam tota eius perfectio ad intellectum spectat, & sine illo potest haberi.

51 *Colligit.* 3.

An autem habitus per se acquisibiles fuerint per accidens Christo infusi in primo conceptionis instanti, vel successu temporis proprijs actibus à Christo acquisiti? Et an etiam præter species per se infusas fuerit in Anima Christi Domini habitus per se infusus scientificus, realitèr ab illis distinctus? Proponit Ill. Godoy in fine disputationis, & ad primum ait: quod infrà *quæst. 12.* solet examinari, quod facit *disput. 37. num. 157.* Et ad secun-

52 *Quædam dubia.*

dum,

dum, quod *quæst.* 11. solet exagitari, quod controvertit *disput. citat. à num.* 10. Et nos etiam disputabimus disputatione dicta. Pro nunc autem, ad primum dicimus: tales habitus fuisse per accidens infusos, vt satis claret ex dictis *num.* 34. & 35. Ad secundum affirmativè respondemus. Et ratiò brevitèr est: quia sicut species nequit gerere vices potentiæ, ita nequit gerere vices habitus, qui se tenet ex parte potentiæ: ergo præter species infusas fuit in Anima Christi habitus infusus scientificus, realitèr ab illis distinctus.

Respondetur.

Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri vbi *disputatio præcedens.*

Mag. Sent.

*****

TRACTATUS OCTAVUS.

DE SCIENTIA BEATA ANIMÆ Christi.

DISPVTATIO TRIGESIMA TERTIA.

An Christus per intellectum creatum comprehenderit Divinam Essentiam?

§. I.

Explicatur quid sit comprehensio, & quid ad comprehensionem requiratur.

Num. 1 *Triplex cõprehensionis acceptio*

Prima.

TRipliciter apud Theologos comprehensio vsurpatur. Primò: pro qualibet cognitione, qualitèr idem sonat, quod obiecti apprehensio, cumque omnis actus intellectus apprehensio sit, omnis intellectus dici potest comprehensio, Deumque ab intellectu creato comprehendi, idem erit, quod ab ipso apprehendi, & intelligi; & in hoc sensu loquitur D. Paulus *ad Ephes.* 3. illis verbis: *Vt possitis comprehendere, quæ sit latitudo, &c.* Et sic certum est, Deum à nobis etiam in hac vita comprehendi; Deum namquè credimus per fidem, ipsumque intelligimus, & mente apprehendimus; & consequentèr comprehendimus ipsum iuxtà istum modum comprehensionis.

2 *Secunda.*

Secundò, & frequentiùs vsurpatur pro obiecti tentione, & assequutione, sivè adæquata sit, sivè non, quo sensu, quando quis latronem, quem insequitur, capit, etsi non totum teneat, sed partem, ipsum dicitur comprehendere; & in hoc sensu, certum est secundum fidem, Deum comprehendi à Beatis, iuxtà illud D. Pauli *ad Philipenses* 3. *Sequor autem, si quomodo comprehendam.* Et 1. *ad Corinthios* 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* Et *Canticorũ* 3. *Tenui eum, nec dimittam;* & *alibi*, de quo D. Thomas *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *artic.* 3. *ad* 1. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 7. *ad* 2. *quæst.* 4. *artic.* 3. in quo sensu accipiendus est Nazianzenus *Orat.* 34. *num.* 19. dum dixit: *Comprehensionem Divinæ Essentiæ esse præmium omnium Beatorum.* Sic etiam accipiendi sunt alij Patres, si alicubi inveniantur asserere, Deum à nobis comprehendi.

3 *Tertia.*

Sed quia comprehensionis vocabulum à rebus materialibus translatũ est, sicut in rebus corporeis dicimus:

vnum comprehendi ab alio, quando adæquatè continetur ab eo; ita in cognitione vnum dicetur comprehendi ab alio, quando adæquatè cognoscitur ab eo. Vndè tertiò accipitur comprehensio pro cognitione obiecti vndequaque perfecta, id est, adæquata, vel adæquante obiecti cognoscibilitatem, per quam obiectum cognoscitur, quantum cognoscibile est, iuxtà illud D. Augustini *Epistola* 112. *cap.* 9. *Illud comprehenditur, quod ita cognoscitur, vt nihil eius lateat cognoscentem, & cuius fines circunspici, vel circunscribi possunt à cognoscente.* Et *lib.* 12. *de Civit. Dei, cap.* 18. vbi ait: *Tunc aliquid comprehendi, quando totum, & totalitèr attingitur, vt nihil eius lateat.* Quæ diffinitiones qualitèr sint accipiendę, ex dicendis constabit, & hæc sola est rigurosa comprehensionis acceptio, inqua nostra procedit disputatio.

4 *Duo requiruntur ad comprehensionẽ strictam.*

Ex quo deducitur, duo ad comprehensionem rigurosam requiri. Primum est, quod cognoscatur obiectum secundum omnes eius formalitates, nulla prætermissa, vt aliqui tenent Scotistæ, vel quod saltim cognoscatur, vt alij sentiunt, secundum omnia prædicata quidditativa, illud intrinsicè constituentia. Secundum est, quod cognoscatur totalitèr secundum omnes gradus cognoscibilitatis. Quod docet Scotus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *§. ad* 2. dicens: Requiri ad hoc, vt potentia comprehendat obiectum, adæquationem, & commensurationem in ratione intelligibilis, & intellectivi, sic, quod potentia sit tantę intellectibilitatis, quantæ intelligibilitatis est obiectum; seu vt tanta sit cognitionis repræsentativitas, quanta est obiecti repræsentabilitas. Verba Scoti sunt hæc: *Videtur enim solus ille intellectus comprehendere aliquid intelligibile, cuius tanta est perfectio in intellectualitate, quanta est perfectio, vel intelligibilitas intelligibilis, & ideò ibi est commensuratio, & adæquatio, & propter hoc neutrũ est respectu alterius excedens.*

Scotus.

5 *Declaratur*

Et ratio est: nam stat, totum obiectum cognosci, & non totalitèr: ergo requiritur talis commensuratio. Antecedens in pluribus patet. Primò: in Beatis Deum totum videntibus, & non totalitèr. Secundò: in opinione, & fide, repræsentantibus totum obiectum, quod scientia repræsentat, & non totalitèr. Tertiò: in notitia abstractiva repræsentante totum obiectum, quod notitia intuitiva declarat, & non totalitèr. Quartò: in oculo cæcutientis totam albedinem vidente, sed non totalitèr, perfectiori enim modo ab oculo perspicaci registratur: ergo talis requiritur adæquatio.

Confirmatur.

Confirmatur: tunc est comprehensio alicuius obiecti, quando nihil illius latet cognoscentem, vt ex D. Augustino dictum habemus; sed si non cognoscatur obiectum, quantum cognoscibile est, aliquid lateret cognoscentem, nempè, ille modus, quo cognosci potest: ergo ad comprehensionem requiritur, quod obiectum cognoscatur secundum omnes gradus cognoscibilitatis illius, seu quod cognoscatur actu commensurato cum intelligibilitate obiecti.

6 *Dices.*

Sed dices: si cognoscitur totum, quod est in re, cognoscitur totum, quod est cognoscibile: ergo comprehenderetur res.

Contra.

Contra: nam licèt omnia in re reperta cognoscantur extensivè, restat adhuc ea cognoscere intensivè, hoc est, secundum omnem suam intelligibilitatem. Ratio est: quia cum intelligibilitas sit passio entis, secundum perfectionem entis habet perfectionem intelligibilitatis; itaquè si ens habet perfectionem vt duo, habebit etiam intelligibilitatem vt duo, & actus, qui non penetraverit totam hanc perfectionem, non comprehendet obiectum, etiam si illud cognoscat; nam cognoscet illud totum, sed non totalitèr.

7 *Qualis sit cognitio cõprehensiva.*

Ex quo, vt certum, & ab omnibus concessum est: cognitionem comprehensivam debere esse certam, evidentem, & intuitivam; quia comprehensiva cognitio est nobilissima cognitio, quæ de obiecto haberi potest. Ratio est: quia probabilis cognitio dubium relinquit intellectum; obscura non exprimit obiectum ea claritate, qua natum est intelligi; abstractiva non attingit illud secundum eum claritatis gradum, in quo natum est exprimi, per cognitionem intuitivam: debet ergo esse cognitio comprehensiva certa, evidens, & intuitiva.

8 *Opinio Ill. Godoy.*

Sic ita comprehensione accepta pro adæquata cognitione rei, cuius nihil latet cognoscentem, suppositâ adæquatione ex parte modi cognoscendi, quæ est secunda conditio ad comprehensionem requisita, & in-

qua,

qua, tàm Thomistæ; quàm Scotistæ conveniunt; circa primam est inter illos dissensio. Ill. Godoy in præsenti cum omnibus Thomistis, & D. Thomàs 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 8. affirmat: ad comprehensionem requiri, quod non solum formalia rei prædicata, verum, & quæ eminentèr, ac virtualitèr in ipso continentur, cognoscantur. Sic etiam sentiunt aliqui Neutrales, & ex nostris Smising. *de Deo uno, disp.* 7. *quæst.* 1. *num.* 10. *& sequentibus.* Per oppositum verò sentiunt omnes Scotistæ, Smising. excepto; affirmant namquè: ad comprehensionem superfluere cognitionem omnium, quæ in obiecto eminentèr, & virtualitèr continentur.

Opinio Scotistarum.

9 Sed licèt in hoc omnes contra Thomistas conveniant, dissentiunt tamen inter se. Aliqui enim substinent: ad comprehensionem necessario requiri, quod cognoscantur omnia prædicata, quæ sunt formalitèr in re. Sic Mastrius *disput.* 6. *de Anima, quæst.* 12. Vulpes *tom.* 1. *part.* 1. *disput.* 24. *artic.* 3. omnesque Scotistæ dicentes: Verbū produci ex cognitione omnium, quæ sunt formalitèr in Deo, talem cognitionem comprehensivam appellantes. Sic etiam Felix *de Visione, cap.* 12. *difficult.* 1. Eamque colligit ex Scoto *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. *§. contra rationem*, vbi impugnat D. Thomam, asserentem: quod si Anima Christi videret omnia possibilia in Verbo, comprehenderet Deum. Etiam colligit *ex* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *artic.* 2. *Et quodlibeto* 14. *§. hic intelligendum*, vbi docet: Verbum procedere ex cognitione comprehensiva, & non creaturarum.

Scotistarū dissensio.

Mastrius. Vulpes.

Felix, & alij.

10 Alij autem firmitèr tuentur: ad comprehensionem nullatenus requiri, quod cognoscantur omnia prædicata, quæ formalitèr, & ex natura rei continentur in obiecto, consequentèrque affirmant: ad comprehensionem sufficere (adæquatione ex parte modi cognoscendi suppositā) sola prædicata quidditativa, rem intrinsicè constituentia, cognoscere. Sic Rada 1. *part. controvers.* 11. & vniversim Scotistæ tenentes: Verbum Divinum ex sola Divinæ Essentiæ cognitione, & non personarum, procedere; potiorique iure Scotistæ asserentes: nec ex cognitione attributorum Verbum Divinum procedere per se in quarto modo, quod statutum habemus, & vt verius sustinuimus *tom.* 3. *in* 1. *disput.* 89. *num.* 57. *&* 58. Estque conformius ad ea, quæ diximus *tom.* 1. *in* 1. *disput.* 25. Et ad ea, quæ dicemus *tom.* 1. *in* 2. *sentent. disput.* 2. vbi propugnabimus: Essentiam Divinam præcisivè à personis, imò & ab attributis, esse obiectum essentiale beatitudinis.

Rada, & alij Scotist.

Hic est noster modus dicendi, qui sufficientèr patet per dicta *tom.* 3. *citat.* & probatur contra Scotistas in hoc nobis adversantes: ad comprehensionem strictam requiritur, quod nihil rei lateat cognoscentem; sed nihil Dei lateret cognoscentem, si omnia prædicata Dei quidditativa cognosceret: ergo ad comprehensionem sufficit, omnia talia prædicata cognoscere. Consequentia est legitima. Maior est D. Augustini *num.* 3. *citat.* & quam omnes admittunt. Minor verò, in qua vnicè est difficultas, probatur primò: Deus solum est essentialitèr Deus per prædicata illius quidditativa: ergo nihil Dei lateret cognoscentem, si omnia prædicata Dei, quidditativa cognosceret. Probatur secundò: nihil hominis, v. g. lateret cognoscentem, si omnia prædicata quidditativa hominis cognoscantur: ergo similitèr.

11 *Noster dicendi probatur* 1.

Secundò probatur ad hominem contra Scotistas: ad comprehensionem non requiritur, quod omnia prædicata, quæ formalitèr, & ex natura rei continentur in obiecto, cognoscantur: ergo sufficit ad comprehensionem, cognoscere sola prædicata, quidditativa, quæ rem intrinsicè cōstituunt. Antecedens patet in sententia Scotistarum docentium: Verbum Divinum non procedere ex cognitione personarum, & licèt hæc sit valdè communis opinio nostra, in alia apud nos indubitata probatur antecedens: Deus se beatificè videns pro priori ad personas, se comprehendit; atqui in illo signo non cognoscit omnia prædicata, quæ formalitèr, & ex natura rei continentur in ipso: ergo ad comprehensionem non requiritur, quod omnia prædicata, quæ formalitèr, & ex natura rei continentur in obiecto, cognoscantur. Consequentia infertur. Antecedens autem, pro eo, quod supponit, nempè, quod Deus se beatificè videat pro priori ad personas, est generalis Scotistarum opinio, asserentium cum Scoto, & contra Thomistas: Essentiam Divinam præcisivè à

12 *Probat. 2. ad homin. contra Scotistas.*

per-

perſonis eſſe obiectum eſſentiale beatitudinis. Quod verò Deus ſic ſe beatificè videns, ſe comprehendat, indubitatum eſt ; alioquim Deus ſe cognoſceret cognitione, quæ perfectiſſima non eſſet, quod diſſonat.

13 *Probat. 3. etiam ad hominem cõtra illos.*

Probatur tertiò ad hominem etiam contra Scotiſtas : poſsibilis eſt viſio beatifica præciſsiva ab attributis, & perſonis ; ſed ſi hæc viſio adæquaret intelligibilitatem Dei ex parte modi cognoſcendi, eſſet Dei comprehenſiva : ergo ad comprehenſionem non requiritur, quod cognoſcantur omnia prædicata, quæ formalitèr ex natura rei continentur in obiecto, & conſequentèr ſufficit, cognoſcere omnia, & ſola prædicata quidditativa, quæ rem intrinſicè conſtituunt. Vtraque conſequentia eſt legitima. Maior eſt expræſſa Scoti doctrina *in 1. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 2.* Cum quo omnes Scotiſtæ, vt diximus *tom. 1. in 1. ſentent. diſput. 19.* Minor verò eſt mihi certa, etſi eam Scotiſta neget, illam vide probatam per à nobis dicta *diſput. 31. à numer. 27. vſque ad 44.* vbi oſtendimus: quod ſi intellectus Chriſti creatus intelligeret per intellectionem increatam, Deum comprehenderet.

14 *Arguunt 1. Scotiſtæ cõtra noſtrũ dicendi modum.*

Arguunt primò Scotiſtæ contra noſtrum dicendi modum : comprehenſio non eſt qualiſcumque cognitio, ſed ampla quædam cognitio, & adæquata, quo ad omnia prædicata, quæ in re continentur formalitèr, & ex natura rei: ergo ad comprehenſionem non ſufficit, cognoſcere omnia, & ſola prædicata quidditativa, quæ rem intrinſicè conſtituunt. Probatur antecedens: ad comprehenſionem requiritur, quod nihil rei lateat cognoſcentem, vt ex Auguſtino dictum habemus ; ſed ſi comprehenſio non eſſet cognitio adæquata quoad omnia prædicata quæ in re continentur formalitèr, & ex natura rei, aliquid rei lateret cognoſcentem: ergo comprehenſio non eſt qualiſcumque cognitio, ſed ampla quædam cognitio, & adæquata, quoad omnia prædicata, quæ in re continentur formalitèr, & ex natura rei.

15 *Confirmatur.*

Confirmatur: nam ſicut res corporea contenta intra aliud corpus concavum, ſi ex omni parte ab eo non ambiatur, non comprehendi, ſed apprehendi, dicitur; ita ſimilitèr, res cognita, ſi ex omni parte non cognoſcatur, non comprehendi, ſed apprehendi, dicetur, quod eſt inadæquatè attingi. Atqui ſi res cognita non cognoſcatur quoad omnia prædicata, quæ in ipſa continentur formalitèr, & ex natura rei, non cognoſcitur ex omni parte: ergo non comprehendetur : ergo ad comprehenſionem non ſufficit, cognoſcere prædicata quidditativa rei, ſed vltrà requiritur, cognoſcere omnia prædicata, quæ in illa continentur formalitèr, & ex natura rei. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem patet: quia nomen comprehenſionis ex comprehenſione corporea fuit ad ſpiritualem translatum, vt diximus *num. 3.*

16 *Reſpond. 1. ad argum.*

Reſpondeo primò ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem explico maiorem : ad comprehenſionem requiritur, quod nihil rei, quod ſit de illius quidditate, lateat cognoſcentem concedo maiorem ; quod non ſit de illius quidditate nego maiorem, & diſtinguo minorem : ſed ſi comprehenſio non eſſet cognitio adæquata quoad omnia prædicata, quæ in re continentur formalitèr, & ex natura rei, aliquid rei lateret cognoſcentem, quod non eſſet de quidditate illius concedo minorẽ; aliquid, quod eſſet de illius quidditate nego minorem, & conſequentiam.

17 *Reſpond. 2. retorquendo argum.*

Reſpondeo ſecundò, retorquendo argumentum contra Scotiſtas : comprehenſio non eſt qualiſcumque cognitio, ſed ampla quædam cognitio, & adæquata quoad omnia prædicata, quæ in re continentur formalitèr, & ex natura rei; ſed perſonalitates Divinæ ſunt prædicata, quæ in Deo continentur formalitèr, & ex natura rei: ergo nequit eſſe cognitio Dei comprehenſiva, quin ſit cognitio perſonarum. Totum eſt verum apud adverſarios. Infero nunc primò : ergo Verbum Divinum procedit ex cognitione perſonarum, quod eſt contra plures Scotiſtas. Conſequentia patet; nam Verbum Divinum procedit ex cognitione comprehenſiva. Infero ſecundò: ergo Deus ſe beatificè videns propriori ad perſonas, ſe non comprehendit, quod eſt contra omnes Scotiſtas, vt dictum eſt *num. 12.* Hæc conſequentia claret: nam Deus pro priori ad perſonas, illas non cognoſcit : ergo aliquid Dei, quod formalitèr, & ex natura rei in illo continetur, latet Deum

pro

pro illo priori, & consequentèr se non comprehendit.

18 *Respond. 3. aliter retorquend.*

Respondeo tertiò, alitèr contra Scotistas retorquendo argumentum: comprehensio non est qualiscumque cognitio, sed ampla quædam cognitio & adæquata quoad omnia intelligibilia, quæ in re aliquomodo continentur: ergo ad comprehensionem non sufficit, cognoscere omnia prædicata, quæ formalitèr, & ex natura rei in obiecto continentur, sed vltrà requiritur, cognoscere omnia, quæ virtualitèr, vel eminentèr continentur in obiecto, & consequentèr ad Dei comprehensionem requiritur cognitio omnium possibilium, quod est contra omnes Scotistas. Hęc retorsio fundatur in hoc: quod sicut contra Thomistas asserentes: quod ad Dei comprehensionem requiritur cognitio possibilium, arguunt Scotistæ: ergo etiam requiritur cognitio futurorum; ita contra Scotistas tenentes: quod ad comprehensionem Dei requiritur cognitio omnium prędicatorum formalitèr in Deo contentorum, arguo ego: ergo etiam requiritur cognitio omnium, quæ eminentèr, vel virtualitèr continentur in Deo.

19 *Argumentum factũ militat contra factores.*

Et quod hæc sit optima ad hominem contra illos Scotistas argumentatio, patet: nam sicut Thomistæ ex adæquatione cognitionis comprehensivæ cum intelligibilitate obiecti, deducta ex verbis D. Augustini, scilicèt, *quod nihil eius lateat cognoscentem*, sentiunt, quod ad comprehensionem Dei requiritur cognitio omnium, quæ formalitèr, & virtualitèr continentur in obiecto; ita Scotistæ relati ex prædicta adæquatione, ex verbis relatis D. Augustin. deducta, sentiunt, quod ad comprehensionem requiritur cognitio omnium, quæ formalitèr in obiecto continentur: ergo sicut Scotistæ inferunt contra Thomistas, quod requiritur etiam cognitio futurorum; ita contra ipsos inferre valet, quod requiritur cognitio possibiliũ; alioquin cognitio comprehensiva non erit adæquata cum omni intelligibili, quod aliquomodo continetur in obiecto. Vndè argumentum, quod est fundamentum illorum Scotistarum, eodem pacto, si vim habet, militat contra ipsos, ac contra nos, vt patet ex dictis.

Ad confirmationem respondeo primò, ipsam retorquendo: sicut res corporea contenta intra aliud corpus concavum, si ex omni parte ab eo non ambiatur, non comprehendi, sed apprehendi, dicitur; ita similitèr, res cognita, si ex omni parte non cognoscatur, non comprehendi, sed apprehendi, dicetur, quod est inadæquatè attingi; atqui si res cognita non cognoscatur quoad omnia prædicata, quæ in ipsa continentur formalitèr, & virtualitèr, non cognoscitur ex omni parte: ergo non comprehendetur: ergo ad comprehensionem non sufficit, cognoscere prædicata, quæ formalitèr in illa continentur, sed vltrà requiritur, cognoscere prædicata, quæ in illa virtualitèr continentur, quod est contra Scotistas prædictos. Retorqueo secundò retorsione facta *num.* 17. Paritas enim de re corporea evidentèr probat primò: quod Verbum Divinum procedit ex cognitione personarum. Secundò: quod Deus se beatificè videns pro priori ad personas, se non comprehendit, quorum primum est contra plures Scotistas, & secundum contra omnes, vt dictum manet.

20 *Retorqueo confirm. 1.*

Retorq. 2.

Vndè in forma respondeo ad confirmationem, distinguendo maiorem: sicut res corporea contenta intra aliud corpus concavum, si ex omni parte ab eo non ambiatur, non comprehendi, sed apprehendi, dicitur; ita similitèr res cognita, si ex omni parte quidditativa non cognoscatur, non comprehendi, sed apprehendi, dicetur concedo maiorem; si ex omni parte non quidditativa non cognoscatur, non comprehendi, sed apprehendi, dicetur nego maiorem; distinguo minorem: si res cognita non cognoscatur quoad omnia prædicata, quæ in ipsa continentur formalitèr, & ex natura rei, non cognoscitur ex omni parte quidditativa, & non quidditativa concedo minorem; quidditativa tantùm nego minorem, & consequentiam simul cum subillata.

21 *Respondeo in forma ad confirm.*

Vt enim paritas de re corporea in præsenti teneat, sufficit, quod sicut res corporea tota physicè à continente ambitur; ita res cognita tota quidditativè cognoscatur; in alijs autem non currit, nec potest currere, vt est manifestum, & primò ostenditur: res corporea contenta comprehensivè

22 *Disparitas inter corpoream, & intellectualẽ comprehensionem.*

Ostendit. 1.

non est tantæ quantitatis, ac corpus continens, sed semper corpus comprehensivè continens rem corporeã, est maioris quantitatis, vt patet in auro ab arca lignea comprehenso, quod non semper evenit in re cognita comprehensivè respectu cognitionis; alioquim non esset tanta intelligibilitas in Deo, quanta est intellectualitas in illius cognitione, qua se comprehendit, quin potiùs Divina intellectio esset magis intellectualis, quam Deus est intelligibilis, quod est falsum.

23 *Ostendit. 2.* Ostenditur secundò: nam corporea comprehensio attenditur solum secundum quantitatem corporis continentis, non attenta perfectione corporum; aliquando enim evenit, quod corpus contentum sit nobilius, & perfectiùs corpore continente, vt claret in exemplo allato de auro in arca lignea comprehenso; & aliquando contingit, quod corpus continens sit nobilius, & perfectius corpore contento, vt liquet in ligno sub arca aurea comprehenso. Ast hoc non accidit, nec accidere potest in intellectuali comprehensione, quia hæc attenditur pœnès perfectionem intellectualitatis, & intelligibilitatis, ita, vt non se invicem excedant, sicut evenit in comprehensione corporea.

24 *Ostendit. 3.* Ostenditur tertiò: quia in comprehensione corporea corpus ita perfectè comprehenditur à corpore imperfectiori, quam à corpore æquè, vel magis perfecto, vt patet in exemplis adductis. Et ratio est: quia ad comprehensionem corpoream non requiritur commensuratio in substantia, & specie corporum. Ast in comprehensione intellectuali obiectum non ita perfectè comprehenditur ab intellectione imperfectiori, quam ab intellectione æquè, vel magis perfecta, quin potiùs repugnat, quod obiectum comprehendatur ab intellectione imperfectiori, cuius ratio per oppositum ad comprehensionem corpoream est: quia ad intellectualem comprehensionem requiritur commensuratio in substantia, & specie actus, nempè, quod ex genere suo habeat actus tantam virtutem in repræsentando, quanta est repræsentabilitas, seu intelligibilitas obiecti, vt ex Scoto diximus, & illius verba retulimus *num.* 4. Deniquè, quod paritas de corporea comprehensione in multis deficiat, tenet Ill. Godoy *numer.* 80.

25 *Arguunt 2. Scotistæ.* Arguunt secundò Scotistæ: cognoscere omnia, quæ sunt formaliter in re, est cognitio magis adæquata, quam præcisè cognoscere, quæ sunt quidditativa rei: ergo illa tantum erit comprehensiva cognitio. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: cognoscere omnia, quæ sunt formalitèr in re, est cognitio magis adæquata adæquatione pertinente ad comprehensionem nego antecedens; ad comprehensionem non necessaria concedo antecedens, & nego consequentiam. *Retorqueo.* Retorqueo etiam argumentum: cognoscere omnia, quę sunt formalitèr, & eminentèr in re, est cognitio magis adæquata, quam pręcisè cognoscere, quę sunt formalitèr in re: ergo illa tantum erit comprehensiva cognitio; quod est contra Scotistas prædictos.

26 *Arguunt 3. Thomistæ.* Sed quia hęc retorsio est argumentum, quod Thomistæ faciunt contra vtrumque modum dicendi Scotistarum, arguunt tertiò Thomistæ: cognoscere omnia, quæ sunt quidditativè, formalitèr, & eminentèr in re, est cognitio magis adæquata, quam cognoscere, quæ sunt quidditativa rei, imò, & quæ in re continentur formalitèr: ergo illa tantum erit comprehensiva cognitio. *Respond. 1.* Respondeo primò, distinguendo antecedens: cognoscere omnia, quæ sunt quidditativè, formalitèr, & eminentèr in re, est cognitio magis adæquata, adæquatione tantum illius rei nego antecedens; adæquatione illius rei, & aliorum in ipsa contentorum concedo antecedens, & nego consequentiam. Explico distinctionem: illa cognitio in argumento posita erit comprehensiva illius rei, & aliorum simul, quæ in ipsa continentur, sed de hàc non loquimur. *Respond. 2.* Respondeo secundò, aliter distinguendo antecedens: adæquatione pertinente ad comprehensionem nego antecedens; ad illam non necessaria concedo antecedens, & nego consequentiam.

27 *Retorq. 1.* Et vt hęc secunda clarescat responsio, eiusque efficacia percipiatur, retorqueo primò contra adversarios: cognitio attingens animam, non solum secundum omnia sua prædicata quidditativa formalitèr, & virtualitèr in ipsa contenta, non solum secundũ potentiam naturalem, verum & secundum potentiam obedientialem, est cognitio magis adæquata animæ:

ergo

ergo requiritur, vt comprehendatur, quod cognoscantur omnes effectus, ab ipsa secundum obedientialem potentiam producibiles? Negant aduersarij consequentiam. Sic & nos. Sed quia omnes hoc non admittunt contrarij, in omnium sententia retorqueo secundò: si Pater Æternus in producendo Verbum, cognosceret, non solum Essentiam Divinam, & possibilia; verum & creaturas futuras, magis adæquata esset cognitio; sed hoc non obstante, omnes concedunt, Verbum procedere ex cognitione comprehensiva, negant tamen procedere ex cognitione futurorum: ergo maior cognitionis adęquatio non requiritur ad comprehensionem.

Retorq. 2.

28 *Arguunt 4. Thomistæ.*

Quartò arguunt Thomistæ: si non cognoscuntur omnia, quæ virtualitèr, & eminentèr sunt in re, aliquid rei latebit cognoscentem: ergo ad comprehensionem requiritur, quod cognoscantur omnia, quæ virtualitèr, & eminentèr continentur in re. Probatur antecedens: quod in re eminentèr continetur, est aliquid rei: ergo si non cognoscuntur omnia, quæ virtualitèr, & eminentèr sunt in re, aliquid rei latebit cognoscentem. Probatur antecedens: etsi non sit aliquid formale eius, est tamen aliquid eius secundum rationem eminentem sibi æquivalentem: ergo quod in re eminentèr continetur, est aliquid rei. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, & probationes: quia re vera effectus non est aliquid causæ; esse verò virtualitèr, quod habet effectus in causa, est ipsa causa, & hoc cognoscitur, cognoscendo causam. Deindè: nam quod est virtualitèr, & eminentèr in re, vel est aliquid rei, vel non? Si primum: ergo cognoscitur, cognoscendo rem. Si secundum: ergo quamvis lateat cognoscentem, non obstabit ad comprehensionē; cum nihil rei ipsum lateat.

Instabis. Instabis: ergo saltim non cognoscetur res formaliter vt causa: ergo aliquid lateret. *Respondeo.* Respondeo cum Scoto *in 1. quæst. 2. §. ad 1. litt. E.* negando secundam consequentiam: nam eadem entitate, qua causa ante effectum erat causativa, est actu causans; sicut calidum eodem calore est calidum calefactivum, & actu calefaciens; solum enim requiritur positio effectus, ex quo relatio causæ resultat, & ad comprehensionem causæ non est necessarium, hanc relationem cognoscere; nam talis relatio est extra entitatem causæ. Explico hoc: duplicitèr potest Deus esse causa: materialitèr, & formalitèr. Materialitèr est ipsa Dei entitas, quæ quid intrinsecum est ipsi, & vt comprehendatur, necessario hæc entitas debet cognosci. Formalitèr est respectus rationis, Deo adveniens, & hic non petit cognosci, vt Deus comprehendatur, est enim extrinsecum ipsi.

Vrgebis. Vrgebis: quod est de ratione comprehensionis, debet in quacumque comprehensione reperiri; sed de ratione comprehensionis est, quod cognoscantur ea, quæ eminentèr, vel virtualitèr continentur: ergo, &c. Probatur minor: ad comprehensionem creaturæ requiritur, quod omnia, quæ in ipsa eminentèr continentur, cognoscantur: ergo ideò est, quia de ratione comprehensionis est, quod cognoscantur ea, quæ eminentèr, vel virtualitèr continentur. Probatur antecedens: ordo transcendentalis, quem dicit creatura ad omnes effectus, ab ipsa producibiles, debet intuitivè cognosci, vt creatura comprehendatur; sed ille ordo, nisi eius termini intuitivè cognoscantur, intuitivè nequit cognosci: ergo ad comprehensionem creaturę requiritur, quod omnia, quę in ipsa eminentèr continentur, cognoscantur.

Respondeo. Respondeo negando vltimam minorem; quia ad intuitivam notitiam relationis minimè necessaria est intuitiva cognitio termini; alioquin Divina Omnipotentia dicens secundum aliquos prædictam relationem ad creaturas possibiles, vti terminos eius, non posset intuitivè videri à beato, nisi intuitivè viderentur singula possibilia, quod est falsum; sufficit enim confusa cognitio. Solutio patet: nam si ad comprehensionem causæ debent attingi omnes effectus ab ea producibiles, deberent cognosci, non solum effectus, qui ab ea per potentiam naturalem produci possunt, verum & per potentiam obedientialem media elevatione; sed hoc à pluribus contrarijs non admittitur; dicunt enim, Angelum posse animam comprehendere, & tamen negant, posse cognoscere supernaturales effectus ab ea producibiles, mediantè auxilio gratiæ: ergo, &c. Probatur se-

quela: ideò secundum adversarios requiritur cognitio effectuum ad comprehensionem causæ, quia sic tantum virtus causæ totaliter exhauritur; sed habet anima virtutem, etsi incompletam ad supernaturales effectus: ergo si ad comprehensionem causæ debent attingi omnes effectus ab ea producibiles, deberent cognosci, non solum effectus, qui per potentiam naturalem ab ea possunt produci, verum & per obedientialem potentiam, media elevatione.

29 *Quid sit comprehensio, & quid ad eam requiratur.*

Ex his manifestè liquet, quid sit comprehensio. Nam iuxta opinionem omnium Thomistarum, comprehensio est adæquata obiecti cognitio, adæquatione non solum quoad omnia, quæ quidditativè, formalitèr, & virtualitèr, seu eminentèr continentur in obiecto; verum etiã quoad modum cognoscendi. Iuxta aliquos verò Scotistas, comprehensio est adæquata obiecti cognitio, non solum quoad omnia, quæ quidditativè, & formalitèr continentur in obiecto; verum etiam quoad modum cognoscendi. Et denique iuxta nostrum dicendi modum, comprehensio est adæquata obiecti cognitio, non solum quoad prędicata quidditativa; verum etiam quoad modum cognoscendi. Ex quo apparet, quid iuxta opiniones dictas ad comprehensionẽ requiratur.

§. II.

Relatis sententijs prima conclusio statuitur, & probatur.

30 1. *Sentẽtia affirmativa est hæretica.*

2. *Sentẽtia negativa est catholica.*

His de comprehensione statutis, circa disputationem præsentem Hæretici Anomæi, quorum Dux fuit Eunomius, affirmativam tenent sententiam, asserentes, vt refert Albelda 1. *part. disput.* 30. se naturam, & Essentiam Divinam comprehendere, quod proindè Animæ Christi Domini non negabunt. Eundem errorem quantum ad Animam Christi, tenuit Augustinus de Roma, cuius error fuit damnatus in Concilio Basilien. Negativa tamen sententia est communis apud omnes Catholicos. Illam tenent omnes Scholastici cum Magistro *in* 3. *dist. in fi.* 14.

31 *Sententia Ill. Godoy.*

Licèt autem omnes Theologi in sententia conveniant; in gradu tamen certitudinis dissident. Ill. Godoy *num.* 34. tenet: De fide esse, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato comprehensione, quæ strictè sit comprehensio. Alij autem per oppositum subsistunt: non esse de fide, Deum esse comprehensibilem ab intellectu creato. Sic Pilosius *disput.* 24. *artic.* 2. *num.* 5. Delgadillo *cap.* 8. *difficult.* 1. *dubio* 7. citans pro hac opinione Vazquez *disput.* 52. *cap.* 2. & Gaspar Hurtado *disput.* 8. *difficult.* 4. cum quibus, & ego, quia non contra Scotum, quidquid dicat Felix *tract. de Visione, cap.* 12. *difficult.* 2. Pro cuius explicatione sit.

Opposita defensanda

Prima conclusio: *Humanitas Christi Domini non comprehendit de facto Divinam Essentiam, nec potuit de potentia absoluta.* Prima pars conclusionis ex secunda dependet; si namquè non repugnaret de potentia absoluta, de facto eam comprehendisset, iuxta sæpius repetita. Vtramquè partem conclusionis docent omnes Catholici, loquendo de comprehensione in riguros acceptione. In reddenda autem ratione incomprehensibilitatis Divinæ, sivè ab Anima Christi, sivè à quovis intellectu creato, non omnes conveniunt.

32 1. *Conclusio*

Et relictis aliorum rationibus, quas refert, & refutat Ill. Godoy *à numer.* 6. *vsque ad* 37. ipse conclusionem probat *num.* 38. hac ratione: Tunc aliquid comprehenditur, quando ità perfectè cognoscitur, sicut cognoscibile est, non solum ex parte obiecti, sed etiam ex parte modi cognoscendi; sed licèt totus Deus à Beatis videatur, non tamen videtur, nec videri, vel cognosci potest, ita perfectè, sicut ex suis meritis petit cognosci ex parte modi cognoscendi: ergo non comprehenditur, nec comprehendi potest ab intellectu creato, vel creabili; & consequentèr intellectus Animæ Christi, nec comprehendit de facto, nec potest de potentia absoluta Dei Essentiam comprehendere. Secunda consequentia ex prima evidentèr colligitur; nam intellectus Christi creatus eiusdem rationis est cum nostro, & cuius lumen, quo potest actuari, & perfundi, finitum est quoad essentiam, & finitæ cognitionis principium: ergo si intellectus noster, nec alius intellectus creatus Dei essentiam comprehendere potest, quia creatus est, & creato tantum lumine actuabilis, paritèr, nec intellectus Christi creatus Dei essentiam poterit comprehendere. Prima

33 *Probat cõclusionem* 1 *Ill. Godoy.*

ex præmissis non minus evidenter infertur; præmissæ autem indigent probatione.

34 *Minorem probat. 1.* Minorem ostendit primò: nam tunc aliquid cognoscitur quantum cognoscibile est quoad modum cognitionis, quando modus obiecti est modus cognoscentis; vt explicat Div. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 7. *ad* 3; sed implicat modum Divinæ Essentiæ, vt cognoscibilis, esse modum intellectus creati cognoscentis: ergo implicat intellectum creatum cognoscere Divinam Essentiam in quantum cognoscibilis est ex parte modi cognitionis. *Secundò.* Secundò: nam Deus cum sit infinitæ actualitatis, & immaterialitatis infinitæ, est etiam infinitæ intelligibilitatis; hæc namquè ad immaterialitatem consequitur, & cum illa commensuratur; sed nulla cognitio intellectui creato possibilis, potest esse infinita per essentiam, cum operatio commensuretur virtuti principij elicientis, omnis autem virtus intellectui creato possibilis quoad essentiam sit finita: ergo nullus intellectus creatus potest Dei essentiam cognoscere, quantum cognoscibilis est ex parte modi cognoscendi.

35 *Tertiò.* Tertiò: nam modus cognitionis Divinæ non excedit, sed tantum adæquat modum cognoscibilitatis Dei; sed nulla intellectio possibilis intellectui creato potest adæquare modum, evidentiam, & claritatem Divinæ cognitionis, vt per se est manifestum, sicut manifestum est, non posse adæquare illius actualitatem, & immaterialitatem: ergo nec potest adæquare modum intelligibilitatis passivæ Divinæ. *Quartò.* Probatur deniquè: quia namquè Divina cognoscibilitas fundatur in summa actualitate, quæ nulli creaturæ potest communicari, non est dabilis creatura, cuius passiva intelligibilitas adæquetur, seu commensuretur cum passiva intelligibilitate Dei; sed etiam activa intellectualitas immaterialitatem consequitur, & super illam fundatur, nullaque virtus activa, vel actualis cognitio creata potest esse immaterialitatis infinitæ per essentiam: ergo non est dabilis creata cognitio, cuius modus adæquetur cum modo cognoscibilitatis Divinæ.

36 *Probat maiorem 1.* Deindè maiorem, in qua præcipuè est posita difficultas, ostendit primò ex D. Gregorio *lib.* 12. *Moralium, cap.* 28. illis verbis: *Nec tamen videmus, sicut videt ipse se ipsum, longè quippè disparilitèr, videt creator se, quam videt creatura creatorem; nam quantum ad immensitatem Dei quidam modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circunscribimur, quo creaturæ sumus.* Vbi vt constat ex indè probat D. Gregorius, Deum à creatura visum, non comprehendi, non quia aliquid videat creator, quod creatura non videat, sed quia disparilitèr videt, hoc est, modo longè diverso, scilicèt, limitato, & finitò orto ex eo, quod creatura est: ergo ex mente D. Gregorij ad rei comprehensionem petitur adæquatio cognitionis ad obiectum cognoscibile, nedum quo ad rem visam, sed etiam quoad modū cognoscendi.

37 *Secundò.* Secundò ex Cyrilo Hierosolymitano *Catechesi* 6. vbi explicans illud Ioannis: *Deum nemo vidit vnquam*; & opponens id, quod alibi scriptum est: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, &c.* respondet: *Vident sanè Angeli, sed non ità vt est, sed secundum quod est, & ipsi capiunt.* Et paucis interpositis addit: *Solus autem Spiritus Sanctus, vt oportet, videt.* Vbi clarè constat, hoc inter Angelos Deum videntes, & Deum se comprehendentem statuit discrimen, quod Angeli vident Deum secundum quod est, non ita vt est, id est, non eo modo ex parte cognoscentis, quem Deus habet in se; Spiritus autem Sanctus Deum videt, & secundum quod est, & eo modo, quo est; & consequentèr sentit, ad Dei comprehensionem requiri, quod modus cognoscentis adæquetur, & commensuretur cum modo rei cognitæ.

38 *Tertiò.* Tertiò probat prædictam maiorem: non enim minus pertinet ad dignitatem obiecti, in quantum est cognoscibile, modus suæ cognoscibilitatis, & cognitionis, qua ex proprijs meritis petit cognosci, quam ea, quæ in ipso, & ex ipso possunt cognosci; sed non stat rei comprehensio, si in ipsa non cognoscantur omnia, quæ ex vi cognitionis illius possunt cognosci: ergo nec sine adæquatione ad modum cognoscibilitatis eiusdem.

39 *Ratio Ill. God. in nostris principijs non tenet, ob falsitatē maior.* Hæc tamen ratio Ill. Godoy in nostris principijs sustineri non potest, neque in suis valet subsistere. Non (inquam) in nostris; quia in maiori argumenti supponit, quod ad comprehensionem cuiuscumque ob-

iecti requiratur, cognoscere omnia ea, quæ in ipso, & ex ipso possunt cognosci, vt habet expræsè in tertia maioris probatione. Hoc autem esse in nostra sententia falsum, constat ex dictis §. *antecedenti*, vbi propugnatum reliquimus, quod ad comprehensionem obiecti non requiratur cognitio omnium, quæ eminentèr, vel virtualitèr continentur in ipso; immò nec opus esse, cognoscere omnia, quæ formalitèr, & ex natura rei continentur in illo.

40 *Ratio Ill. God. non tenet in suis principijs, ob falsitatē maioris.*

Quod autem in doctrina Ill. Godoy subsistere non valeat, hac suadetur ratione: si esset species impræssa, Deum quidditativè dumtaxat repræsentans, (cuius possibilitatem cum Scoto statuimus contra Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *disput.* 11. & quod est valdè notatu dignum pro efficatia huius rationis) talis species Deum quidditativè repræsentaret, quin esset repræsentativa eorum, quæ virtualitèr, vel eminentèr continentur in Deo; atqui talis species Deum comprehensivè repræsentaret in principijs Ill. Godoy: ergo in eius principijs non requiritur ad comprehensionem cognitio omnium, quæ virtualitèr, vel eminentèr in obiecto continentur. Consequentia est legitima. Minor est doctrina Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 11. vbi *num.* 49. probat, quod illa species esset eiusdem immaterialitatis cum Deo, ex quo necessario infertur, quod esset Dei comprehensiva. Maior verò constat; alioquim talis species non repræsentaret Deum quidditativè dum taxat, sed repræsentaret etiam ea, quæ sunt extra quidditatem Dei, vti sunt omnia illa, quæ virtualitèr, vel eminentèr continentur in Deo.

41 *Ratio dicta etiam non tenet, ob falsitatem minoris.*

Deindè, nec in nostris, nec in suis principijs, valorem habet ratio prædicta. Non in nostris, quia in minori argumenti supponit, quod ad comprehensionem Dei requiritur adæquatio entitativa in modo cognoscendi, scilicèt, quod cognitio sit infinita per essentiam, sicut Deus est per essentiam infinitè cognoscibilis, vt expræsè fatetur in secunda minoris probatione, & etiam *num.* 46. Hoc autem esse in nostra opinione falsum, est luce clarius; nos enim ad comprehensionem solum requirimus adæquationem in repræsentatione, & commensuratione, seu attingibilitate obiecti ad potentiam, & potentiæ ad actum, id est, quod actus valeat repræsentare obiectum finito, vel infinito modo, sicut obiectum fuerit repræsentabile, vt cum Scoto diximus *num.* 4. & per sequentia probavimus.

42 *Ob falsitatem etiam minoris nō tenet ratio prædicta.*

Quod autem in principijs Ill. Godoy, imò & in principijs generalibus, valorem non habeat ratio prædicta, ostenditur primò: inter actum, & obiectum non requiritur entitativa proportio: ergo inter actum comprehensivum obiecti, & obiectum comprehensum non requiritur entitativa proportio: ergo nec entitativa adæquatio. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti; nam si inter actum, & obiectum non requiritur entitativa proportio, nulla potest esse ratio, vt inter actum comprehensivum, & obiectum comprehensum talis proportio requiratur. Quod ostenditur primò: inter actum, & obiectum sufficit proportio habitudinis, & in ratione obiecti formalitèr, vt ait Ill. Godoy *num. seq. citandus*: ergo inter actum perfectissimum, qualis est comprehensivus, & obiectum, sufficiet perfectissima proportio habitudinis, & in ratione obiecti formalitèr: ergo non requiritur entitativa proportio. Secundò: quia alioquim falsa esset absolutè hæc propositio: *Inter actum, & obiectum non requiritur entitativa proportio*, quod est contra Ill. Godoy.

Primò.

43

Antecedens est doctrina, quam expræsè tradit Ill. Godoy *disput.* 35. *numer.* 26. his verbis: *Vt obiectum attingatur per actum non petitur convenientia entitativa; Deus namquè per visionem creatam quidditativè cognoscitur, etsi entitativè distet infinitè ab illa, quia eius habitudinem terminat, & intra obiectum intellectus continetur. Similitèr res ordinis naturalis supernaturali fide creduntur, & si entitativè in ordine non conveniant cum illa. Licèt autem entia naturalia non conveniant entitativè in ordine cum scientia per se infussa supernaturali; conveniunt tamen cum illa convenientia habitudinis, quia illius habitudinem terminant, & in ratione obiecti cognoscibilis qualitèr supernaturalia sunt.*

44 *Secundò.*

Secundò: si ad comprehensionem requireretur adæquatio entitativa, hæc omnia sequerentur. Primò: quod nulla creatura posset comprehendere substantiam. Secundò: quod nulla

crea-

creatura posset comprehendere aliã. Tertiò : quod Angelus non posset se ipsum comprehendere. Quartò: quod nullus Angelus, quantumcumque superior, possit comprehendere Angelum, quantumcumque inferiorem, immò nec hominem, nec res aliquas creatas. Et ratio est: nam omnis cognitio creata est accidens, quod proportionem entitativam non habet cũ substantia, vti est Angelus, homo, &c.

45 *Tertiò.* Tertiò : inter actum, & obiectum non requiritur iuxta dicta proportio entitativa : ergo entitativa proportio non requiritur inter modum cognoscendi actus, & modum intelligibilitatis obiecti : ergo ad Dei comprehensionem non requiritur, quod cognitio sit infinita per essentiam. Probatur prima consequentia primò : eadem proportio, quæ requiritur inter actum, & obiectum, requiritur inter modum cognoscendi actus, & modum intelligibilitatis obiecti ; sed inter actum, & obiectum non requiritur proportio entitativa: ergo nec inter modum cognoscendi actus, & modum intelligibilitatis obiecti requiritur talis entitativa proportio. Probatur maior : tàm proportio requisita inter actum, & obiectum, quàm inter modum cognoscendi actus, & modum intelligibilitatis obiecti, est in linea intelligibili, seu, vt loquitur Ill. Godoy, in ratione obiecti formaliter : ergo eadem proportio, quæ requiritur inter actum, & obiectum, requiritur inter modum cognoscendi actus, & modum intelligibilitatis obiecti. Probatur secundò consequentia prædicta : modus cognoscendi actus, & modus intelligibilitatis obiecti non variant essentias, vel entitates actus, & obiecti; sed inter actum, & obiectum non requiritur proportio entitativa: ergo nec inter modum cognoscendi actus, & modum intelligibilitatis obiecti.

46 *Quartò.* Quartò ostenditur: ad cognoscendum Deum comprehensivè non requiritur, quod cognitio sit infinita per essentiam : ergo falsa est minor argumenti Ill. Godoy, & illius probatio. Probatur antecedens : ad repræsentandum Deum comprehensivè non requiritur species infinita per essentiam: ergo pariter: ad cognoscendum Deum comprehensivè non requiritur, quod cognitio sit infinita per essentiam. Probatur antecedens: si esset species impressa Dei repræsentativa, Deum comprehensivè repræsentaret ; sed talis species non est infinita per essentiam : ergo ad repræsentandum Deum comprehensivè non requiritur species infinita per essentiam. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy, vt diximus *num.* 40. Minor verò probatur : talis species esset à Deo producta, vt omnes fatentur; sed esse à Deo productam, & esse infinitam per essentiam, est omnino repugnans, vt ex terminis apparet: ergo talis species non est infinita per essentiam.

47 *Quintò.* Quintò ostenditur : si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione infinita, à Deo producta, intellectus Christi creatus Deum comprehenderet ; sed talis intellectio non esset infinita per essentiam : ergo ad Dei comprehensionem non requiritur, quod cognitio sit infinita per essentiam, & consequenter falsa est minor, quam in argumento ponit Ill. Godoy, falsaque illius probatio. Minor, cum vtraque consequentia tenet. Maior verò probata manet per dicta *disp.* 31. *num.* 27. *& à n.* 34. *vsque ad* 44. quæ facilitèr hic accommodari valèt.

48 Deniquè, quod inter actum, & obiectum non requiratur entitativa proportio, ostenditur paritate comprehensionis corporeæ, in qua, vt comprehensio sit, non requiritur, quod corpus comprehendens sit in entitate adæquatum, & commensuratum cum corpore comprehenso ; nam aureus numus comprehenditur ab arca lignea, & certè hæc est paritas, qua vtuntur Thomistæ ad hanc veritatem stabiliendam ; nam secundum ipsos sic spiritualitèr comparatur repræsentatio cognitionis cum re cognita, sicut superficies concava corporis continentis cum superficie convexa corporis contenti ; sed inter superficiem concavam corporis continentis, & superficiem convexam corporis contenti, non requiritur entitativa proportio : ergo nec requiritur inter actum, & obiectum.

49 Ex hac itaquè paritate, & clariùs ex paritatibus assignatis *num.* 44. luce clarius apparet, quod inter potentiam, & obiectum non requiratur entitativa proportio, quod evidentiùs claret in doctrina omnium Thomistarum; nam intellectus Angeli, se, & hominem

com-

comprehendentis, est accidens iuxtà ipsos; Angelus autem, & homo sunt substantiæ; sed inter accidens, & substantiam non est entitativa proportio: ergo proportio entitativa non est inter potentiam comprehendentem, & obiectum comprehensum. Si ergo datur comprehensio absque entitativa proportione, tùm inter potentiam, & obiectum; tùm etiam inter actum, & obiectum, vt ostensum manet, & omnes Thomistæ fatentur, & fateri debent, ex quo principio deducit Ill. Godoy, quod ad Dei comprehensionem requiratur entitativa proportio inter actum, & obiectum, & consequentèr, quod ad Dei comprehensionem requiratur cognitio infinita per essentiã? Certè non capio, & ni fallor, doctrinæ Thomistarum adversatur, & inconsequentèr procedit, vt patet ex dictis *num.* 43.

Et clarissimè docet ipse *num.* 81. per hæc verba: *Non enim requiritur adæquatio in entitate, aut in modo, absoluta cognitionis ad obiectum ad rationem comprehensionis, hoc est, quod cognitio sit substantia, si obiectum cognitum substantia est, vel quod sit tantæ perfectionis, quantæ est obiectum cognitum; sed sufficit adæquatio in propria linea, hoc est, quod tanta sit cognitio in ratione cognitionis, quantum fuerit obiectum in ratione cognoscibilis, ita, vt si obiectum est cognoscibile demonstrabilitèr, cognitio habeat modum demonstrativæ, si fuerit cognoscibile vt quinque, cognitio sit vt quinque, si fuerit cognoscibile modo infinito, cognitio sit infinita in ratione cognitionis, estò infinitas cognitionis sit inferior absolutè infinitate obiecti cognoscibilis. Et quia efficatia actionis commensuratur cum principio activo, requiritur, quod in principio activo, saltim radicali, inveniatur æqualitas absoluta cum obiecto cognoscibili. Cum ergo cognitio, qua Angelus sè ipsum cognoscit, tanta sit in ratione cognitionis, quanta est substantia cognita in ratione cognoscibilis; non enim petit perfectiorem cognitionem, & natura eiusdem Angeli, tanta sit absolutè in ratione intellectivæ, quanta est eadem natura in ratione cognoscibilis; sit consequens, quod sè ipsum comprehendat.* Quod idem prosequitur *num.* 82.

50 *Probat Ill. Godoy conclusionem 2*

Secundò probat conclusionem Ill. Godoy *numer.* 44: conclusio enim demonstrabilis, quia petit cognosci modo demonstrativo, non comprehenditur, si opinativè tantum cognoscatur, estò nulla pars illius ab opinante ignoretur: ergo ad rei comprehensionem exigitur commensuratio, sivè adæquatio, nedum quoad formalitates, & prædicata cognita, verum etiam quoad modum suæ cognoscibilitatis, idest, quod cognoscatur eo modo, quo ex proprijs meritis petit cognosci. Et augetur difficultas: plus enim distat modus infinitæ cognitionis à modo cognitionis finitæ, quam modus demonstrativus à modo opinativo, & probabili; sed cognoscibile demonstrativè, & evidenter, non comprehenditur à cognoscente illud opinativè: ergo cognoscibile ex proprijs meritis modo infinito, non potest comprehendi à cognoscente illud per finitam, limitatamque cognitionem. Qua ratione vsi sunt ad salvandam incomprehensibilitatem Divinam, Capreolus, Sotus, Ferrara, Caietanus, & frequentèr Recentiores Thomistæ. Et etiam D. Bonaventura *in* 3. *dist.* 14. *artic.* 1. *quæst.* 2. Ricardus *artic.* 1. *quæst.* 4. Scotus *quæst.* 1. §. *ad secundum argumentum, in solutione secundæ probationis.* Durandus *quæst.* 1. *num.* 10. Ex Patribus Societatis Molina, & Herice *tract.* 1. *disput.* 4. *cap.* 4. Et alij Recentiores frequentiùs.

Confirmatur.

Sed licèt hæc ratio in bonum sensum, scilicèt, conformitèr ad nostrum modum dicendi circa comprehensionem, vera, & optima sit, ex ipsa tamen manifestè apparet, quod ratio incomprehensibilitatis infiniti est finitas cognitionis, vt constat ex illis verbis: *Cognoscibile modo infinito, non potest comprehendi à cognoscente illud per finitam, limitatamque cognitionem.* Etiam apparet manifestè: quod ratio incomprehensibilitatis Divinæ est finitas cognitionis, iuxtà Authores ab Ill. Godoy relatos, qui vsi sunt, vt ait, ratione prædicta. Ex quibus manifestè etiam apparet: quod si esset intellectio infinita, non per essentiam, sed à Deo producta, esset Dei comprehensiva, quod ex prædicta Ill. Godoy probatione probavimus ad hominem contra ipsum *disput.* 31. *à num.* 29. *vsque ad* 34. Videantur ibi.

51 *Hæc 2. ratio militat contra 1. rationem Ill. Godoy.*

Et nunc de nobo contra ipsum probatur: ratio incomprehensibilitatis Divinæ est finitas, & limitatio cognitionis, ideòque cognoscibile modo infinito non potest comprehendi à

52 *Amplius probatur intentum.*

cog-

cognoscente illud per finitam, limitatamque cognitionem: ergo cognoscibile modo infinito comprehendi potest à cognoscente illud per infinitam, illimitatamque cognitionem: ergo si intellectus creatus cognosceret Deum infinita, illimitataque cognitione, à Deo producta, Deum comprehenderet. Hęc consequentia patet: nam talis cognitio esset infinita, & illimitata. Infero nunc: ergo data cognitione infinita, & non per essentiam, per ipsam Deus comprehenderetur, & consequenter falsum omninò est, quod ad Dei comprehensionem requiratur cognitio infinita per essentiam, quæ est doctrina in prima ratione Ill. Godoy tradita.

§. III.

Traditur vera ratio incomprehensibilitatis Divinæ.

53 *Vera conclusionis ratio traditur, & defenditur.*

RElicto modo dicendi Ill. Godoy, & alijs rationibus parum efficacibus omissis, vera ratio nostræ conclusionis sumitur, & D. Augustino *locis suprà relatis*, & ex diffinitione comprehensionis. Comprehensio enim est adęquata obiecti cognitio, non solum quoad prædicata quidditativa, verùm etiam quoad modum cognoscendi; sed licèt totus Deus quoad hæc prædicata videatur à Beatis; non tamen videtur, nec videri, vel cognosci potest ita perfectè, sicut petit cognosci ex parte modi cognoscendi: ergo non comprehenditur, nec comprehendi potest ab intellectu creato, vel creabili, & consequenter intellectus Animæ Christi, nec comprehendit de facto, nec potest de potentia absoluta Dei essentiam comprehendere. Secunda consequentia ex prima evidenter colligitur: nam intellectus Christi creatus eiusdem rationis est cum nostro: ergo si intellectus noster, nec alius intellectus creatus, Dei essentiam comprehendere potest, quia creatus est; paritèr nec intellectus Christi creatus Dei essentiam poterit comprehendere. Prima consequentia ex præmissis non minus evidenter infertur. Ex præmissis autem maior patet per dicta *§. 1. per totum.*

54 *Minor probatur.*

Minor verò quoad primam partem est omnibus certa. Quoad secundam autem, in qua difficultas, si aliqua potest esse, est, probatur brevitèr: Deus ita perfectè petit cognosci ex parte modi cognoscendi, vt petat cognosci infinitè, vel infinito modo; seu Deus nec videtur, nec videri, vel cognosci potest à Beatis infinitè, vel infinito modo: ergo Deus à Beatis non videtur, nec videri, vel cognosci potest ita perfectè, sicut petit cognosci ex parte modi cognoscendi. Consequentia est legitima. Maior est evidens; Deus enim est infinitus, & consequenter infinitè, vel infinito modo cognoscibilis; nam cognoscibilitas sequitur ad entitatem. Minor autem probatur: Deus nec videtur, nec videri, vel cognosci potest à Beatis infinitè, vel infinito modo, quin Beati videant, aut videre, vel cognoscere possint Deum cognitione infinita; atqui Beati nec vident, nec videre, vel cognoscere possunt Deum cognitione infinita: ergo Deus nec videtur, nec videri, vel cognosci potest à Beatis infinitè, vel infinito modo. Probatur minor: repugnat, intellectum creatum intelligere intellectione infinita, vt probavimus *disput. 31. à numer. 85. & sequentibus*; & est communis Theologorum consensus.

55

Responsiones, quæ ad hanc rationem adduci valent, omitterem, si illas in vera doctrina Ill. Godoy impugnaret; sed quia in illis valdè ab ipso dissentimus, vt contra ipsum procedamus, & nihil eius, quod à nobis sit impugnabile, sine impugnatione relinquamus, necessarium est, responsiones ad nostram rationem assignare.

56 *Respondebis 1.*

Respondebis itaquè primò: prætermissa argumenti maiori, negando minorem quoad secundam partem; ad cuius probationem negabis etiam minorem, & ad huius probationem etiam minorem negabis, & ad probationem negabis antecedens; nam licèt lumen, quo de facto elevatur intellectus creatus ad Dei essentiam videndam, sit finitum; potest tamen de possibili esse infinitæ intensionis; cum sententia docens, non repugnare qualitatem intensionis infinitæ, probabilis sit; ac proindè erit possibilis visio Dei infinitæ intensionis, qua admissa, non est, cur non dicatur, ad Dei comprehensionem sufficere, maximè, cum nos asseramus, quod si intellectus creatus intelligeret intellectione infinita, Deum comprehenderet.

Hanc solutionem, provt obstat Thomisticæ opinioni, impugnat Ill.

57 *Impugnatio Ill. Godoy.*

Godoy *num.* 46: nam esto admittatur gratis posibilitas, seu non implicatio luminis infinitè intensi; hoc tamen lumen non adæquaret modum cognoscibilitatis Divinæ: ergo nec visio mediantè hoc lumine elicita adæquaretur cum illo; & consequentèr comprehensio Divinæ essentiæ esse non posset. Probat antecedens: modus cognoscibilitatis Divinæ est infinitus per essentiam; & consequentèr petit cognitionem per essentiam infinitam; sed lumen infinitæ intensionis infinitum quoad essentiam non esset; nullus enim, quantumvis insanæ mentis, possibilitatem infiniti per essentiam extra Deum potest admittere; cum omne, quod Deus non est, creatura sit; & consequentèr habens esse, non à se, in quo infinitum per essentiam consistit, sed ab alio, per quod creatura ab ente per essentiam distinguitur: ergo lumen infinitæ intensionis non adæquaret modum cognoscibilitatis Divinæ. Hæc tamen impugnatio nulla est, cuius nullitatem ostendimus *à numer.* 42. *usque ad num.* 50. ad quod nihil occurrit addendum.

Impugnatio hæc nulla est.

58 *Vera impugnatio.*

Vndè aliter à nobis solutio data reijcitur: nam estò gratis admitatur posibilitas, seu non implicatio luminis infinitè intensi, adhuc visio non esset intensionis infinitæ; nam cum lumen non sit tota ratio agendi respectu visionis beatificæ, sed tantum causa partialis cum intellectu ad illam concurrens, vt cum veriori sententia docuimus *tom.* 1. *in* 1. *disput.* 16. visio ab vtroque producta esset finita ob finitatem intellectus. Et ratio est: quia quando ad aliquem effectum plura concurrunt, licèt vnum sit infinitum, si aliud finitum est, effectus non est infinitus, vt probatum reliquimus *tom. præcedenti*, tùm *disput.* 1. *à num.* 43. *usque ad* 50. & specialitèr contra Ill. Godoy *num.* 52. 53. & 54. Tùm etiam *disput.* 3. *à num.* 3. *usque ad* 11. & ad hominem contra Ill. Godoy *numer.* 40. & 41. Vbi videri possunt, ne dicta repetamus.

59 *Instabis.*

Instabis: data posibilitate luminis infinitè intensi, & suppositа posibilitate intellectus infiniti, visio ab vtroque producta esset intensionis infinitæ: ergo esset Dei comprehensiva. Antecedens patet: nam, vtraque hypotesi data, omnia principia ad visionem concurrentia essent infinita. Consequentia est apud nos legitima; quia data visione infinita, datur sufficiens proportio ad Dei comprehensionem: ergo, hac vtraque hypotesi facta, intellectus creatus Dei essentiam comprehenderet. Respondeo concedendo totum, quidquid dicat Ill. Godoy. Imò hoc est, quod nos diximus *disput.* 31. §. 2. Sed nego posibilitatè vtriusque hypotesis factæ, qua negata, manifestè infertur: intellectum creatum non posse Deum comprehendere.

Respondetur.

Respondebis secundò: negatis negandis negando vltimum antecedens: nam licèt intellectus, & lumen illum elevans ad producendam visionem Divinæ essentiæ, finiti, & limitati sint; essentia tamen Divina, quæ per modum speciei concurrit cum intellectu creato, est infinita, & consequentèr visio etiam infinita erit. Hæc responsio probat: visionem de facto à Beatis elicitam esse infinitam, quod est omninò falsum; vndè nulla est. Ratio autem, cur visio sit finita, etsi ad eam concurrat essentia Divina per modum speciei, quæ infinita est, est, quia non repræsentat omne repræsentabile ad comprehensionem requisitum, cuius rationes declarabimus, reijciendo impugnationes Ill. Godoy ad sequentem responsionem.

60 *Respondebis 2.*

Contra.

Deniquè respondeti potest: argumento facto solum probari, non posse Deum ab intellectu creato comprehendi per intellectionem creatam elicitivè ab ipso egredientem; hæc namquè commensurari debet virtuti elevanti, quæ finita est; ac proindè debet esse finita, & non adæquans cognoscibilitatem Divinam, quæ est infinita per essentiam: non autem convinci, non posse Deum ab intellectu creato comprehendi per intellectionem increatam sibi vnitam, ipsumque constituentem intelligentem, quod esse de potentia absoluta posibile, plures fatentur, & saltim de fide non est, quod contradictionem involuat; cum namquè increata Dei cognitio intellectui creato vnita, infinitæ sit actualitatis, Deique cognoscibilitatem adæquans, & aliundè ab intellectu creato non procedat, non est, cur lumini elevanti proportionanda sit, nec cur intellectum creatum, Deum comprehendentem, non constituat.

61 *Respondebis 3.*

Hanc responsionem impugnat Ill. Godoy primò *num.* 52: nam estò Di-

62 *Impugn. 1. Ill. Godoy.*

vi-

vina essentia in ratione speciei sit repræsentativa Dei comprehensivè, Deoque suam essentiam comprehensivè repræsentet, vnita verò, vt de facto vnitur intellectui creato, non repræsentat Deu comprehensivè, propter limitationem intellectus creati, cui vnitur: ergo paritèr: quamvis Divina cognitio sit comprehensiva Dei in ratione cognitionis, Deumque non solum intelligentem, sed etiam se comprehendentem constituat, vnita tamen intellectui creato non constituit ipsum, comprehendentem Deum ob sui limitationem. *Secundò.* Secundò, & explicatur magis: esto Divina essentia sub munere, & conceptu speciei sit indivisibilis, & partibus careat, potest tamen intellectui creato, non adæquatè, sed inadæquatè vniri, & non omnia, quæ potest, sed aliqua repræsentare: ergo paritèr: quamvis Divina intellectio sub ratione intellectionis sit omninò indivisibilis, & partes non habeat, sitque intellectui creato in ratione, & munere intellectionis vnibilis, poterit illi non adæquatè, sed inadæquatè vniri; & consequentèr non comprehendentem Deum, sed tantum quidditativè illum intelligentem constituere.

63 *Tertiò.* Tertio, & est quarta Ill. Godoy impugnatio (omitto tertiam, quia est de Divina essentia sub munere Verbi vnita mentibus Beatorum, quod apud nos veritatem non habet) nam ad rei comprehensionem non sufficit, quod cognitio in se accepta adæquet eius cognoscibilitatem, sed insuper est necessarium, quod modus cognoscentis adæquet modum cognoscibilitatis obiecti, ita, vt si obiectum sit infinitè cognoscibile, cognoscatur modo infinito, vt patet ex dictis; sed dato illo casu impossibili, adhuc modus cognoscentis non adæquaret modum cognoscibilitatis obiecti: ergo adhuc illo admisso non comprehenderetur Deus ab intellectu creato. Probat minorem: etsi cognitio tunc casus infinita esset, non tamen infinito, sed finito modo vniretur intellectui creato: ergo intellectus per illam, non infinito, sed finito modo Dei essentiam intelligeret; & consequentèr modus intelligentis non adæquaret modum intelligibilitatis obiecti.

64 *Quartò.* Deniquè: etiam illo casu admisso, intellectus creatus, vt intelligens per intellectionem Divinam, non adæquaret Deum, vt intelligentem per illam; sed Deus, vt per suam intellectionem intelligens, non se excedit in ratione intelligibilis; sed tantum suam intelligibilitatem adæquat: ergo intellectus creatus, vt intelligens per intellectionem Divinam, non adæquaret Deum in ratione intelligibilis; & consequentèr ipsum non comprehenderet. Illatio cum minori tenet. Maior autem ostenditur primò: estò humanitas sanctificetur eadem sanctitate, qua Deus in se Sanctus est, non tamen adæquat Deum in ratione Sancti: ergo paritèr: quamvis in casu admisso, intellectus creatus intelligeret eadem intellectione, qua Deus redderetur intelligens, non tamē adęquaretur cum Deo in ratione intelligētis. *Maiorem probat. 1.*

65 *Secundò.* Secundò: ideò humanitas Deitate sanctificata non est æquè Sancta, ac Deus, quia licèt sit eadem forma, Deo tamen per essentiam vnitur, & humanitati non per essentiam, sed per gratuitam communicationem; sed etiam in nostro casu intellectio increata non per essentiam, sed per liberalem communicationem conveniret intellectui creato, Deo autem convenit per essentiam: ergo intellectus creatus per intellectionem increatam intelligens, non adęquaret Deum in ratione intelligentis per eandē intellectionē.

66 *Omnes impugnationes Ill. Godoy nullam habent efficatiam.* Omnes istæ impugnationes Ill. Godoy nullam habent efficatiam contra responsionem datam, & incipiendo à duplici prima, quæ fundatur in paritate de Essentia Divina, vnita mentibus Beatorum per modum speciei, vtraque venit reijcienda rationibus, & paritatibus, quibus eandem paritatem reiecimus *disput.* 31. Nec mireris, hic illa repetere; quia si licuit Ill. Godoy, hic paritatem repetere; etiam licebit nobis, qui vestigia illius sequimur, rationes, & paritates contra ipsam repetere; breviùs tamen hic sunt transcribendæ.

67 *Reijcitur 1. duplex 1. impugnatio Ill. Godoy ad homin. cōtra ipsum* Reijcitur primò duplex prima impugnatio Ill. Godoy ad hominem contra ipsum: inter essentiam Divinam per modum speciei, & per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei non repræsentet Deum comprehensivè Beatis; benè verò per modum intellectionis: ergo nulla est Ill. Godoy impugnatio. Probatur ante-

ce-

cedens: inter essentiam Divinam per modum speciei, & per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt essentia Divina vniatur mentibus Beatorum, quin illis vniatur, nec possit vniri per modum intellectionis: ergo etiam est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei non repræsentet Deum comprehensivè Beatis; benè verò per modum intellectionis. Antecedens est Ill. Godoy *disput.* 31. *num.* 29. & 96. Consequentia probatur: hoc ipso, quod inter essentiam Divinam per modum speciei, & intellectionis, sit sufficiens differentia, vt per modum speciei vniatur, quin possit vniri per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei non repræsentet Deum comprehensivè Beatis; benè verò per modum intellectionis; atqui inter essentiam Divinam per modum speciei, & per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei vniatur mentibus Beatorum, quin illis vniatur, nec possit vniri per modum intellectionis: ergo etiam est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei non repræsentet Deum comprehensivè Beatis; benè verò per modum intellectionis.

Probatur maior.

Probatur maior: hoc ipso, quod inter rationem hypostasis, & rationem *ad*, & rationem Verbi, sit sufficiens differentia, vt personalitas Verbi Divini vniatur humanitati Christi sub conceptu hypostasis, illam personatam constituens, quin humanitati vniatur, nec possit vniri sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, est sufficiens differentia, vt semel vnita sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, constituat humanitatem Christi realiter relatam ad Patrem Æternum, & dictam vt Verbum: ergo hoc ipso, quod inter essentiam Divinam per modum speciei, & intellectionis, sit sufficiens differentia, vt per modum speciei vniatur, quin possit vniri per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei non repræsentet Deum comprehensivè Beatis; benè verò per modum intellectionis. Antecedens est certum, traditurque ab Ill. Godoy *disput.* 31. *num.* 29. & probatione consequentiæ constabit.

68 *Probatur consequētia*

Probatur consequentia: ideò hoc ipso, quod inter rationem hypostasis, & rationem *ad*, & rationem Verbi, sit sufficiens differentia, vt personalitas Verbi Divini vniatur humanitati Christi sub conceptu hypostasis; illam personatam constituens, quin humanitati vniatur, nec possit vniri sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, est sufficiens differentia, vt semel vnita sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, constituat humanitatem Christi realiter relatam ad Patrem Æternum, & dictam vt Verbum, quia effectus formalis hypostasis sub conceptu *ad* relativi, & Verbi, est constituere subiectum realiter relatum, & dictum vt Verbum; atqui effectus formalis essentiæ Divinæ per modum intellectionis est repræsentare comprehensivè Deum: ergo hoc ipso, quod inter essentiam Divinam per modum speciei, & intellectionis, sit sufficiens differentia, vt per modum speciei vniatur, quin possit vniri per modum intellectionis, est sufficiens differentia, vt essentia Divina per modum speciei non repræsentet Deum comprehensivè Beatis; benè verò per modum intellectionis.

69 *Reijcitur 2. etiam ad hominem cōtra ipsum*

Reijcitur secundò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: stat, quod essentia Divina per modum speciei non repræsentet comprehensivè Deum, & per modum intellectionis illum comprehensivè repræsentet: ergo nulla est Ill. Godoy impugnatio. Probatur antecedens: stat, quod essentia Divina per modum speciei non constituat aliquam naturam, & per modum intellectionis constituere debeat vnam naturam: ergo stat, quod essentia Divina per modum speciei non repræsentet comprehensivè Deum, & per modum intellectionis illum comprehensivè repræsentet. Antecedens est Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 17. *num.* 22. vbi pro se adducit D. Thom. 3. *contra Gentes*, *cap.* 51. vbi de Divina Essentia sic habet: *Nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale; sequeretur enim, quod simul cum aliquo vnita constitueret vnam naturam, quod esse non potest; cum Divina essentia in se perfecta sit in sui natura; species autem intelligibilis vnita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsam ad intelligendum, quod perfectioni Divinæ essentiæ non repugnat.* Consequentia est paritate notoria; & pro secunda parte probatur: non stat, quod essentia Divina, vnita per mo-

dum

dum intellectionis, constituere debeat vnam naturam, & quod vnita intellectui creato, non sit actus naturæ creatæ secundum esse naturale; sed non stat, quod essentia Divina, vnita per modum intellectionis, sit actus naturæ creatæ secundum esse naturale, quin repræsentet comprehensivè Deum: ergo non stat, quod essentia Divina, vnita per modum intellectionis, non repræsentet comprehensivè Deum. Totum est Ill. Godoy *disput. 31. numer. 45.*

70 *Reijcitur 3. pluribus paritatibus ad homin. cõtra ipsum*

Reijcitur tertiò: quod essentia Divina, vnita per modum speciei, non repræsentet comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis, non repræsentet Deum comprehensivè: ergo ruit impugnatio Ill. Godoy. Probatur antecedens paritatibus ad hominem contra Ill. Godoy. *Prima paritas.* Prima paritas est: quod Essentia Divina per modum speciei intelligibilis sit compartialis causa cum intellectu concurrens ad intellectionem, non probat, quod vnita per modum intellectionis sit talis concausa: ergo quod essentia Divina vnita per modum speciei non repræsentet comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis non repræsentet Deum comprehensivè. Consequentia est paritate certa. Antecedens pro secunda parte est manifestum. Pro prima autem est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 17. num. 21. propè finem*, dicentis: *Species autem non dat intellectui vires, nec virtutem, aut præcontinentiam intellectionis, sed hac præcontinentia suppositа, simul cum intellectu ad intellectionem concurrit per modum principij cum intellectu ex parte obiecti concurrentis, & intellectum per modum compartialis causæ ad intellectionem iuvantis; & ideò vnionem per modum formæ physicè informantis non petit; & consequenter Divinæ essentiæ munus speciei, & vnio cum intellectu per modum speciei impressæ non repugnat.* Item: idem habet *tom. 1. in 3. part. disput. 3. numer. 35. & 1. 2. disput. 3. num. 32.*

71 *2. Paritas.*

Secunda paritas est: quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis efficienter concurrat ad intellectionem, vt tenet Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 17. num. 21. in principio*, de omni specie, sivè accidentali, sivè substantiali, sivè creata, sivè increata; non probat, quod essentia Divina vnita per modum intellectionis efficienter concurrat ad intelligendum: ergo idem, quod antea. *3. Paritas.* Tertia paritas est: quod essentia Divina per modum speciei intelligibilis ad sui vnionem non petat physicam informationem, nec realem identitatem, vt tenet Ill. Godoy: tùm *tom. disput. & num. citat. in fine*; tùm *disput. 31. num. 96. & 97.* non probat, quod essentia Divina per modum intellectionis non petat ad sui vnionem, vel physicam informationem, vel realem identitatem, vt ipse habet *disput. 31. citat. num. 62*: ergo idem, quod priùs.

72 *4. Paritas.*

Quarta paritas: quod essentia Divina vnita intellectui per modum speciei intelligibilis non constituat aliquam naturam, vt habet Ill. Godoy *citat. num. 70.* non probat, quod essentia Divina vnita intellectui per modum intellectionis, non constituat vnam naturam, vt ipse docet *citat.* ergo similiter. *5. Paritas.* Quinta paritas est: quod essentia Divina per modum speciei intelligibilis non vniatur, vt forma, vt habet Ill. Godoy *locis citat.* non probat, quod per modum intellectionis, non vniatur, vt forma, vt tenet *tom. 1. in 1. part. disput. 17. num. 3. & 4.* ergo pariter. *6. Paritas.* Sexta paritas est: quod essentia Divina per modum speciei intelligibilis vniatur de facto mentibus Beatorum, vt tenet Ill. Godoy *disput. 31. num. 12.* non probat, quod per modum intellectionis de facto vniatur illis; cum adhuc nec de potentia Dei absoluta possit sic illis vniri, vt tenet *disput. 31. §. 3. & 4. alijsque in locis*: ergo idem, quod priùs.

73 *7. Paritas.*

Septima paritas est: quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerat vices speciei impressæ creatæ, vt tenet Ill. Godoy *citat. à nobis numer. 70.* non probat, quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis gerat vices intellectionis creatæ: ergo pariter. Antecedens pro secunda parte est certum in doctrina Ill. Godoy: nam si essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis gereret vices intellectionis creatæ, dato, quod intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, non intelligeret per creatam intellectionem, cuius oppositum habet Ill. Godoy *disput. 31. num. 172.* Et ratio à paritate est manifesta;

quia enim essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerit vices speciei impressæ creatæ, intellectus Beati non producit intellectionem media specie impressa creata. Deindè certum est antecedens in omni opinione: nam quia subsistentia Verbi Divini (& idem est iuxtà Ill. Godoy de Divina existentia) supplet vices subsistentiæ creatæ in humanitate Christi, humanitas Christi non subsistit per creatam subsistentiam: verum igitur est antecedens pro secunda parte, scilicèt, quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis non gerat vices intellectionis creatæ.

74 *Probat. 1. cõsequentia*

Consequentia verò paritate constat, & probatur. Primò: si essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis gereret vices intellectionis creatæ, sicut essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerit vices speciei impressæ creatæ; ex eo, quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis non repræsentet comprehensivè Deum, probaretur, quod vnita per modum intellectionis non repræsentaret comprehensivè Deum; atqui iuxtà concessa, quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerat vices speciei impressæ creatæ, non probat, quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis gerat vices intellectionis creatæ: ergo quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis non repræsentet comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis non repræsentet comprehensivè Deum. Consequentia tenet. Minor est concessa. Maior autem patet: nam tunc eadem esset ratio de essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis, ac de essentia Divina vnita per modum intellectionis.

75 *Probat. 2.*

Probatur secundò consequentia: quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerat vices speciei impressæ creatæ, probat, quod essentia Divina per modum speciei intelligibilis vnita non repræsentaret comprehensivè Deum: ergo quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum intellectionis non gerat vices intellectionis creatæ, non probat, quod essentia Divina vnita per modum intellectionis non repræsentet Deum comprehensivè; atqui essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerit vices speciei impressæ creatæ; vnita verò per modum intellectionis non gerit vices intellectionis creatæ: ergo quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis non repræsentet Deum comprehensivè, non probat, quod vnita per modum intellectionis non repræsentet Deum comprehensivè. Consequentia cum sua sumpta tenet.

76 *Probatur antecedens.*

Probatur antecedens: quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerat vices speciei impressæ creatæ, probat, quod essentia Divina per modum speciei intelligibilis vnita, faciat, quod faceret species impressa creata; (si esset) sed species impressa creata (si esset) non repræsentaret comprehensivè Deum: ergo quod essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gerat vices speciei impressæ creatæ, probat, quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis non repræsentet comprehensivè Deum. Consequentia est legitima. Maior ex terminis nota. Minor autem, in qua solum potest esse difficultas, manifesta est in nostra doctrina, vt apparet ex dictis *tom. 1. in 1. sent. disput. 11. per tot.*

77 *Probatur minor in opinione Ill. Godoy.*

Primò.

Probatur minor in opinione Ill. Godoy. Primò: si species impressa creata (si esset) repræsentaret comprehensivè Deum, talis species impressa, non creata, seu finita, sed infinita, & increata esset: ergo species impressa creata (si esset) non repræsentaret comprehensivè Deum. Consequentia infertur. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 11. per totam.* Secundò probatur: si species impressa creata (si esset) repræsentaret Deum comprehensivè, essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis non gereret vices speciei impressæ creatæ; sed hoc est contra Ill. Godoy *tom. 1. citat. disput. 17. num. 21. & 22*: ergo species impressa creata (si esset) non repræsentaret comprehensivè Deum. Probatur maior: si essentia Divina vnita mentibus Beatorum per mo-

Secundò.

dum

dum speciei intelligibilis gereret vices speciei impressæ creatæ, essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis repræsentaret omne id, quod repræsentaret species impressa creata; (si esset) sed Essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis non repræsentat omne id, quod repræsentaret species impressa creata: (si esset) ergo si species impressa creata (si esset) repræsentaret Deum comprehensivè, Essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis non gereret vices speciei impressæ creatæ. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt probandæ.

78 *Probatur minor.* Probatur itaquè minor: Essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis non repræsentat comprehensivè Deum; sed species impressa creata (si esset) repræsentaret comprehensivè Deum: ergo essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis nō repræsentat omne id, quod repræsentaret species impressa creata. (si esset) Consequentia est optima. Maior est Ill. Godoy solutio. Minor est concessa in suppositione, in qua contra ipsum arguo; procedit namquè argumentum ex suppositione, quod neget Ill. Godoy minorem syllogismi positam *num. antecedenti.* Si autem prædictam minorem concedit, argumentum positum *num. antecedent.* efficacitèr convincit.

79 *Probatur maior.* Probatur maior syllogismi prædicti: gerere vices alicuius est facere id, quod faceret illud, cuius vices gerit; sed species impressa creata (si esset) esset repræsentativa: ergo si essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis gereret vices speciei impressæ creatę, Essentia Divina vnita mentibus Beatorum per modum speciei intelligibilis repræsentaret omne id, quod repræsentat species impressa creata. (si esset) Minor, & consequentia tenent. Maior autem est notoria, & paritate Personalitatis Verbi Divini probatur: quia enim personalitas Verbi gerit vices personalitatis creatæ in humanitate Christi, personalitas Verbi facit in humanitate Christi, quod faceret personalitas creata, cuius vices gerit, scilicèt, reddere humanitatem Christi personatam: ergo gerere vices alicuius est facere id, quod faceret illud, cuius vices gerit.

80 *Vltima paritas.* Vltima paritas est: quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis non vniatur, vt adæquata forma productiva intellectionis, non probat, quod essentia Divina vnita per modum intellectionis non vniatur, vt adæquata forma repræsentativa formalitèr: ergo quod essentia Divina vnita per modum speciei intelligibilis non repræsentet omne obiectum intelligibile, nec comprehensivè Deum, non probat, quod vnita per modum intellectionis non repræsentet omne obiectum cognoscibile, & comprehensivè Deum. Antecedens pro prima parte est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 17. num. 21. & 22.* Et *in præsenti disput. 31. num. 62.* vbi tenet, quod intellectio debet esse intrinseca, aut per identitatem, aut per informationem; quod idem habet *1. 2. disp. 3. numer. 19.* Pro secunda est manifesta; nam intellectio est adæquata forma repræsentativa formalitèr apud omnes. Consequentia est paritate certa.

81 Eccè octo disparitates, quarum quælibet est manifesta retorsio contra instantiam de Essentia Divina in ratione speciei, quā pro solutione argumenti suprà positi adducit Ill. Godoy. Et quia prædicta instantia vtitur ad negandum: posse Deum ab intellectu creato comprehendi per intellectionem increatam sibi vnitam, ipsumque intelligentem constituentem, videte (quæso) quæ diximus *disp. 31. à num. 27. vsque ad 44.* vbi ex varijs Ill. Godoy doctrinis oppositum contra ipsum intulimus, & præsertim, quæ diximus *num. 36. 37. 38. 39. & 44.* vbi ex eadem instantia, quam pro solutione adducit Ill. Godoy, quadruplex argumentum ad hominem contra ipsum formavimus.

82 Et vltrà hæc nobiter nunc ad hominem etiam ostendo, Deum esse comprehensibilem ab intellectu creato intelligente per infinitam intellectionem: Ecclesiæ Patres incomprehensibilitatem Dei à creatura fundant in limitatione creaturæ, & illimitatione Divina: ergo si creatura esset in intelligendo illimitata, Deus esset à creatura comprehensibilis. Atqui si intellectus creatus intelligeret per intellectionem infinitam, esset in

intelligendo illimitatus : ergo comprehenderet Deum. Antecedens est Ill. Godoy in præsenti *num.* 119. Consequentia legitima apparet. Sumpta verò, in qua poterat esse difficultas, satis, & valdè satis probata manet ex vcusque dictis, & ex traditis *disput.* 31. §. 2. & adhuc constabit amplius ex dicendis.

83 *Reijcitur 3. impugnatio Ill. Godoy.*

Reijcitur tertia impugnatio Ill. Godoy: nam casu, quo intellectio infinita vniretur intellectui creato, vel vniretur modo infinito; vel si modo finito vniretur, hoc non obstaret, vt redderet intellectum creatum infinitè intelligentem; atqui si redderet intellectum creatum infinitè intelligentem, intellectus creatus Deum per illam intellectionem comprehenderet: ergo nulla est impugnatio Ill. Godoy. Consequentia est legitima. Minor patet: nam si intellectus creatus esset infinitè intelligens, intelligeret modo infinito, & consequentèr Deum comprehenderet; quia modus cognoscentis adæquaret modum cognoscibilitatis obiecti, ideſt (& sunt verba Ill. Godoy in sua impugnatione) vt si obiectum sit infinitè cognoscibile, cognoscatur modo infinito.

84 *Prob. mai. ad homin. contra Ill. Godoy.*

Primò.

Maior autem, in qua est difficultas, probatur primò ad hominem contra Ill. Godoy: persona Verbi vnita cum Christi humanitate, vt forma dignificans, & valorans illius operationes, vel vnitur modo infinito, vel si modo finito vnitur, hoc non obstat, vt operationes Christi constituat infinitè valorosas: ergo paritèr: casu, quo intellectio infinita vniretur intellectui creato, vel vniretur modo infinito; vel si modo finito vniretur, hoc non obstaret, vt redderet intellectum creatum infinitè intelligentem. Antecedens est Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 3. *num.* 55. Consequentia probatur: ideo persona Verbi finito, vel infinito modo vnita cum Christi humanitate, vt forma dignificans, & valorans illius operationes, illas constituit infinitè valorosas, quia vnitur, vt adæquata forma dignificans, & valorans: atqui casu, quo intellectio infinita vniretur intellectui creato, vniretur illi, vt adæquata forma repræsentativa formaliter, seu cognoscendi: ergo finito, vel infinito modo vnita cũ intellectu creato, redderet intellectũ creatum infinitè intelligentem. Consequentia est notoria. Præmissæ autem sunt Ill. Godoy; nam maiorem docet *tom.* 1. *citat. disput. & num. citat.* Et minorem habet locis vbi eum citavimus *num.* 80.

85 *Secundò.*

Probatur maior secundò ad hominem etiam contra ipsum: Sanctitas Divina vnita cum Christi humanitate, vel vnitur modo infinito, vel si modo finito vnitur, hoc non obstat, vt constituat Christi humanitatem infinitè Sanctam: ergo similitèr. Antecedens docetur ab Ill. Godoy *disput.* 21. *num.* 269. Consequentia probatur: nulla est ratio imaginabilis probativa antecedentis, quæ consequentiam non convincat: ergo vel falsum est antecedens, vel consequens est verũ, quorum vtrumque est contra Ill. Godoy. Antecedens constabit per quamcumque rationem, quæ assignetur; nam licèt possit esse aliqua ratio, vt humanitas Christi possit sanctificari sanctitate increata, non verò intellectus Christi creatus possit intelligere intellectione increata (quod pro nunc omittimus) nulla tamen potest esse ratio, vt semel vnita intellectione increata cum intellectu creato Christi, intellectio increata non constituat intellectum Christi creatum infinitè intelligentem, si semel vnita sanctitate increata cum humanitate Christi, illam infinitè Sanctam constituit.

86 *Probatur antecedens doctrina ipsius.*

Et vt hoc manifestè appareat, inspicite rationem, qua Ill. Godoy *disput.* 21. *num.* 270. probat, humanitatem Christi per gratiam vnionis esse Sanctam infinitè. Hæc enim est ratio illius. *Sanctificatio humanitatis à Verbo, est suprà quam excogitari maior non potest in linea sanctitatis per communicationem; sed hoc sufficit, vt sit infinitè Sancta: ergo infinitè sanctificatur à Verbo. Denique probatur: si namquè infinitè Sancta non esset, maximè, quia Deus in se ipso sanctior est; sed hoc infinita sanctificationi humanitatis à Verbo non obstat: ergo infinitè sanctificatur ab illo. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primò: nam etiam increatæ Dei actiones maioris sunt dignitatis, quam actiones Christi creatæ; & tamen huiusce modi actiones sunt dignitatis infinitæ, & infiniti valoris: ergo quod Deus sanctior sit humanitate, & magis Sanctus, quam illa, non obstat, vt humanitas sit Sancta infinitè. Secundò: nam etsi in eadem linea vnum infinitum maius alio esse non*

pos-

possit; in adversa tamen potest, infinitumque vnius lineæ potest maius esse infinito alterius lineæ; sed infinitas sanctitatis per communicationem, & infinitas sanctitatis per essentiam in diversis lineis sunt: ergo ex eo, quod sanctitas Dei per essentiam sit maior sanctitate humanitatis per communicationem, non sequitur, humanitatem non esse infinite Sanctam. Eccè rationem æquè convincentem, intellectum Christi creatum fore infinitè intelligentem, semel vnita cum illo intellectione increata.

87 *Patet etiã antecedens in alia doctrina ipsius*

Aliam denique doctrinam Ill. Godoy inspicite, vt non minus manifestè patefiat, quod semel vnita intellectione infinita cum intellectu creato, illũ constitueret infinitè intelligentem. Ill. namquè Godoy *tom. præcedent. disput. 16. num. 67.* impugnando quandã solutionem Amici, hæc ait: *Hæc tamen solutio displicet, ob discrimen, quod inter causam efficientem, & formalem versatur. Illa enim non causat, se ipsam communicando subiecto, sed influendo influxu ab illa distincto, & effectum producendo omninò distinctum ab illa. Ex quo fit, vt ipsa entitativè invariata, possit temperare influxum, & minorem, vel maiorem præstare, vel propter præsentiam alterius similis causæ simul cum illa influentis, vel quia causa prima illam applicat maiori, aut minori applicatione. Causa autem formalis causat, se ipsam communicando subiecto, imo effectus formalis illius est ipsa forma subiecto communicata: ex quo fit, vt quamvis in alterius sit potestate constitutum, illam applicare, vel non applicare subiecto; semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest, vt constat in calore, vt octo, qui semel communicatus subiecto, non potest, non dare illi totam suam gradualem intensionem, illudque calidum, vt octo non reddere; sed Divina personalitas sustentat naturam creatam in genere causæ, vel quasi causæ formalis, se ipsam communicando: ergo licèt sit constitutum in arbitrio libero Dei personalitatem Divinam naturæ creatæ vnire, attamen semel vnita, non potest, non dare naturæ adæquatum effectum, quem de se potest præstare; ac proindè, si de se sufficiens est sustentare adæquatè naturam creatam, cui vnitur, non potest temperare concursum, nec propter præsentiam alterius Divinæ personalitatis, nec ratione Divinæ applicationis illam in actu secundo inadæquatè tantùm sustentando.* Eccè rationem æquè convincentem: intellectum Christi creatum fore infinitè intelligentem, semel vnita cum illo intellectione infinita.

88 *Vltima eius impugnatio reijcitur.*

Vltima denique impugnatio Ill. Godoy reijcitur: quod enim intellectus creatus, vt intelligens per intellectionem Divinam, non adæquet Deũ, vt intelligentem per illam, non obest, vt Deum comprehendat: ergo nulla est impugnatio Ill. Godoy. Probatur antecedens: quod intellectus creatus, vt intelligens per Divinam intellectionem, non adæquet Deum, vt intelligentem per illam, non obstat, vt Deum infinitè cognoscat: ergo nec vt Deum comprehendat. Consequentia patet: nam tunc casus Deus, qui est obiectum infinitè cognoscibile, cognosceretur infinitè, & consequenter esset comprehensio, quia vt ait Ill. Godoy *num. 53.* modus cognoscentis adæquaret modum cognoscibilitatis obiecti.

89 *Probatur anteced. 1. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Antecedens autem, in quo vnicè potest esse difficultas, probandum est duplici probatione, quam pro maiori suæ impugnationis adducit Ill. Godoy. Probatur itaque primò ad hominem contra ipsum: quod humanitas sanctificata eadem sanctitate, qua Deus in se Sanctus est, non adæquet Deum in ratione Sancti (vt docuisse *tract. de Gratia Christi, fatetur ipse in præsenti*) non obstat, vt humanitas sit infinitè Sancta per sanctitatem Divinam (vt ipse etiam docuit *tract. citat. disput. 21. numer. 269.*) ergo pariter: quod intellectus creatus, vt intelligẽs per Divinam intellectionem, non adæquet Deum, vt intelligentem per illam, non obstat, vt Deum infinitè cognoscat.

90 *Probat. 2. ad homin. cõtra ipsum*

Probatur secundò idem antecedens ad hominem etiam contra Ill. Godoy: quod humanitas Deitate sanctificata non sit æquè Sancta, ac Deus, eo, quod licèt sit eadem forma, Deo vnitur per essentiam; humanitati verò non per essentiam, sed per gratuitam communicationem, vt asserit ipse *num. 55.*; non obest, vt humanitas Deitate sanctificata sit infinitè Sancta, vt ipse tenet *disput. 21. citat.* & probat ibi *numer. 270.*: ergo pariter: quod intellectus creatus, vt intelligẽs per intellectionem Divinam, non sit æquè intelligens, ac Deus, eo, quod intellectio increata non per essentiam,

sed per liberalem communicationem conveniret intellectui creato ; Deo autem convenit per essentiam (vt testatur Ill. Godoy *in præsenti numer. 55. citat.*) non obest, vt Deum infinitè cognoscat.

91 *Vera responsionis solutio.*

Reiecta iam impugnatione Ill. Godoy, aliter à nobis est prædictæ responsioni occurrendum. Dicimus namquè : verum esse nostram rationem non convincere, Deum non posse ab intellectu creato comprehendi per intellectionem increatam, sibi vnitam, ipsumque intelligentē constituentem ; sed negamus, posibile esse creatum intellectum per intellectionem increatam intelligere posse, vt diximus *disput. 31. §. 2.* qua posibilitate negata, manifestum est : Deum esse ab intellectu creato incomprehensibilem, & hoc est in rei veritate, quod ex Ecclesiæ Patribus docet Ill. Godoy *num. 119.* ex quo ad hominem contra ipsum argumentū formavimus *n. 82.*

92 *Probatur ex doctrina Ill. Godoy, quod anima Christi Deum comprehendat.*

Nec tandem prætermittam rationem quandam, qua in doctrina Ill. Godoy, & omnium Thomistarum generali, probari potest ad hominem contra ipsum, quod anima Christi Domini non solum valet de potentia absoluta Deum comprehendere, verum etiam, quod de facto Dei essentiam comprehendit. Ratio est hæc: præcisa ratio, cur Christus nequit comprehendere Deum, est, quia comprehensio Dei repugnat creaturæ; sed stante hac repugnantia, Christus comprehendit Deum: ergo anima Christi Domini non solum valet de potentia absoluta Deum comprehendere, verum etiam de facto Dei essentiam comprehendit. Probatur minor: stat, quod aliquid repugnet creaturæ, & quod Christo conveniat : ergo stante dicta repugnantia, Christus Deum comprehendit. Probatur antecedens: stat, quod aliquid repugnet viatori, & quod Christo conveniat : ergo stat, quod aliquid repugnet creaturæ, & quod Christo conveniat. Probatur antecedens: impecabilitas ab intrinseco repugnat viatori ; sed hæc per vos convenit Christo: ergo stat, quod aliquid repugnet viatori, & quod Christo conveniat. Maior est certa. Minor est Thomistarum asserentium: Christum vi vnionis hypostaticæ præcisè, secluso quocumque alio dono supernaturali, esse ab intrinseco impeccabilem. Consequentia est legitima ad hominem contra ipsos. Argumenta contra conclusionem soluit Ill. Godoy, nec aliquid video speciale, quod non solvatur ex dictis.

§. IV.

Deum esse à creatura incomprehensibilem, de fide non esse, defenditur.

93 *2. Conclusio Est contra Ill. Godoy.*

SEcunda conclusio: *Non est de fide, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato, comprehensione, quæ strictè sit comprehensio ; & consequenter de fide non est, tali genere comprehensionis non fuisse ab anima Christi comprehensum, vel comprehendi potuisse.* Hanc statuo conclusionem contra Ill. Godoy *num. 84*; illam tamen docent Authores relati *num. 31.* Nec oppositum docuit Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 2. §. ad 1. argumentum*, vbi ipsum pro opposita sententia citat Felix *tract. de Visione, cap. 12. difficult. vltima*; nam ibi Scotus *§. ad 2. probationem*, solum dicit, quod *Nullus intellectus creatus, etsi videat quodcumque visibile ex parte Dei, potest ipsum comprehendere ; quia non est commensuratio hinc indè.* Et ideò etsi Scotus, vt certum statuat, & doceat, Deum esse incomprehensibilem à creatura (quod omnes fatemur) non tamen dicit, hoc esse de fide.

94 *Probat. 1. conclusio.*

Probatur primò conclusio: de fide non est, animam Christi Domini non posse intelligere intellectione increata: ergo de fide non est: Deum esse incomprehensibilem ab anima Christi Domini comprehensione, quæ strictè sit comprehensio. Antecedens docetur communitèr à Theologis, & fatetur ab Ill. Godoy *disput. 31. numer. 17.* etsi id asserere, teneat, non solum temerarium esse; verum etiam erroneū, aut saltim errori proximum. Consequentia probatur: hoc ipso, quod anima Christi Domini posset intelligere intellectione increata, posset Deum comprehendere comprehensione, quæ strictè sit comprehensio ; sed de fide non est, animam Christi Domini non posse intelligere intellectione increata: ergo de fide non est: Deum esse incomprehensibilem ab anima Christi Domini comprehensione, quæ sit strictè comprehensio. Maior probata manet, tùm *disput. 31. §. 2.* Tùm *in præsenti, §. præcedent.* Minor est

con-

concessa. Consequentia legitima.

95 *Confirmatur.* Confirmatur: si esset de fide, Deum esse comprehensibilem ab intellectu creato, comprehensione, quæ sit strictè comprehensio, de fide esset, intellectum creatum non posse cognoscere Deum cognitione, quæ esset strictè comprehensio: ergo de fide esset, intellectum creatum non posse Deum cognoscere cognitione increata, quod est falsum. Patet consequentia: nam cognitio increata est strictè comprehensio; & vnita cum intellectu creato, illum, Deum comprehendentem comprehensione, quæ esset strictè comprehensio, constitueret, vt dicebamus.

96 *Probat. 2. concluſ. ex doctrina Ill. Godoy.* Probatur secundò conclusio ex doctrina Ill. Godoy: non est de fide, repugnare accidens infinitum: ergo de fide non est, repugnare intellectum creatum infinitum, lumen infinitum, & infinitam visionem. Antecedens patet: nam esse posibile accidens infinitum, est sententia probabilis, vt fatetur Ill. Godoy *num.* 46. gratis admittens posibilitatem, seu non implicationem luminis infinitè intensi. Consequentia est legitima; nam visio, lumen, & etiam intellectus creatus est accidens iuxta doctrinam Ill. Godoy. Infero nunc: ergo de fide non est, repugnare, Deum posse ab intellectu creato comprehendi, comprehensione, quæ strictè sit comprehensio, & consequenter non est de fide, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato, comprehensione, quæ sit strictè comprehensio. Probatur consequentia: intellectus infinitus cum lumine infinito, & infinita visione potest Deum comprehendere comprehensione, quæ strictè sit comprehensio; sed per te de fide non est, repugnare intellectum creatum infinitum, lumen infinitum, & infinitam visionem: ergo de fide non est, repugnare, Deum posse ab intellectu creato comprehendi, comprehensione, quæ strictè sit comprehensio, & consequenter non est de fide, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato comprehensione stricta. Maior, in qua vnicè potest esse difficultas, probata manet ex dictis *disput.* 31. §. 2. & *disput. præsenti, §. præcedent.* Deducitur etiam manifestè ex doctrina Ill. Godoy *num.* 81. cuius verba transcripsimus infrà *num.* 49.

97 *Probat. 3. ratione fundamentali.* Probatur tertiò conclusio ratione fundamentali: Deum esse ab intellectu creato incomprehensibilem, comprehensione, quæ strictè sit comprehensio, nullibi diffinitur, nec ita apertè continetur in Scriptura, vt non possit aliter explicari: ergo non est de fide, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato, comprehensione, quæ strictè sit comprehensio; & consequenter de fide non est, tali genere comprehensionis non fuisse ab anima Christi comprehensum, vel potuisse comprehendi.

98 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 108. negando antecedens: nam licèt verba testimoniorum Sacræ Scripturæ aliqua interprætatione salvari videantur; mens tamen verborum iuxta Patrum intelligentiam, quomodo accipienda sunt, non salvatur. Cæterum quam falsa sit hæc responsio, ex illius argumentorum solutione patebit.

Reijcitur.

§. V.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

99 *Arguit. 1.* ARguit primò Ill. Godoy *num.* 84. ex Scriptura, Ecclesiastici 43: *Ne laboretis, non enim comprehenditis.* 1. ad Timotheum 6: *Lucem habitat in accessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest.* Hieremiæ 32: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Quibus locis, & passim alibi, Deus dicitur absolutè incomprehensibilis; at si posset ab intellectu creato comprehendi, incomprehensibilis absolutè dici non posset: ergo de fide est, Deum esse à creatura incomprehensibilem.

100 *Responsio communis.* Communis ad hoc argumentum solutio est: prædicta Scripturæ testimonia explicari posse (falso quidem, sed quin falsitatem posset quis evidenter convincere) de comprehensione viribus naturæ habita, quod non tollit, quod creatura viribus gratiæ elevata Deum comprehendere valeat; quomodo communiter explicantur testimonia Scripturæ, in quibus Deus dicitur invisibilis. Et certè 1. ad Chorint. 9. dicitur: *Sic currite, vt vt comprehendatis.* Imò Beati in Scriptura, & Patribus absolutè dicuntur comprehensores.

101 *Impugnatur hæc responsio.* Hæc tamen solutio mihi non placet, ipsamque impugnat Ill. Godoy *numer.* 89: nam verba Scripturæ accipienda sunt iuxta Patrum interprætatio-

tionem; sed verba Hieremiæ adducta accipiuntur à Patribus de incomprehensibilitate Divinæ essentiæ, non solum in hoc statu, & ex viribus proprijs, sed etiam in statu Beatitudinis, & de potentia absoluta; cum illis innixi doceant, Deum à creatura non posse etiam de potentia absoluta comprehendi: ergo ineptè explicantur de incomprehensibilitate in statu viæ, & ex viribus proprijs creaturæ.

102 *Paritas de invisibilitate reijcitur*

Nec vim habet, quod Deus in Scriptura dicatur invisibilis, & optimè explicetur de invisibilitate in statu viæ, & viribus proprijs creaturæ; quia vt optimè notat Ill. Godoy *num.* 108. inter invisibilitatem, & incomprehensibilitatem Dei est disparitas; nam licèt in Scriptura Deus dicatur invisibilis, & incomprehensibilis; attamen Ecclesiæ Patres, quibus stare debemus, nostramque mentem subijcere: primum explicarunt de invisibilitate sumpta pro incomprehensibilitate, qualiter illam pluriès D. Augustinus accepit, vel respectu hominis in statu viæ præsentis, & ex viribus proprijs. Secundum autem explicarunt de absoluta incomprehensibilitate Dei, & ad omnem hominis statum, & cum gratiæ viribus comparata; & ideo, quamvis verba sint eadem, sensus tamen verborum est valdè diversus. Vndè D. Augustinus *tom. 9. lib. de Cognitione veræ vitæ, cap. 3.* ait: *Deus Spiritus est, essentia invisibilis omni creaturæ incomprehensibilis*: vbi distinguit inter Dei invisibilitatem, & illius incomprehensibilitatem; ac proindè, etsi invisibilitatis Divina respectu hominis in præsenti vita, & ex viribus proprijs sufficienter explicetur, non licet id ipsum de Divina incomprehensibilitate colligere.

103 *Reijcitur amplius.*

Deindè: nam multotiès etiam in Scriptura dicitur Deus visibilis, quod a Patribus, & Scholasticis exponitur de visibilitate, non ex viribus proprijs creaturæ, sed ex gratia Dei, in quo sensu loquitur Paulus *citatus*, & Beati vocantur comprehensores; numquam tamen Patres dicunt: Deum esse comprehensibilem, adhuc ex gratia, quin potius oppositum, per quod patet, inter invisibilitatem, & Dei incomprehensibilitatem sufficiens disparitas, vt solutio data subsistineri nequeat.

104 Vndè hac solutione in sua probabilitate relicta, Respondeo ad argumentum: Deum in allegatis testimonijs dici à creatura incomprehensibilem, non quia in nullo comprehensionis genere valeat à creatura comprehendi, scilicèt, cognitione adæquata cum obiecto in esse intelligibilis; (licèt enim hoc sit falsum, fallitas tamen nec est de fide, nec potest evidenter convinci) sed dici à creatura, incomprehensibilem, quia aliquo genere comprehensionis ab illa comprehendi non potest, scilicèt, cognitione in entitate adæquante cognoscibilitatem Dei, seu cognitione adæquante perfectionem cognitionis Divinæ. Et hoc videntur insinuare Patres, fundantes incomprehensibilitatem Dei à creatura in creaturæ limitatione, & illimitatione Divina, vt cum Ill. Godoy, & ex illo diximus *num.* 82. Imò hoc docuit expræsè Fulgentius *in lib. Responsionum ad Ferrandum Diaconum*, his verbis: *Quia anima non novit Deitatem, ita, vt ipsa Deitas sit, Deitatem non comprehendit.* Cui solutioni consonant prima, & secunda probatio nostræ conclusionis.

Vera argument. solut.

105 *Impugnat Ill. Godoy solutionem.*

Hanc solutionem impugnat Ill. Godoy *num.* 90: nam hæc propositio: *Deus est incomprehensibilis à creatura*, vera esse non potest, si ab illa possit comprehendi aliquo genere comprehensionis, quæ strictè sit comprehensio: ergo nostra solutio cum veritate fidei subsistineri nequit. Probat antecedens: eo ipso, quod possit creatura comprehendere Deum comprehensione, quæ propriè sit comprehensio, hæc est vera propositio absolutè, & in rigore: *Deus est à creatura comprehensibilis*; sed cum veritate istius non stat veritas alterius, nempè: *Deus est à creatura incomprehensibilis*; nam illæ duæ propositiones sunt contradictoriæ, vel contrariæ, ac proindè simul veræ esse non possunt: ergo veritas istius propositionis: *Deus est incomprehensibilis à creatura*, non potest subsistere, si aliquo genere comprehensionis, quæ propriè sit comprehensio, possit Deus à creatura comprehendi. Hæc replica est ipsissima ratio, quam ex locis Scripturæ deduxit Ill. Godoy in argumento facto, cuius solutionem ad hanc replicam omisi.

106 *Respondeo ad impugnationem.*

Respondeo itaquè ad replicam negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem: eo ipso,

quod

quod posit creatura comprehendere Deum, comprehensione, quæ propriè sit comprehensio, hæc est vera propositio absolutè, & in rigore, & cum aliqua explicatione: *Deus est à creatura comprehensibilis*, concedo maiorem; sine aliqua explicatione nego maiorem; & distinguo minorem; sed cum veritate istius sine aliqua explicatione, non stat veritas alterius, nempè, *Deus est à creatura incomprehensibilis*, concedo minorem; cum aliqua explicatione nego minorem; & distinguo probationem imbibitam: istæ duæ propositiones, sine aliqua explicatione sunt contradictoriæ, vel contrariæ concedo; cum aliqua explicatione nego, & etiam nego consequentiam.

107 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy: de natura negationis est totum destruere: ergo cum negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio. Atqui Scriptura, & Patres absolutè negant, Deum esse à creatura comprehensibilem: ergo cum hac negatione non componitur aliqua affirmatio comprehensionis Dei à creatura. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: de ratione negationis sine aliqua explicatione est totum destruere concedo antecedens; cum aliqua explicatione nego antecedens; & distinguo similiter consequens. Distinguo etiam sussumptam, & consequens eadem distinctione.

108 *Retorq. 1. replicam ad homin. contra Ill. Godoy.* Soluta iam replica Ill. Godoy, nunc replicam contra ipsum ad hominem retorqueo primò: hæc propositio: *Deus est incomprehensibilis*, vera esse non potest, si ab aliquo possit comprehendi: ergo à nullo intellectu etiã Divino, Deus est comprehensibilis, quod est contra omnes Catholicos. Probatur antecedens: eo ipso, quod possit Deus ab aliquo intellectu comprehendi, hæc est vera propositio absolutè, & in rigore: *Deus est comprehensibilis*; sed cum veritate istius non stat veritas alterius, nempè, *Deus est incomprehensibilis*; nam istæ duæ propositiones sunt contradictoriæ, vel contrariè, ac proindè simul verè esse non possunt: ergo veritas istius propositionis: *Deus est incomprehensibilis*, non potest subsistere, si ab aliquo possit Deus comprehendi. Retorsio facta est ad litteram replicæ Ill. Godoy, cuius falsitas manifestè apparet.

109 Vndè sicut Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 25. num. 18.* ad simile argumentum respondet: Scripturam affirmare absolutè, Deum esse incomprehensibilem, esse ad declarandum elevationem, & excessum Dei ad creaturas, quin absoluta affirmatio obstet, vt Deus sit à se comprehensibilis; ita nos dicere possumus, Scripturam absolutè affirmare, Deum esse incomprehensibilem, esse ad declarandam elevationem, & excessum entitativum Dei ad creaturas, quin absoluta affirmatio obstet, vt Deus sit à creatura comprehensibilis in aliquo tantum comprehensionis genere.

110 *Retorq. 2. etiam ad hominem.* Retorqueo secundò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: hæc propositio: *Deus est Pater est propositio per se*, est absolutè, & in rigore vera; sed cum veritate huius propositionis stat veritas istius: *Deus est Pater est propositio aliquomodo non per se*: ergo quod hæc propositio: *Deus est à creatura incomprehensibilis*, sit vera absolutè, & in rigore, non obest, vt cum veritate istius stet veritas alterius, nempè, *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis*. Consequentia est legitima; nam sicut istæ propositiones: *Deus est Pater est propositio per se*: *Deus est Pater est propositio aliquomodo non per se*, sunt contradictoriæ, vel contrariæ; ita sunt contradictoriæ, vel contrariæ istæ: *Deus est à creatura incomprehensibilis*: *Deus est à creatura comprehensibilis aliquo genere comprehensionis*, & è contra. Maior est Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disput. 77. numer. 5.* vbi pro probatione suæ conclusionis adducit D. Thomam *1. part. quæst. 39. artic. 6. ad 2.* dicentem: Vndè sicut est per se ista: *Pater est Deus*; ita est ista: *Deus est Pater, & nullo modo per accidens*, quod est omninò absolutè asserere: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se. Minor est etiam ipsius *tom. 3. citat. disput. 76. num. 24.* asserentis: hanc propositionem: *Deus est Pater*, non esse per se perfectate constitutionis, quod est aliquomodo non esse per se.

111 Ex hac etiam retorsione manifestè apparet falsitas replicæ ab Ill. Godoy contra nos factæ. Vndè sicut ipse *tom. citat. disput. 76. num. 24.* respondet explicando D. Thomam, & asserendo: hanc propositionem: *Deus est Pater*, non esse per se perfectate constitutionis, quod est aliquomodo non esse

per

per se; quin contra hoc obstet absoluta affirmatio D. Thomæ; ita nobis licere debet respondere: Scripturam absolutè affirmare, Deum esse incomprehensibilem, esse ad declarandam elevationem, & excessum entitativum Dei ad creaturas, quin obstet, vt Deus sit à creatura comprehensibilis in aliquo tantũ comprehensionis genere.

112 *Retorq. 3. ad homin. cõtra ipsum*

Retorqueo tertiò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: hæc propositio: *Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum*, est absolutè, & in rigore vera; sed cum veritate istius propositionis stat veritas huius: *Pater non intelligendo aliquas creaturas concipit Verbum*: ergo quod hæc propositio: *Deus est à creatura incomprehensibilis*, sit vera absolutè, & in rigore, non obest, vt cum veritate istius stet veritas alterius, nempè, *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis*. Consequentia est manifesta; nam sicut istæ propositiones: *Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum*: *Pater non intelligendo aliquas creaturas concipit Verbum*, contradictoriæ, vel contrariæ sunt; ita sunt contradictoriæ, vel contrariæ istæ: *Deus est à creatura incomprehensibilis*: *Deus est à creatura comprehensibilis aliquo genere comprehensionis*, & è contra. Maior est D. Thomæ 1. *part. quæst.* 34. *artic.* 1. *ad* 3. vbi hæc habet: *Sic ergo vni soli personæ convenit dici, eo modo, quo dicitur Verbum, eo verò modo, quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet personæ convenit dici, Pater enim intelligendo se, & Filiũ, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius in scientia continentur, concipit Verbum, & sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Quæ verba adducit Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 1. *part. disput.* 89. *num.* 36. ad probandum ex Angelico Doctore: Verbum Divinum procedere per se ex cognitione Spiritus Sancti, ex ipsisque constat, D. Thomam absolutè affirmare: quod Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum, quæ est maior prædicta. Minor est Ill. Godoy *tom.* 3. *citat. disput.* 91. *num.* 2. vbi hanc ponit conclusionem: *Verbum Divinum quoad suam intrinsecam entitatem non procedit per se ex cognitione libera futurorum, & consequenter absolutè dicendum est, non procedere ex illa.*

111

113 *Retorq. 4. etiam ad hominem.*

Retorqueo quartò etiam ad hominem contra ipsum: hæc propositio: *Spiritus Sanctus non petit per se procedere à duabus personis*, est absolutè, & in rigore vera; sed cum veritate huius propositionis stat veritas istius: *Spiritus Sanctus per se petit procedere à duabus personis*: ergo quod hæc propositio: *Deus est à creatura incomprehensibilis*, sit vera absolutè, & in rigore, non obest, vt cum veritate istius stet veritas alterius, nempè, *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis*. Consequentia est notoria; nam sicut istæ propositiones: *Spiritus Sanctus non petit per se procedere à duabus personis*: *Spiritus Sanctus per se petit procedere à duabus personis*, sunt contradictoriæ, vel contrariæ; ita istæ sunt contradictoriæ, vel contrariæ: *Deus est à creatura incomprehensibilis*: *Deus est à creatura comprehensibilis aliquo genere comprehensionis*, & è contra. Maior est certa; nam Concilia, & Patres absolutè negant: *Spiritum Sanctum per se petere procedere à duabus personis*, vt dictum habemus *tom.* 3. *in* 1. *sent. disput.* 93. *num.* 5. Minor est Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 1. *part. disput.* 93. *num.* 3.

114 *Retorq. 5. ad homin. etiam.*

Retorqueo quintò ad hominem etiam contra ipsum: hæc propositio: *Deus non est nobis debitor*, est absolutè, & in rigore vera; sed cum veritate huius propositionis stat veritas istius: *Deus est nobis debitor*: ergo quod hæc propositio: *Deus est à creatura incomprehensibilis*, sit vera absolutè, & in rigore, non obest, vt cum veritate istius stet veritas alterius, nempè: *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis*. Consequentia legitimè infertur: nam sicut istæ propositiones: *Deus non est nobis debitor*: *Deus est nobis debitor*, sunt contradictoriæ, vel contrariæ; ita & illæ propositiones sunt contradictoriæ, vel contrariæ. Maior constat ex pluribus Patrum authoritatibus, quas retulimus *tom.* 1. *in* 3. *sent. disput.* 7. *num.* 67. & 68, in quibus Patres absolutè affirmant: Deum non esse nobis debitorem. Minor est Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 7. *num.* 4.

115 *Retorq. 6. ad homin. etiam.*

Retorqueo sextò etiam ad hominem contra ipsum: hæc propositio: *Non est aliud motivum Incarnationis præter remedium peccati*, est absolutè, & in rigore vera; sed cum veritate huius propositionis stat veritas istius: *Præter remedium peccati aliud est moti-*

vum Incarnationis : ergo quod hæc propositio : *Deus est à creatura incomprehensibilis*, sit vera absolutè,& in rigore,non obest,vt cum veritate istius stet veritas alterius, nempè, *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis.* Consequentia infertur : nam sicut istæ propositiones: *Præter remedium peccati aliud est motivum Incarnationis : Non est aliud motivum Incarnationis præter remedium peccati*, sunt contradictoriæ,vel contrariæ;ita & illæ propositiones.Maior est expressa D. Augustini, qui super illa verba ad Thimot. *Christus Iesus venit peccatores salvos facere*, sic ait: *Nulla causa fuit Christo veniendi, nisi peccatores salvos facere. Tolle vulnera, tolle morbos,& nulla est causa medicinæ.* Quæ verba contra nos tradit Ill. Godoy *tom.cit.disput.8.num.11.*Minor est ipsius *citat.* admittentis alia motiva primaria, & principaliora, etsi cum peccato connexa.

116 *Retorq. 7. cõtra omnes Thomistas.* Retorqueo septimò generalitèr contra omnes Thomistas:hæc propositio:*Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio egressionis importatur*, est absolutè,& in rigore vera;sed cum veritate huius propositionis stat veritas istius : *Intelligere importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua aliqua ratio egressionis importatur*: ergo quod hæc propositio : *Deus est à creatura incomprehensibilis*,sit vera absolutè,& in rigore,non obest, vt cum veritate istius stet veritas alterius, nempè, *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis.* Consequentia est legitima: nam sicut istæ propositiones sunt contradictoriæ,vel contrariæ;ita & illæ.Maior est D.Thomæ 1.*part.quæst.*34. *artic.*1. *ad* 3. vbi absolutè profert prædictam propositionem. Minor est omnium generalitèr Thomistarum.

117 *Retorq. 8. doctrina omnium Catholicorum.* Retorqueo denique doctrina omnium Catholicorum: hæc propositio à Christo per Ioannem *cap.*9.absolutè prolata : *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam*, est absolutè,& in rigore verâ ; sed cum veritate huius propositionis , stat veritas istius ab Evangelista narratæ : *Ego ascendam ad diem festum*; ergo quod hæc propositio:*Deus est à creatura incomprehensibilis*,sit vera absolutè, & in rigore, non obest , vt cum veritate istius stet veritas alterius,nempè, *Deus est aliquo genere comprehensionis à creatura comprehensibilis.* Consequentia est evidens: nam sicut istæ propositiones : *Ego non ascendam ad diem festum:Ego ascendam ad diem festum*, sunt contradictoriæ, vel contrariæ;ita istæ sunt contradictoriæ,vel contrariæ: *Deus est à creatura incomprehensibilis:Deus est à creatura comprehensibilis aliquo genere comprehensionis*,& è contra. Maior est certissima ; alioquìm propositio à Christo absolutè prolata esset falsa. Minor est de fide,vt constat ex Ioanne citato.

118 *Arguit. 2. Ill. Godoy.* Arguit secundòIll.Godoy *num.*91. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cuius decretum refertur *in capite Firmitèr de Summa Trinitate, & fide Catholica*,vbi dicitur: *Firmitèr credimus, quod vnus solus sit Deus Æternus,Immensus,Incomprehensibilis.* Et *in capite* 2.quod incipit:*Damnamus*,dicitur: *Nos autem Sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro, quod vna quædam summa res est incomprehensibilis quidem,& ineffabilis.* Quibus cum absolutè incomprehensibilis à creatura asseratur, omnem propriã comprehensionem Dei à creatura,vt possibilem,excludit.Arguit tertiò *numer.*95. ex Patribus, quorum ferè innumera testimonia referunt Recentiores ; selectiora tamen adducit Ill. Godoy *numer.citat.* & *num.*96. quæ in ipso videnda relinquo; cum enim eadem sit ad omnia solutio , necessitas non est,ea transcribere. *Arguit.* 3.

119 *Respondeo ad vtrumq̃.* Ad vtrumque itaquè argumentum ex Concilio , & Patribus (omissis solutionibus de statu viæ , & statu Patriæ ; de proprijs viribus , & viribus gratiæ;& de lege ordinaria,& absoluta , quæ meo iudicio authoritates Concilij , & Patrum non sufficientèr salvant , easque sufficientèr impugnat Ill.Godoy in præsentì) . Respondeo: Concilium , & Patres docere, Deum esse à creatura incomprehensibilem cognitione adæquante in entitate cognoscibilitatem Dei;non verò cognitione adæquata cumDeo in esse intelligibili, vt diximus *num.*104. *in solutione primi argumenti.*

120 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Contra hanc responsionem replicat primò Ill. Godoy *numer.* 91 : per Verba Concilij Deus absolutè incomprehensibilis à creatura asseritur:ergo omnem propriam comprehensionem Dei à creatura,vt possibilem,excludit

Con-

Respond. 1.

Concilium. Respondeo primo distinguendo antecedens: per Verba Concilij Deus absolutè, & cum aliqua explicatione incomprehensibilis à creatura asseritur concedo antecedens; absolutè, & sine aliqua explicatione nego antecedens, & consequentiam.

Respond. 2. retorquēdo.

Respondeo secundò retorquendo replicam octo retorsionibus suprà factis, servata terminorum huius replicæ proportione.

Retorqueo replicam.

Vltrà quæ retorqueo replicam, & erit tertia responsio: hæc consequentia est vera iuxta Ill. Godoy: *Deus iuxta Concilium absolutè incomprehensibilis à creatura asseritur: ergo omnem propriam comprehensionem Dei à creatura, vt possibilem, excludit Concilium.* Ergo etiam hæc est vera: *Deus iuxta Scripturam absolutè comprehensibilis à creatura asseritur*: (dicitur enim 1. ad Chorint. 9: *Sic currite, vt comprehendatis*) *ergo omnem propriam incomprehensibilitatem Dei à creatura, vt possibilem, excludit Scriptura.*

121 *Replicat 2.*

Replicat secundò Ill. Godoy *num.* 102: nam Patrum propositio, cum negativa sit, omnem comprehensionem, quæ propriè sit comprehensio Dei, excludunt à creatura, vt possibilem: ergo vel prædicta cognitio strictè comprehensio non est, vel in sententia Patrum non est creaturæ possibilis respectu Divinæ naturæ. Et augetur difficultas; nam si prædicta cognitio est propriè Dei comprehensio, & possibilis creaturæ, hæc propositio esset in rigore vera: *Deus est à creatura comprehensibilis*: ergo propositio Patrum, quæ illi opponitur contradictoriè, nempè, *Deus non potest comprehendi à creatura*, esset falsa.

Confirmat.

122 *Respondeo ad replicã.*

Respondeo ad replicam negando antecedens: quia Patrum propositio non est negativa sine aliqua explicatione, vt diximus *num.* 107. quod erat necessarium, vt omnem comprehensionem, quæ propriè sit comprehensio Dei, excluderent à creatura, vt possibilem. Deindè retorqueo replicam retorsionibus suprà positis, & vt terminis replicæ formentur, hanc sic formalizo: Scripturæ propositio, nempè, *Incomprehensibilis cogitatu*, cum negativa sit, omnem comprehensionem, quæ propriè sit comprehensio Dei, excludit, vt possibilem: ergo excludit comprehensionem à Divino intellectu; alioquim non excluderet omnem comprehensionem, quarum vtrumque est contra Ill. Godoy.

Retorqueo.

Ad confirmationem respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; nam vtraque consequentia est vera. Prima de comprehensione per cognitionem adæquatam cum Deo in esse intelligibili. Secunda de comprehensione per cognitionem adæquatam in entitate cum Dei cognoscibilitate. Deindè retorqueo etiã confirmationem retorsionibus suprà positis, pro quorum formatione hanc formalizo: hæc propositio: *Deus est incomprehensibilis*, est in rigore vera: ergo hæc propositio: *Deus est comprehensibilis*, quæ illi opponitur nontradictoriè, est falsa. Ex quo legitimè infertur, quod Deus non sit a se comprehensibilis, quod negat Ill. Godoy, vtpotè, apud Catholicos falsum.

123 *Ad confirmation.*

Retorqueo.

124 *Arguit deniquè Ill. Godoy.*

Deniquè arguit Ill. Godoy *numer.* 103. probando: Deum non posse comprehendi à creatura, vel esse de fide, vel eius oppositum temerarium non esse. Quod argumentum procedit ad hominem contra Vazquez, & nihil valet contra nos, quia licèt in opinione cum Vazquez conveniamus, doctrina tamen dissentimus. Primò: nos namquè non dicimus, vt dicit Vazquez, sufficere ad comprehensionem, cognoscere obiectum quoad intrinseca, & extrinseca, vt *disput. sequenti constabit.* Secundò: quia nos assertum vcusque non habemus: temerarium esse asserere, Deum posse à creatura comprehendi. Sed licèt hoc asseramus, vt asserit Vazquez, argumentum Ill. Godoy nullatenùs convincit, quod patebit, formando contra nos argumentum, quod facit Ill. Godoy contra Vazquez.

Argument. est contra Vazquez.

125 *Formatur argum. contra nostram doctrinam.*

Arguit itaquè *num.* 103: Deum non posse comprehendi à creatura, vel est de fide, vel ita certum non est, vt oppositum sit temerarium; sed per nos temerarium est affirmare, Deum posse à creatura comprehendi: ergo fateri tenemur, esse de fide, quod à creatura non possit Deus comprehendi. Probatur maior: ideò per nos de fide non est, Deum esse à creatura incomprehensibilem omni genere strictæ comprehensionis, quia licèt sit de fide certum, non posse comprehendi à creatura comprehensione adæquata in entitate cum Deo; non tamen est certum, hoc ad comprehensionem strictam requiri; sed plures, imò ferè

om-

omnes docent, sufficere ad strictam rei comprehensionem cognosci obiectum cognitione adæquata cum intelligibilitate obiecti; hoc autem modo Deum non posse comprehendi, de fide certum non est; atqui nec temerarium est, affirmare, Deum posse hoc genere comprehensionis cognosci: ergo nec temerarium erit asserere, Deum posse à creatura comprehendi, & consequenter vel erit de fide, Deum esse à creatura incomprehensibilem, vel non erit ita certum, vt oppositum sit temerarium.

126 *Minor probatur* 1. Minor ostenditur. Primò: nam Deum posse ab intellectu creato cognosci cognitione adæquata cum intelligibilitate obiecti, docent omnes illi, quos dedit Ill. Godoy *disput.* 31. tenentes, animam Christi Domini posse intelligere intellectione increata: ergo si in hac cognitione stricta comprehensio statuitur, vt nos statuimus *disput.* 31. vbi docuimus contra Ill. Godoy, quod si anima Christi Domini intelligeret intellectione increata, Deum comprehenderet; non erit temerarium asserere, Deum posse à creatura comprehendi, comprehensione, quæ strictè sit comprehensio; nam id temerarium dicitur, quod in re gravi, & Theologica communi Theologorum consensui adversatur.

127 *Secundò.* Secundò ostenditur minor: nam Deum ita posse videri ab intellectu creato, vt nihil illius lateat videntem, non adversatur per nos doctrinæ Patrum, imò hoc fatentur iuxta nostram doctrinam omnes, qui asserunt, intellectum creatum posse intelligere intellectione increata, vt est Hugo de S. Victore cum reliquis relatis *disp.* 31; sed quod Patribus non adversatur, & ab aliquibus, vel ab vno docetur, etsi communi Scholasticorum sensui adversetur, temerarium non est: ergo iuxta nostram doctrinam temerarium non est, Deum posse comprehendi à Beatis comprehensione consistente in cognitione adæquata cum obiecto in esse intelligibili.

128 *Respondeo ad argum. & ad prob. minoris.* Respondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius probationem nego minorem; & ad primam huius probationem nego consequentiam, & ad secundam nego minorem, cuius ratio apparebit retorquendo argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: intellectum Christi creatum non intellexisse intellectione increata, vel est de fide, vel ita certum non est, vt oppositum sit temerarium; sed in sententia Ill. Godoy temerarium est, affirmare, intellectum Christi creatum intellexisse intellectione increata: ergo fateri tenetur, esse de fide, quod intellectus Christi creatus non intellexit intellectione increata. Consequentia est contra Ill. Godoy *disput.* 31. Minor est ipsius, qui *disput. citat. num.* 17. asserit, non solum esse temerarium, id asserere, sed etiam erroneum, vel saltim errori proximum. Probatur maior: ideò iuxta Ill. Godoy de fide non est, intellectum creatum Christi intellexisse intellectione increata, quia licèt sit de fide, in intellectu Christi Divino esse intellectionem increatam; non tamen est certum, intellectum Christi creatum non intellexisse per intellectionem increatam; sed plures hoc probabiliter docuerunt, & docent; atqui nec temerarium est, affirmare, intellectum Christi creatum intellexisse per intellectionem increatam: ergo nec temerarium erit asserere: intellectum creatum Christi intellexisse per increatam intellectionem, & consequenter vel erit de fide: intellectum Christi creatum non intellexisse per intellectionem increatam, vel non erit ita certum, vt oppositum sit temerarium.

Retorq. arg. contra Ill. Godoy.

129 *Minor probatur.* Minor ostenditur. Primò: nam intellectum Christi creatum intellexisse per intellectionem increatam, docent omnes illi, quos retulit Ill. Godoy *disput.* 31. *numer.* 2: ergo nec temerarium est, affirmare, intellectum Christi creatum intellexisse per intellectionem increatam; nam id temerarium dicitur, quod in re gravi, & Theologica communi Theologorum consensui adversatur. Secundò ostenditur minor prædicta: nam intellectum creatum Christi intellexisse per intellectionem increatam, non adversatur doctrinæ Patrum, imò aliquis eorum, vt est Hugo de S. Victore, ita docuit expræsè, vt testatur Ill. Godoy *citat.* sed quod Patribus non adversatur, & ab aliquo expræsè docetur, etsi communi Scholasticorum sensui adversetur, temerarium non est: ergo iuxta doctrinam Ill. Godoy temerarium non est, intellectum Christi creatum intellexisse per intellectionem increatam. Solutio ad re-

Primò.

Secundò.

retorsionem erit ad argumentum solutio.

130 1. *Corollarium.* Ex dictis infertur primò : Deum esse à creatura incomprehensibilem, esse ita certum, vt oppositum non solum sit temerarium, vtpotè, pugnans cum communi Patrum, & Doctorum consensu ; verum etiam erroneum, aut saltim errori proximum. *Probatur.* Quod probo: nam propositio erronea ea est, quæ opponitur conclusioni per evidentem consequentiam deductæ, ex vna de fide, & altera aut de fide, aut ratione naturali evidenti ; proxima verò errori illa est, quæ opponitur conclusioni deductæ ex vna præmissa de fide, & ex altera præmissa efficaci argumento, & quod non habet facilem solutionem, monstrabili ; atqui Deum esse à creatura incomprehensibilem, est conclusio deducta ex maiori de fide, & minori, aut evidenter monstrabili, aut saltim argumento efficacissimo, & quod non potest facile solvi, vt patet in hoc syllogismo: *Deus ob suam infinitatem est incomprehensibilis*: Hierem. *cap.* 22: *Incomprehensibilis cogitatu ; sed infinitum à finito non comprehenditur, nec potest comprehendi: ergo Deus à creatura non comprehenditur* : ergo Deum esse à creatura incomprehensibilem, est ita certum, vt oppositum sit erroneum, vel saltim errori proximum.

131 2. *Corollarium.* Infero secundò: visionem, quæ non est æqualis in claritate visioni infinitæ, nequire esse comprehensivam Dei. Patet etiam ex dictis; & ratio est clara: quia minor cognitio, quam infinita, non sufficit ad comprehendendum Deum: ergo visio, quæ non est æqualis in claritate visioni infinitæ, nequit Deum comprehendere. *Probatur.* Probatur antecedens : minor cognitio, quam infinita, nequit esse adæquata, & commensurata intelligibilitati Dei; sed visio, quæ non fuerit adæquata, & commensurata intelligibilitati Dei, non sufficit ad Deum comprehendendum: ergo minor cognitio, quam infinita, non sufficit ad comprehendendum Deum. Maior est certa ex dictis. Minor probatur: Deus in ratione obiecti cognoscibilis exigit cognitionem infinitam, non excedentem ipsius Dei intelligibilitatem, seu in ea Deo finem habente negativè, quatenùs nihil Dei cogniti est extra ipsam Divinam cognitionem; sed visio, quæ non fuerit adæquata, & commensurata intelligibilitati Dei, exceditur ab ipsius Dei cognoscibilitate, seu aliquid Dei est extra ipsam : ergo visio, quæ non fuerit adæquata, & commensurata intelligibilitati Dei, non sufficit ad comprehendendum Deum.

Confirmatur. Confirmatur efficacitèr: Deus non supercomprehendit se ipsum, vti supercomprehendit creaturas; sed si minor cognitio, quam infinita, sufficeret comprehensioni Dei, Deus supercomprehenderet se ipsum : ergo minor cognitio, quam infinita, non sufficit ad Deum comprehendendum. Probatur maior: Deus non est minor, vt agnoscibilis, quam vt cognoscitivus, nec cognitio Dei potest adæquari, & commensurari alteri obiecto nobiliori : ergo non supercomprehendit se ipsum sua cognitione Deus. *3. Corollarium.* Ex quo infero tertiò: solam Deitatem esse comprehensivam, vt docent communitèr Theologi, & ratione data convincitur.

132 4. *Corollarium.* Infero quartò: Deum non solum esse incomprehensibilem ab Angelis, & hominibus, sed etiam à quacumque creatura de potentia absoluta factibili. *Probat.* 1. Quod patet primò: nam Ecclesiæ Patres incomprehensibilitatem Dei à creatura fundant in limitatione creaturæ, & illimitatione Divina; sed quævis creatura de potentia absoluta factibilis, finita, & limitata est : ergo quævis creatura de potentia absoluta factibilis impotens est ad Dei comprehensionem. *Secundò.* Secundò ex ratione, quam fecimus *num.* 53: comprehensio namquè est adæquata obiecti cognitio, non solum quoad prædicata quid ditativa, verum etiam quoad modum cognoscendi ; sed cognitio sic adæquans Dei cognoscibilitatem repugnat omni creaturæ, nedum factæ, verum etiam de potentia absoluta factibili, vt latè liquet ex dictis: ergo Dei comprehensio omni creaturæ repugnat.

133 5. *Corollarium.* Infero deniquè : Deum quatuor modis incomprehensibilem esse, scilicèt, loco, tempore, intelligentia, & amore. Loco, quia à nullo loco creato, vel creabili circunscribi potest. Tempore, quia omnia excedit, & antecedit tempora. Cognitione, quia nullus intellectus creatus, vel creabilis potest ipsum cognoscere, quantum cognoscibile est. Amore, quia amplio-

ri amore creaturæ possibili adhuc est dignior. Prima incomprehensibilitas Deo competit ratione immensitatis. Secunda ratione æternitatis. Tertia ratione infinitatis. Et quarta ratione summæ bonitatis. Quæ Dei incomprehensibilitates ita certum est, soli convenire Deo, sicut certum est, talia prædicata creaturæ repugnare. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 14. §. 2.* ad illa verba: *Quibus respondentes dicimus, animam Christi per sapientiam gratis datam in Verbo Dei, cui unita est, quod & perfectè intelligit, omnia scire, quæ Deus scit, sed non omnia posse, quæ Deus potest.* Et *distinct. 49. §. 3.* illis verbis: *Solet etiam quæri, utrum aliquid de Deo, &c.* *Mag. Sent.*

DISPVTATIO TRIGESIMA QUARTA.

Vtrùm Anima Christi cognoverit omnia in Verbo ex vi cognitionis Verbi?

§. I.

Aperitur status difficultatis, & referuntur sententiæ.

Num. 1 *Status difficultatis aperitur.*

HÆc est illa difficultas, quæ *tract. de Visione*, solet his terminis proponi: *An ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequatur Verbi comprehensio?* Alijs etiam terminis solet proponi, scilicèt, *Quas creaturas videant Beati in Verbo?* Quam nos *tom. 1. in 1. sent. disput. 21.* proposuimus cum limitatione *de facto*, quomodo eam proponit Ill. Godoy, se ibi abstinendo à difficultate *de potentia Dei absoluta*, quod nos ibi etiam fecimus, relinquendo prædictam difficultatem ad disputationem præsentem. Et quia quod Beatis est possibile, conceditur de facto animæ Christi, idem est quærere: an Beati de potentia Dei absoluta possint videre omnes creaturas in Verbo? Ac an anima Christi eas in Verbo cognoverit?

2 *1. Præsuppositum.*

Qua in re supponitur primò: idem esse, creaturas videri in Deo, ac in Verbo; communis tamen locutio est apud Patres, & Theologos, quod creaturæ videantur in Verbo, cuius ratio est: nam cognitio, seu scientia appropriatur Verbo, sicut Spiritui Sancto amor; in re tamen Beati vident creaturas in ipso Deo sub essentiali ratione Deitatis. Et licèt iuxta nostram doctrinam Beati (sicut & ipse Deus) non videant creaturas in Essentia Divina, tanquam in obiecto præcognito, scilicèt, ex vi visionis Essentiæ, nec in Essentia Divina, seu in Verbo, tanquam in causa illarum, vt cum Thomistis tenet Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 20. & 26. numer. 90*; sed tantum in Essentia Divina, vt specie impressa, tales creaturas repræsentante, vt de Beatis, & ipso Deo diximus *tom. 1. in 1. sent. disput. 20. & 26. §. 13*; verum tamen, vt directè contra Ill. Godoy in hac difficultate procedamus, ipsi gratis damus, creaturas cognosci in Deo, seu in Verbo, tanquam in causa illarum.

3 *2. Præsuppositum.*

Secundum, quod supponimus, est: animam Christi Domini cognovisse, non solum omnia prædicata, quæ formalitèr competunt Deo, verum etiam aliquas creaturas possibiles, existentes, præteritas, & futuras, vt sine controversia docuimus cum Ill. Godoy *tom. 1. in 1. sent. disput. 21.* de Beatis loquendo, & ipse sygillatim *in præsenti num. 1. 2. & 3.* Vnde difficultas stat: An omnes prædictas creaturas cognoverit Anima Christi per Beatificam visionem? Et quia maior, & præcipua difficultas est de creaturis possibilibus.

4 *3. Præsuppositum.*

Tertium, quod supponimus, est: Divinam Omnipotentiam non solum continere creaturas, verum & per excessum infinitum illas perfectiss-

simo modo continere; Omnipotentia enim infinitè excedit in perfectione totam collectionem possibilium, & ita Deus talitèr est productivus omnium possibilium, vt infinita perfectio restet in illo super omnia possibilia; sicut ita est participabilis à creaturis, vt infinita restet perfectio in Deo super omnem participationem. Vndè in Omnipotentia duo considerari possunt, scilicèt, continentia omnium possibilium, & excessus infinitus perfectionis super totam collectionem possibilium. Ratio huius est: quia præcipua differentia causę æquivocæ ab vnivoca est, quod æquivoca excedit in perfectione omnes suos effectus; non verò vnivoca; sed Omnipotentia est causa æquivoca respectu omnium possibilium: ergo Omnipotentia excedit in perfectione omnia possibilia. Maior est evidens: nam causa vnivoca est, quæ producit effectum eiusdem speciei cum ipsa, & consequentèr eiusdem perfectionis essentialis cum effectu; æquivoca verò est, quæ producit effectus in specie diversos, & sic ipsos excedit.

5 *4. Præsupposítum.*

Ex quo suppono quartò: quod licèt omnes effectus possibiles infinitam perfectionem requirant; nunquam tamen eam ad æqualitatem exprimunt; & ratio ex dictis apparet: quia omnes effectus producibiles ab aliqua causa, nequeunt ad æqualitatem exprimere perfectionem causæ, quando causa excedit illos in perfectione; sed Omnipotentia excedit in perfectione omnia possibilia, vtpotè, causa totalis æquivoca eorum: ergo licèt infinitam perfectionem requirant, nunquam eam ad æqualitatem exprimunt. Et confirmatur hæc ratio primò: licèt ex parte Dei requiratur infinita perfectio, vt sit participabilis à creaturis; tamen creaturæ nequeunt illam vsque ad æqualitatem participare: ergo similitèr. Vndè licèt omnes creaturæ possibiles sint terminus adæquatus Omnipotentiæ in ratione termini producibilis; non tamen sunt terminus adæquatus in perfectione; licèt enim adæquent Omnipotentiã, vt est præcisè continentia, & virtus productiva illarũ; non tamen æquant perfectionem illius, siquidem est infinitè perfectior omnibus illis; est enim illorum æquivoca causa. Confirmatur secundò prædicta ratio, & magis declaratur: licèt ex parte Dei requiratur virtus infinita, vt sit participabilis per creationem; tamen nulla res creata, imò nec omnes, quæ habent esse per creationem, vt Angeli, & alia supernaturalia, etiam si sint infinita, adæquant Deum in perfectione: ergo paritèr.

His itaquè brevitèr adnotatis, & aliorum sententijs omissis, duplex, provt ad nostrum facit intentum, versatur sententia. Prima asserit: cognovisse animam Christi Domini ex vi visionis beatificæ omnes creaturas existentes, præteritas, & futuras; non tamen omnes possibiles. Sic cum omnibus Thomistis Ill. Godoy *numer.* 6. sequens D. Thom. *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *artic.* 2. *quæstiunc.* 2. *Ad Anibaldum in eadem distinct. quæst. vnica, artic.* 2. *De veritate quæst.* 20. *artic.* 4. *opusc.* 2. *cap.* 216. 3. *Contra Gentes, cap.* 56. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 8. *Et in hac* 3. *part. quæst.* 10. *artic.* 2. Vndè asserit hæc opinio: Animam Christi Domini cognovisse in Verbo omnia, quæ Verbum cognoscit Scientia visionis; non verò cognovisse omnia, quæ Verbum cognoscit Scientia simplicis intelligentiæ.

6 *1. Sentẽtia.* *D. Thom.* *Ill. Godoy cũ omnibus Thomistis.*

Secunda sententia docet: Animam Christi Domini cognovisse in Verbo omnes creaturas possibiles, existentes, præteritas, & futuras; consequentèrque docet: Animam Christi cognovisse in Verbo omnia, quæ Verbum cognovit Scientia visionis, & Scientia simplicis intelligentiæ. Hanc sententiam tenuerunt Hugo de S. Victore *tom.* 3. *lib. de Sapientia Animæ Christi.* Ioannes de Ripa relatus à Capreolo *in* 3. *dist.* 14. §. 2. Magister Sententiarum *in* 3. *dist.* 14. §. 2. Alexander 3. *part. quæst.* 13. *membr.* 7. Albertus Magnus *in eadem dist. artic.* 1. *&* 2. Sixtus Senensis *lib.* 5. *Bibliothecæ, annot.* 29. Glosa in illud Apocal. 5. *Dignus est agnus, &c.*

7 *2. Sentẽtia.* *Hugo de S. Victore.* *Ripa.* *Mag. Sent.* *Alexander.* *Albertus.* *Sixt. Senẽs.* *Glossa.*

Hæc sententia est magis de mente Scoti, quia licèt solum probabilem reputet *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. §. *tertio modo*, vbi illam latè probat, *&* §. *potest dici*, vbi pro defensione ipsius ponit duos modos, quorum vnum approbat, & alium reprobat, tamen *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 11. §. *contra ex eisdem*, vers. *Consimilitèr etiam*, illam absolutè tenet his verbis: *Consimilitèr etiam patet in Christo, qui licèt omnia viderit in Verbo ab instanti suæ nativitatis, in vtero tamen fuit in eo intellectus agens, &*

8 *Scotus.*

passi-

possibilis, alias non fuisset perfectus, &c. Et licèt in prædicto 3. *sent. quæst.* 2. §. *tertio modo*, in fine illius dicat, quod si solvantur rationes, quas pro hac sententia adducit, sit tenenda oppositа, tamen nullibi illas solvit. Doctorem Subtilem secuntur sui Discipuli licèt sit inter ipsos dissensio: An actualitèr, vel habitualitèr illa cognoverit? De quo Scotistæ videantur, & quod nos diximus *tom.* 1. *in* 1. *sent. disput.* 21. §. *vltimo*. Pro intento autem præsenti. Sit.

§. II.

Statuitur prima conclusio, & probatur.

9 1. *Conclusio*

PRima conclusio: *Dato, quod anima Christi cognoscat creaturas in essentia Divina cognita ex vi visionis essentiæ, cognovit in essentia Divina cognita omnes creaturas possibiles ex vi visionis beatificæ.* Probatur primò ratione Scoti, destruendo rationem Ill. Godoy: quando duo ordinatè conveniunt alicui tertio, si ex cognitione primi comprehensio non sequitur, nec ex cognitione secundi; sed Deo ordinatè conveniunt infinitas intensiva, & extensiva, hæcque ratione illius convenit: ergo si ex cognitione primę comprehensio non sequitur, nec ex cognitione secundæ: ergo ex cognitione omnium possibilium in Divina Omnipotentia non sequitur Dei comprehensio: ergo anima Christi Domini cognovit in Verbo omnia possibilia. Maior patet hoc exemplo: diffinitio subiecti, & propria illius passio conveniunt ordinatè subiecto, talitèr, quod diffinitio sit tota ratio propter quam conveniat illi tota passio, v. g. rationalitas, & risibilitas homini; sed si ex cognitione diffinitionis, v. g. rationalitatis, non sequitur comprehensio subiecti, v. g. hominis, multo minus sequetur ex cognitione passionis, v. g. risibilitatis: ergo vera est maior Scoti propositio. Minor est evidens, & ab omnibus concessa. Prima consequentia est legitima. Secunda verò probatur: cognitio omnium possibilium in Divina Omnipotentia est cognitio infinitatis extensivæ Dei; sed per te ex cognitione infinitatis extensivæ Dei non sequitur comprehensio: ergo ex cognitione omnium possibilium in Divina Omnipotentia non sequitur Dei comprehensio.

Probatur ratione Scoti.

10 Respondet Ill. Godoy *numer.* 55. ex Capreolo *in* 3. *dist.* 15. *artic.* 3. *ad* 1. concessa maiori, & minori, & prima consequentia negando secundam; nam Beatus videns Deum, vtramque infinitatem cognoscit, scilicèt, Deum infinita in se continere, & illa continere infinitè, & vtramque infinitatem cognoscere, si duplex infinitas est; & tamen neutram comprehendit: si verò omnia possibilia in Divina essentia cognosceret, Deum comprehenderet, quia infinitatem intensivam, & extensivam cognosceret modo per essentiam infinito. Vndè ad probationem secundæ consequentiæ respondebit distinguendo maiorem: cognitio omnium possibilium in Divina Omnipotentia est cognitio infinitatis extensivæ Dei, modo infinito per essentiam concedit maiorem; modo finito negat maiorem; & concessa minori negabit consequentiam.

Respondet Ill. Godoy.

11 Sed contra: cognitio omnium possibilium in Divina essentia cognita, non est cognitio infinitatis extensivæ Dei, modo per essentiam infinito: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: cognitio infinitatis intensivæ in Divina essentia cognita, non est cognitio Divinæ essentiæ, modo per essentiam infinito: ergo cognitio omnium possibilium in Divina essentia cognita, non est cognitio infinitatis extensivæ Dei, modo per essentiam infinito. Antecedens est certum; alias quilibet Beatus, vtpotè, videns infinitatem intensivam in Divina essentia cognita, comprehenderet Deum. Consequentia probata manet prima propositione argumenti.

Contra.

12 Respondet Ill. Godoy *num.* 57. distinguendo antecedens vltimum: cognitio quidditativa infinitatis intensivæ in Divina essentia cognita non est cognitio Divinæ Essentiæ modo per essentiam infinito concedit antecedens; cognitio comprehensiva negat antecedens. Ratio (inquit Ill. Godoy) est; quia omnia, quæ in Deo eminentèr continentur, nequeunt nisi comprehensivè cognosci, & consequentèr Divina virtus comprehenditur; cæterum infinitas intensiva, similitèr & alia, quæ formalitèr Deo competunt, possunt quidditativè tantum, & non comprehensivè cognosci. Hæc est disparitas Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy.

13 Sed contra: ideò ex cognitione quidditativa infinitatis intensivæ in

Contra.

Divina essentia, non sequitur Divinæ essentiæ comprehensio, quia modo finito cognoscitur; sed etiam possibilia omnia in Divina essentia cognita possunt modo finito cognosci: ergo ex cognitione omnium possibilium non sequitur Divinæ essentiæ comprehensio. Probatur minor: ideò omnia possibilia non possunt in Divina essentia cognita modo finito cognosci, quia cognoscuntur in Deo tanquam in causa, & consequenter illorum cognitio pendet ex modo adæquato cognitionis causæ, vt Ill. Godoy, & Thomistæ ratione Divi Thomæ asserunt; sed hæc ratio est nulla, si infinitas intensiva potest cognosci in essentia modo finito: ergo etiam possibilia omnia in Divina essentia cognita possunt modo finito cognosci. Minor probatur: infinitas intensiva etiam cognoscitur in Divina essentia, vt in causa virtuali illius; sed per te potest cognosci in Divina entia cognita modo finito: erga data ratio Ill. Godoy est nulla, si infinitas intensiva potest cognosci in essentia modo finito.

14 *Respond. 1. Ill. Godoy.* Respondet primò Ill. Godoy *num. 59.* negando causalem maioris primi syllogismi. Ratio autem (inquit Ill. Godoy) quare ad comprehensionem essentiæ Divinæ non sufficiat, infinitatem intensivam cognoscere, est, quia ad comprehensionem requiritur insuper cognitio omnium, quæ eminenter in Divina essentia continentur: ergo cum stet cognitio infinitatis intensivæ sine cognitione possibilium, stabit & Divinæ essentiæ non comprehensio. Sed omittendo, quod in præsenti ait Ill. Godoy, quia ad rem non attinet, maiorem, quam negat, probo; quia hoc est, quod ad rem facit. Probatur maior primò: si ex cognitione quidditativa infinitatis intensivæ in Divina essentia cognita sequeretur cognitio infinita infinito modo per essentiam, sequeretur comprehensio Divinæ essentiæ: ergo ideò ex cognitione quidditativa infinitatis intensivæ in Divina essentia, non sequitur Divinæ essentiæ comprehensio, quia modo finito cognoscitur. Probatur secundò eadem maior: ideò cognitio aliqua non est comprehensiva obiecti, quia non adæquat totaliter intelligibilitatem obiecti; sed cognitio infinitatis intensivæ in Divina essentia cognita non adæquat intelligibilitatem Divinæ essentiæ totaliter, quia finito modo infinitatem intensivam cognoscit: ergo ideo ex cognitione quidditativa infinitatis intensivæ in Divina essentia, non sequitur Divinæ essentiæ comprehensio, quia modo finito cognoscitur.

15 *Respond. 2. Ill. Godoy.* Respondet secundò Ill. Godoy *numer. 60.* negando minorem, ad probationem negat minorem, ad probationem concessis maiori, & minori negat consequentiam. Ratio autem discriminis traditur à Caietano 1. *part. quæst. 12. artic. 8. §. ad 1. Scoti.* Sumiturque ex D. Thom. *quæst. 20. de Veritate, artic. 5. in corpore*: nam ea, quæ conveniunt alicui formaliter, illo viso statim cognoscuntur, quia sunt de apparentibus manifestè. Vndè sicut visio causæ modum cognitionis non petit, sed solam cognitionis substantiam, ita quæ formaliter causæ conveniunt, non modum, sed substantiam cognitionis causæ sequuntur, & idcirco possunt, & debent omnia, quæ formaliter competunt Deo, visa illius essentia quantumvis modo limitato, & finito cognosci. Cæterum quæ eminenter, & vnicè continentur in causa, qualiter creaturæ continetur in Deo, non apparent manifestè, sed latent in causa, & ideò non cognoscuntur ex vi cognitionis causæ quoad substantiam cognitionis, sed sequuntur modum cognitionis, & penetrationis causæ; ac proindè, vt omnia, quæ eminenter in causa continentur, videantur, necesse est, causam modo sibi adæquato cognosci; & per consequens comprehendi.

Contra. Contra primò: non minus cognitio infinitatis intensivæ in Divina essentia, vt in causa virtuali illius, est cognitio talis infinitatis latentis virtualiter in Divina essentia, ac cognitio omnium possibilium in essentia Divina, vt in causa virtuali illorum, est cognitio possibilium latentium virtualiter in essentia Divina; sed hoc non obstante, cognitio talis infinitatis non est Dei comprehensiva: ergo nec cognitio omnium possibilium. Maior probatur primò: cognitio infinitatis in Divina essentia, vt in causa virtuali illius, est cognitio effectus, vel quasi effectus in causa; sed cognitio omnium possibilium in Verbo, veluti in causa virtuali illorum, est cognitio

16 *Contra 1.*

ef-

effectus in causa: ergo non minus cognitio infinitatis intensivæ in Divina essentia, vt in causa virtuali illius, est cognitio talis infinitatis latentis virtualitèr in Divina essentia, ac cognitio omnium possibilium in essentia Divina, vt in causa virtuali illorum, est cognitio possibilium latentium virtualitèr in essentia Divina. Probatur consequentia: ideò cognitio omnium possibilium in Divina essentia est cognitio de latentibus, quia est cognitio effectus in Divina essentia, vt in causa virtuali illorum; sed per te cognitio infinitatis intensivæ in Divina essentia, vt in causa virtuali illius, est cognitio effectus, vel quasi effectus in causa: ergo, &c. Probatur maior secundò: Divina essentia pro illo primo signo, in quo concipitur sine infinitate intensiva, continet virtualitèr, tanquam in causa methaphysica, infinitatem intensivam; sed etiam Divina essentia continet virtualitèr, tanquam in causa, omnia possibilia: ergo non minus cognitio infinitatis intensivæ in Divina essentia, vt in causa virtuali illius, est cognitio talis infinitatis latentis virtualitèr in Divina essentia, ac cognitio omnium possibilium in essentia Divina, vt in causa virtuali illorum, est cognitio possibilium latentiũ virtualitèr in essentia Divina.

17 *Contra 2.* Contra secundò: vt cognoscantur omnia possibilia in Deo, tanquàm in causa latentia, sufficit, quod cognoscatur in Deo continentia eminentialis eorum; sed ex cognitione continentiæ eminentialis omnium possibilium non sequitur Dei comprehensio: ergo nec sequitur ex cognitione omnium possibilium, in Deo, tanquã in causa latentium, & consequentèr nulla est solutio Ill. Godoy. Maior est certa; quia vt cognoscatur effectus in sua causa, sufficit, quod cognoscatur in causa continentia eminentialis, vel virtualis illius. Minor probatur: ex cognitione infinitatis intensivæ Dei, non sequitur Dei comprehensio, vt manet probatum; sed infinitas intensiva Dei, vel est talis continentia, vel tota ratio illius, vt dictum manet: ergo ex cognitione continentiæ eminentialis omnium possibilium non sequitur comprehensio Dei.

18 *Contra 3.* Contra tertiò: secundum D. Thomam ex cognitione causæ sequitur cognitio effectus, sicut ex cognitione effectus sequitur cognitio causæ, licèt effectus non contineatur in causa alio modo, quam virtualitèr, vt expræsè habet D. Thomas 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 8. & est fundamentum Ill. Godoy infrà objiciendum, & solvendum; & patet etiam ratione: quia nulla est ratio, ob quam ex cognitione effectus sequatur cognitio causæ, & non sequatur cognitio effectus ex cognitione causæ; imò in demonstratione à priori semper proceditur à cognitione causæ ad cognitionem effectus, quæ est perfectior, & prestantior cognitio, quam cognitio demonstrationis à posteriori. Si ergo ex cognitione omnium possibilium, quæ sunt effectus Dei, sequitur Dei comprehensio, potiori titulo ex cognitione infinitatis intensivæ Dei, seu Omnipotentiæ secundum minimum gradum, sequeretur cognitio omnium possibilium; nam minimum infinitæ virtutis, seu Omnipotentiæ, est sufficiens causa omnium possibilium.

19 *A contrario argum. vrgeo.* Vel à contrario argumentum vrgeo: cognoscens Deum, vt infinitum intensivè, seu Omnipotentem, non comprehendit ipsum, vt fatentur Ill. Godoy, & Thomistæ; aliàs quilibet Beatus comprehenderet Deum: ergo nec cognoscens ipsum, vt continentem omnia possibilia in eo relucentia ob rationem Div. Thomæ mox allatam. Rursus: non alia ratione videntur creaturæ in Verbo, nisi quatenus videtur Deus sub ratione infinitæ virtutis: ergo si non comprehenditur, vt sic cognoscitur; non comprehendetur cognitione, qua cognoscuntur infinitæ creaturæ in ipso contentæ: nulla ergo est solutio Ill. Godoy.

20 *Probat. 2. conclusio.* Probatur secundò conclusio, & simul instatur contra solutionem Ill. Godoy: cognitio omnium possibilium in Verbo non exigit cognitionem infinitam, adæquatam intensivè cum essentia Divina: ergo possunt omnia possibilia in Verbo cognosci, quin cognitione infinita, adæquata intensivè cum essentia Divina, cognoscantur: ergo ex cognitione omnium possibilium in Verbo, non sequitur Verbi comprehensio. Probatur antecedens: collectio omnium possibilium non exigit ad sui eminentialem, vel virtualem continentiam omnem Dei infinitatem: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo

non

non exigit cognitionem infinitam, adæquatam intensivè cum essentia Divina.

21 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 64. negando antecedens, & ad probationem distinguit antecedens: omnem infinitatem, tàm ad intra, quàm ad extra concedit antecedens; infinitatem per essentiam ad extra negat antecedens, & consequentiam. Itaquè licèt tota creaturarum collectio ad sui activam continentiam, non petat ab intrinseco per se in quarto modo, infinitam Dei fecunditatem ad intra; fœcunditatem tamen, seu vim productivam ad extra infinitam per essentiam exposcunt, & cum illa terminativè adæquantur, etsi non entitativè; ex quo potius argumentum (inquit Ill. Godoy) pro se, quam contra se sumi potest; nam si non obstante, quod collectio possibilium sit per essentiam finita, per se petit vim productivam per essentiam infinitã, ita, vt ex terminis repugnet in causa non sic infinita adæquatè contineri; paritèr, non obstante, quod tota possibilium collectio in ratione cognoscibilis sit per essentiam finita, poterit ad sui adæquatam continentiam in ratione intelligibilis, cognitionem infinitam per essentiam exigere.

22 *Impugnatur hæc solutio.*

Impugnatur hæc solutio Ill. Godoy: collectio omnium possibilium non exigit ad sui eminentialem, vel virtualem continentiam, omnem Dei infinitatem, tàm ad intra, quàm ad extra: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo non exigit cognitionem infinitam, tàm ad intra, quam ad extra. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy in solutione. Consequentia claret: nam iuxta ipsum, & omnes Thomistas, cognoscibilitas fundatur suprà entitatem, & immaterialitatem; sed iuxta ipsius solutionem collectio, vel entitas collectionis omnium possibilium non exigit ad sui eminentialem, vel virtualem continentiam, omnem Dei infinitatem, tàm ad intra, quàm ad extra: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo non exigit infinitam cognitionem, tàm ad intra, quàm ad extra. Infero nunc: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo non exigit cognitionem infinitam, adæquatam intensivè cum Divina essentia. Probatur hæc consequentia: cognitio infinita, adæquata intensivè cum essentia Divina, est cognitio infinita, tàm ad intra, quàm ad extra; sed iuxta concessa, cognitio omnium possibilium in Verbo non exigit cognitionem infinitam, tàm ad intra, quam ad extra: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo non exigit cognitionem infinitam, adæquatã intensivè cum essentia Divina.

23 *Probat. 3. conclusio.*

Probatur tertiò conclusio: cognoscens vnum effectum in Verbo, non comprehendit Divinam Omnipotentiam, quatenus est causa illius: ergo cognoscens omnia possibilia in Verbo, non comprehendit Divinam Omnipotentiam, vt est causa omniũ possibilium; & consequentèr ex cognitione omnium possibilium in Verbo non infertur comprehensio Divinæ Omnipotentiæ.

24 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 69. concesso antecedenti, negando consequentiam, quia vnus effectus possibilis non est terminus Omnipotentiæ adæquatus; omnia verò possibilia adæquant terminativè Omnipotentiam; virtus autem causæ non comprehenditur, nisi in illa adæquatus terminus cognoscatur, & idcircò ex cognitione vnius possibilis comprehensio Omnipotentiæ non sequitur; benè tamen ex cognitione omnium. Quam solutionem dedit secundo loco Capreolus ad secundum argumentum Scoti.

25 *Contra.*

Contra: etsi vnus effectus possibilis non sit terminus adæquatus Omnipotentiæ absolutè, est tamen adæquatus terminus Omnipotentiæ, provt est causa talis effectus; & tamen ex adæquata cognitione vnius particularis effectus, non sequitur comprehensio Omnipotentiæ, nedum absolutè, verum nec vt causæ illius: ergo paritèr: ex omnium possibilium cognitione, non sequitur comprehensio Omnipotentiæ secundum quod est omnium possibilium causa.

26 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 74. negando maiorem; cum enim Omnipotentia Divina sub eadem ratione virtualitèr indivisibili, ad vnum ex possibilibus, & ad omnia comparetur, vnum particulare possibile non est terminus adæquatus Omnipotentiæ, etiam provt est causa illius, ly *provt* reduplicante id, quod in recto ex parte Omnipotentiæ, vt est virtus productiva, importatur.

Hæc

27 *Reijcitur 1. solutio hæc.*

Hęc tamen solutio reijcitur primo: ergo si Omnipotentia sub ratione virtualitèr divisibili ad vnum ex possibilibus, & ad omnia comparetur, vnũ possibile esset terminus adæquatus Omnipotentiæ, vt est causa illius. Atqui cognoscens vnum possibile in Verbo non comprehendit Omnipotentiam, vt est causa illius: ergo nec cognoscens omnia possibilia in Verbo comprehendet Omnipotentiam, vt est causa illorum. Probatur sussumpta: cognoscens vnum possibile in Verbo non comprehendit Omnipotentiam, vt est causa omnium: ergo cognoscens vnum possibile in Verbo non comprehendit Omnipotentiam, vt est causa illius. Probatur consequentia primò: ad comprehensionem iuxta Ill. Godoy, & Thomistas requiritur cognitio omnium, quę eminentèr continentur; sed cognoscens vnũ possibile in Verbo non cognoscit omnia eminentèr contenta: ergo cognoscens vnum possibile in Verbo non comprehendit Omnipotentiam, vt est causa illius. Probatur secundò eadem consequentia: implicat comprehendere Omnipotentiam secundum virtutem causativam vnius possibilis, quin comprehendatur secundum virtutem causativam omnium; sed iuxta concessa cognoscens vnum possibile in Verbo non comprehendit Omnipotentiam, vt est causa omniũ: ergo, &c. Probatur maior: implicat iuxta Thomistas comprehendere Deũ secundum virtutem radicantem Omnipotentiam, quin comprehendatur secundum virtutem radicantem omnia, quæ sunt in Deo: ergo paritèr: implicat comprehendere Omnipotentiam secundum virtutem causativam vnius possibilis, quin comprehendatur secundum virtutem causativam omnium.

28 *Reijcitur 2.*

Reijcitur secundò data solutio: ergo Omnipotentia sub eadem ratione virtualitèr indivisibili comparatur ad vnum ex possibilibus, & ad omnia: ergo virtus Omnipotentiæ causativa vnius possibilis est eadem virtualitèr indivisibilis cum virtute Omnipotentiæ causativa omnium. Ergo cognoscens vnum possibile in Verbo, cognoscit in Verbo omnia possibilia. Probatur hæc consequentia: ideò iuxta Thomistas cognoscens Omnipotentiam in Verbo, cognoscit omnia, quæ sunt formalitèr in Deo, quia vel virtus radicans Omnipotentiam est eadem virtualitèr indivisibilis cum virtute radicante cœtera; vel quia etsi virtualitèr sit divisibilis, est tamen realitèr eadem; sed iuxta Ill. Godoy virtus Omnipotentiæ causativa vnius possibilis est eadem virtualitèr indivisibilis cum virtute causativa omnium: ergo cognoscens vnum possibile in Verbo, cognoscit in Verbo omnia possibilia.

29 *Probat. 4. conclusio.*

Probatur quartò conclusio: quando cognoscitur Deus, vt includens omnia possibilia eminentèr, aut virtualitèr, vel cognoscitur sub diversa ratione intrinseca? & hoc est absurdum; nam eadem formalitas intrinseca Omnipotentiæ sufficit ad continendas omnes creaturas; vel sub eadem ratione intrinseca? Et tunc infero: ergo ex cognitione plurium effectuum non sequitur, quod Deus perfectiùs cognoscatur, quam si vnus tantum effectus cognosceretur, quod est contra rationem, quam ex D. Thoma tradit pro sua conclusione Ill. Godoy. Probatur consequentia: plurium effectum cognitio impertinens est ad intensiorem cognitionem causæ: ergo ex cognitione plurium effectuum non sequitur, quod Deus perfectiùs cognoscatur. Probatur antecedens: potest dari summa intensio, etiam si vnus tantum cognoscatur effectus: ergo plurium effectuum cognitio impertinens est ad intensiorem cognitionem causæ. Probatur antecedens: nihil impedit, vt vnum obiectũ sub vna ratione cognosci possit intensissima cognitione, vt patet in quocumque imaginabili obiecto. Deindè valdè probabile est, aliquos in Cœlo ratione status exigere cognitionem plurium obiectorum, quam alij maiorum meritorum; sed isti magis intensam cognitionem de Deo habent, etiam si minus exigant: ergo plurium obiectorum cognitio potest dari, etiam si vnus tantum cognoscatur effectus.

30 *Probat. 5. conclusio.*

Probatur quintò conclusio: etiam si anima Christi videret omnia possibilia in Verbo, non comprehenderet Omnipotentiam: ergo nulla est ratio, quam pro sua conclusione, & nobis opposita, adducit Ill. Godoy. Probatur antecedens: anima Christi in tali casu non videret Omnipotentiam ea

cla-

claritate, qua Deus illam videt; sed cognitio, quæ non est æqualis cognitioni Divinæ in claritate, nequit esse comprehensiva Omnipotentiæ: ergo etiam si anima Christi videret omnia possibilia in Verbo, non comprehenderet Omnipotentiam. Probatur maior: anima Christi in tali casu non videret possibilia illa claritate, qua Deus illa videt: ergo anima Christi in tali casu non videret Omnipotentiam ea claritate, qua illam videt Deus. Probatur antecedens primo: etiam si anima Christi videat aliquas creaturas possibiles in Verbo, non videt eas ea claritate, qua Deus eas videt: ergo anima Christi tali casu non videret possibilia ea claritate, qua Deus illa videt. Probatur secundò antecedens: etiam si anima Christi de facto videat in Verbo omnes creaturas futuras, non videt eas ea claritate, qua Deus ipsas videt: ergo, &c. Antecedens probatur ratione, & authoritate D. Thomæ 3. *part. quæst.* 10. *artic.* 2. *ad* 3. vbi sic ait: *Quantitas Scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis*: ergo licèt Scientia animæ Christi, quam habet in Verbo, parificetur Scientiæ visionis Dei quoad numerum scibilium; Scientia tamen Dei excedit in infinitũ quoad claritatem cognitionis Scientiam animæ Christi; nam lumen increatum infinitè excedit creatum: ergo etiam si anima Christi de facto videat in Verbo omnes creaturas futuras, non videt eas ea claritate, qua Deus ipsas videt. Quid possit ad hanc rationem respondere Ill. Godoy, videbimus per solutionem ad rationem sequentem.

§. III.

Ad hominem contra Ill. Godoy probatur conclusio.

31 *Probat. 1. conclusio ad homin. contra Ill. Godoy.*

PRobatur primò conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: Anima Christi cognoscit in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis; sed ex hac cognitione non sequitur comprehensio Scientiæ visionis Dei: ergo neque ex cognitione omnium possibilium in Verbo, sequitur Verbi comprehensio. Præmissæ sunt à Thomistis communitèr concessæ. Consequentia probatur: ideò iuxta Ill. Godoy ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequitur Verbi comprehensio, quia nequeunt omnes effectus cognosci ex vi cognitionis causæ, quin causa cognoscatur omni perfectione possibili, quæ est comprehensio; atqui stat cognitio omnium obiectorum Scientiæ visionis Dei in anima Christi ex vi cognitionis talis Scientiæ, quin talis scientia cognoscatur omni perfectione possibili, quæ est comprehensio iuxta Ill. Godoy: ergo si ex hac comprehensio non sequitur, neque ex cognitione omnium possibilium in Verbo, sequitur Verbi comprehensio.

32 *Respond. 1. Ill. Godoy.*

Ad hanc rationem (relictis aliorum responsionibus) tres adhibet solutiones Ill. Godoy. Respondet itaquè primò *num.* 131. negando maiorem; nam obiectum adæquatum Scientiæ visionis Dei, non solum sunt entia possitiva, quæ aliquando habitura sunt existentiam, sed etiam negationes rerum, quas Deus non producere decrevit; vndè ex eo, quod omnia entia possitiva, præterita, præsentia, & futura cognoscat anima Christi, dummodo non cognoscat omnes rerum negationes, non sequitur comprehendere obiectum adæquatum Scientiæ visionis liberæ Dei.

33 *Responsio est contra ipsum.*

Hæc solutio est manifestè contra Ill. Godoy, qui *numer.* 181. pro tertia conclusione statuit, animam Christi per Beatificam visionem cognoscere negationes prædictas, quod probat *num.* 182. Probationem transcribo, & contradictionem inspicite. *Probo primò* (inquit Ill. Godoy) *ex Div. Thoma quæst.* 20. *de Veritate, artic.* 4. *ad* 9. 3. *ad Anibaldum, dist.* 14. *quæst. vnica, artic.* 2. *ad primum ex argumentis factis secundo loco, & in præsenti artic.* 3. *ad* 3. *In quibus locis postquam determinaverat, animam Christi in Verbo, scire omnia, quæ scit Verbum scientia visionis; non autem omnia, quæ scit Verbum scientia simplicis intelligentiæ, cum sibi obiecisset, sequi ex hoc scientiam animæ Christi æquari Divinæ Scientiæ visionis. Respondet, concedendo æquari cum Divina Scientia visionis, quoad numerum scibilium, non in modo claritatis, & simplicitatis, & ideò non æquari cum Divina scientia absolutè, quia quantitas perfectionis in scientia præcipuè attenditur pœnès modum efficatiæ, & claritatis.* Ex qua doctrina tale argumentum conficit Ill. Godoy: *Iuxta D. Thomam Scientia Beata humanitatis Christi est æqualis cum*

scien-

scientia libera visionis, quam Deus habet rerum in se ipso, quantum ad numerum scibilium, & solum est illi inferior in modo claritatis, & efficatiæ; sed Deus in se ipso non solum videt entitates positivas existentes, sed etiam omnes negationes existentes, præteritas, & futuras: ergo has omnes cognoscit anima Christi per Beatificam visionem in Verbo.

Quod amplius (prosequitur Ill. Godoy *num.* 183.) *Confirmo: Nam si Div. Thomàs sentiret, animam Christi in Verbo non cognovisse omnes rerum negationes, quas tamen Deus in se ipso cognoscit per Scientiam visionis, pervia esset argumenti solutio, negando sequelam: quia licèt cognosceret omnia entia positiva, à Deo per scientiam visionis cognita, non tamen cognosceret negationes omnes cognitas à Deo per scientiam visionis; at D. Thom. sic argumentum non solvit, sed ad inæqualitatem in modo cognoscendi recurrit, vt solveret argumentum: ergo sentit manifestè in alijs, prætèr quam in modo, æquari scientiæ liberæ visionis Dei; & consequentèr etiam sentit, animam Christi per Beatificam visionem in Verbo, omnium rerum negationes cognoscere.* Eccè contradictoriè oppositum ad solutionem traditam. Vltra quod.

34 *Impugnatur 1. solut. Ill. Godoy.* Impugnatur primò hæc solutio: nam iuxta communem Thomistarum sententiam anima Christi Domini cognoscit in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis; sed Deus hac scientia scit etiam negationes: ergo etiam negationes cognoscit in Verbo anima Christi Domini. *Secundò.* Secundò: quia non est ratio, cur anima Christi cognoscat in Verbo entia positiva, & negativa non cognoscat, nec ab Ill. Godoy traditur ratio aliqua: ergo non tenet solutio illius. *Tertiò.* Tertiò: quia non est maior ratio, cur anima Christi cognoscat in Verbo entia positiva potius, quam negativa: nulla ergo est data solutio. *Quartò.* Quartò deniquè: implicat, negationes esse obiecta Scientiæ visionis Dei, & non esse futura; atqui si sunt futura, anima Christi ea in Verbo cognoscit: ergo vel entia negativa non sunt obiecta Scientiæ visionis Dei, vel ea cognoscit in Verbo anima Christi Domini, & consequentèr ruit solutio Ill. Godoy. Consequentia est legitima. Maior patet: nam futura sunt, quæ sunt obiecta Scientiæ visionis Dei. Minor probatur: si negationes sunt futura, de ipsis debet affirmari, quæ sunt, erunt, vel fuere; sed anima Christi cognoscit in Verbo omnia, quæ sunt, erunt, vel fuere: ergo si negationes sunt futura, anima Christi ea in Verbo cognoscit. Maior est notoria. Minor est ipsius *num.* 113. Consequentia legitima est.

Respondet secundò *num.* 132. concessis præmissis negando consequentiam, ad cuius probationem negat etiam consequentiam; nam cognitio omnium, ad quæ se extendit aliqua potentia, vel virtus, necessario illam adæquat in modo exacto ab illius cognoscibilitate, ac proindè est, vel infert comprehensionem illius: Cæterum cognitio omnium, ad quæ scientia libera terminatur, non est necessarium, quod scientiam liberam in modo intensivo suæ cognoscibilitatis adæquet, cumque hoc necessarium sit ad illius comprehensionem; consequens fit, quod ex cognitione omnium, ad quæ scientia libera se extendit, non inferatur scientiæ liberæ comprehensio. Quæ solutio fundamentum habet in D. Thoma *in præsenti artic. 2. ad 3.* vbi docet, Scientiam animæ Christi, quam habet in Verbo, parificari scientiæ visionis, quam Deus habet in se ipso, quantum ad numerum scibilium; infinitè tamen ab illa quoad claritatem excedi, & hæc est quantitas perfectionis præcipuè in scientia attendenda. Quod si rationem huius discriminis petas, ea est, quia nempè, cognitio effectuum in causa habetur ex vi penetrationis causæ; & ideò vt ad omnes effectus in aliqua causa contentos terminetur, adæquata causæ penetratio requiritur. Cæterum cognitio existentium in scientia, vel in decreto, non habetur ex vi penetrationis decreti, sed tantum ex vi revelationis illius. Vndè, vt in decreto, vel scientia, obiecta decretata, vel cognita cognoscantur, penetratio scientiæ liberæ non petitur; & consequentèr nec adæquatio in modo cum eius cognoscibilitate.

35 *Respond. 2. Ill. Godoy.*

Hæc tamen solutio refellitur. Primò: ideò iuxta Ill. Godoy *numer.* 60. cognitio omnium, quæ formalitèr Deo competunt, non petit modum cognitionis causæ, sed solum substantiam cognitionis illius; & è contra: cognitio illorū, quæ eminenter continentur in Deo, petit modum cognitionis causæ, quia sunt de apparenti-

36 *Refellit. 1. solutio hæc*

bus

bus manifestè; hæc verò non, sed latent in causa; atqui omnia obiecta scientiæ visionis non sunt de apparentibus manifestè, sed latent in causa: ergo cognitio horum petit modum cognitionis causæ: ergo adæquat causam in modo exacto ab illius cognoscibilitate: ergo ex cognitione horum sequitur comprehensio contra Ill. Godoy. Probatur minor: si omnia obiecta scientiæ visionis essent de apparentibus manifestè, quilibet Beatus ea videret, vt ob eandem rationem videt perfectiones formales Dei; sed hoc est falsum etiam apud Ill. Godoy: ergo omnia obiecta scientiæ visionis non sunt de apparentibus manifestè, sed latent in causa.

37 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 135. concessa maiori, negando minorem: nam scientia libera considerari potest dupliciter, nempè, *entitativè*, qua ratione est necessaria, nec est medium cognitionis existentium, & *terminativè*, qualiter libera est, & medium, in quo creaturæ existentes cognoscuntur: priori modo sumpta verum est, quod in illa non manifestantur creaturæ: sumpta autem secundo modo non latent in ipsa, sed patent creaturæ existentes; implicat enim cognoscere scientiam Dei liberam, provt liberè terminatam ad hominem, non cognito homine: idemque dicendum de alijs existētibus sumptis in particulari.

38 *Contra.*

Sed contra: nam vel obiecta scientiæ visionis, seu liberę latent in ipsa, vt est medium, in quo talia obiecta cognoscuntur, vel non, sed sunt de apparentibus manifestè? Atqui quodcumque est contra Ill. Godoy: ergo ruit solutio illius. Probatur minor: si omnia obiecta scientiæ visionis latent in ipsa, vt est medium, in quo talia obiecta cognoscuntur, cognitio horum obiectorum petit modum cognitionis causæ; si verò sunt de apparentibus manifestè in scientia libera, vt est medium, in quo prædicta obiecta cognoscuntur; quilibet Beatus ea omnia videret; atqui vtrumque est contra Ill. Godoy: ergo quodcumque contra ipsum est. Consequentia est legitima. Minor patet: nam primum est contra responsionem, quam tradit *num.* 132. & nos adduximus *numer.* 35. Secundum est contra ipsum, & contra omnes; quia nullus est, qui asserat: quemlibet Beatum videre omnia obiecta scientiæ visionis. Maior autem est etiam doctrina ipsius: nam ideo asserit *numer.* 60. quod cognitio illorum, quæ eminentèr continentur in Deo, petit modum cognitionis causę, quia latent in causa; & ideò asserit, quod quilibet Beatus videt omnia, quę Deo formalitèr conveniunt, quia sunt de apparentibus manifestè. Nulla ergo est allata solutio.

39 *Responsio quædam.*

Ob hanc replicam, quam aliquando in publicis Thęsibus proposui, ad aliam solutionem recurrerunt, disparitatem assignando. Disparitas mihi data fuit, quod scientia simplicis intelligentiæ habet pro obiecto adæquato per se possibilia; scientia verò visionis non habet obiectum adæquatum per se, quia potest se extendi ad plura alia, si Deus illa existere decrevisset; sed tātum habet obiectum adæquatum per accidens ex eo, quod hæc tantum decrevit.

40 *Contra 1.*

Contra primò: quod scientia visionis possit habere pro obiecto alia, quę nunc non habet, si esset decretum de illorum futuritione, non tollit, vt hæc, quæ de facto habet, sint eius obiectum adæquatum per se: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quod scientia simplicis intelligentiæ potuisset habere pro obiecto omnia futura, quę habuit ante decretum, non tollit, vt hæc, quæ de facto habet, sint eius obiectum adæquatum per se: ergo similitèr. Antecedens est vniversalitèr verum; nam possibilia, quæ de facto dantur, sunt obiectum adæquatum per se scientiæ simplicis intelligentiæ, etsi de facto non habeat pro obiecto præsentia, præterita, & futura, quę pro obiecto habuit ante decretum; alioquin ex cognitione omnium de facto possibilium non sequeretur comprehensio contra vos. Consequentia clarè infertur: nam si potuisse habere pro obiecto alia plura, quæ de facto habet, non tollit ab scientia simplicis intelligentiæ, quod hæc, quæ de facto habet, sint obiectum adæquatum per se illius; nec posse habere alia, quam de facto habet, tollet ab scientia visionis, quod hæc, quę de facto habet, sint obiectum adæquatum per se illius.

41 *Contra 2.*

Contra secundò: ergo scientia visionis non habet obiectum adæquatum per se: ergo vel scientia visionis non est comprehensibilis, vel comprehenditur ex cognitione eius obiecti

adæ-

adæquati per accidens. Probatur hæc consequentia: ad comprehensionem vel requiritur cognitio obiecti adæquati per se rei comprehensibilis, vel suffiicit cognitio obiecti adequati per accidens rei comprehensibilis, si non adest obiectum adæquatum per se illius? Si primum: ergo scientia visionis non est comprehensibilis adhuc à Deo, quia non habet obiectum adæquatum per se. Si secundum: ergo ex cognitione eius obiecti adæquati per accidens comprehenditur, quia huius cognitio sufficit ad comprehensionem. At qui vtrumque est contra omnes Thomistas, & neutrum negare possunt: ergo solutio allata ruit omninò.

42 *Refellit. 2. 2. solutio Ill. Godoy.*

Secundò refellitur secunda solutio Ill. Godoy: cognitio ominum obiectorũ scientię simplicis intelligentię in Verbo adæquat illud in modo exacto ab illius cognoscibilitate iuxta Ill. Godoy: ergo cognitio omnium obiectorum scientiæ visionis in Verbo adæquat illud in modo exacto ab illius cognoscibilitate. Probatur consequẽtia: ideò cognitio onmium obiectorum scientiæ simplicis intelligentiæ in Verbo adæquat illud in modo exacto ab illius cognoscibilitate iuxta ipsum, quia est cognitio illorum in Verbo ex vi cognitionis illius; sed etiam cognitio omnium obiectorum scientiæ visionis in Verbo est cognitio illorum in Verbo ex vi cognitionis illius: ergo cognitio omnium obiectorum scientiæ visionis in Verbo adæquat illud in modo exacto ab illius cognoscibilitate.

43 *Refellit. 3. dicta solut.*

Refellitur tertiò dicta solutio, & ostenditur efficatia præcedentis impugnationis: cognitio obiectorum scientię visionis est cognitio illorum in Verbo ex vi cognitionis illius iuxta doctrinam Ill. Godoy: ergo cognitio obiectorum scientiæ visionis non habetur in doctrina huius Doctoris ex vi revelationis decreti: ergo tota illius ruit solutio. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti; quæ enim cognoscuntur ex vi revelationis, non cognoscuntur in Verbo ex vi cognitionis illius. Antecedens verò, ad quod tota reducitur difficultas, probatur. Primò: cognitio obiectorum scientiæ visionis est cognitio in Verbo ex vi visionis beatificæ: ergo cognitio obiectorum scientiæ visionis est cognitio illorum in Verbo ex vi cognitionis illus. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 113. vbi hanc ponit conclusionẽ: *Anima Christi actu cognovit in Verbo ex vi visionis beatificæ omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis.* Consequentia probatur: cognitio obiectorum in Verbo ex vi visionis beatificæ est cognitio obiectorum in Verbo ex vi cognitionis illius; sed iuxta Ill. Godoy cognitio obiectorum scientiæ visionis est cognitio illorum in Verbo ex vi visionis beatificæ: ergo iuxta ipsum cognitio obiectorum scientiæ visionis est cognitio illorum in Verbo ex vi cognitionis illius. Probatur maior: cognitio posibilium in Verbo ex vi visionis beatificæ est cognitio illorum in Verbo ex vi visionis illius: ergo cognitio obiectorum in Verbo ex vi visionis beatificę est cognitio obiectorum in Verbo ex vi cognitionis illius. Antecedens est Ill. Godoy; tùm *in præsenti*; alioquim ex cognitione omnium posibilium non sequeretur comprehensio Verbi. Tùm *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 20. asserentis: Beatos videre creaturas in Divina Essentia, vt in obiecto priùs cognito, seu in Essentia Divina, tanquam in causa illarum; vel ex vi visionis beatificæ. Consequentia est legitima.

44 *Probat. 2.*

Probatur secundò antecedens: creaturæ existentes cognoscuntur in Verbo ex vi eiusdem cognitionis, & non distintę à visione beatifica, vt habet Ill. Godoy *tom. citat. disput.* 21. *numer.* 26. vbi impugnat responsionem quandam asserentem: Beatos videre individua in Verbo, non ex vi eiusdem cognitionis, sed per cognitionem distinctam à visione beatifica: ergo cognitio obiectorum scientiæ visionis est cognitio illorum in Verbo ex vi cognitionis illius iuxta ipsius Ill. Godoy doctrinam. *Tertiò,*

Tertiò,

Antecedens probat. 1.

Tertiò probatur idem antecedens: creaturæ existentes cognoscuntur in essentia Divina, tanquam in causa illarum, vt ipse habet *tom. cit. disput.* 20. *num.* 2. citando pro hac opinione omnes Thomistas, & *num.* 12. vbi id probat: ergo idem, quod anteà. Patet igitur: secundam solutionem Ill. Godoy ad nostram probationem conclusionis manifestè contrariari doctrinæ ab ipso traditæ *in præsenti num.* 113. & doctrinis, quas habet *tom.* 1. *cit.*

45 3. *Solutio Ill. Godoy.*

Respondet tertiò *num.* 138. assignando rationem, cur scientia libera sub conceptu liberæ nequeat comprehendi ex cognitione omniũ illius obiectorum. Cùm enim (inquit Ill. Godoy) terminatio libera comprehendi non possit, etiam sub conceptu liberæ terminationis, nisi etiam comprehendatur sub conceptu entitatis, & actualitatis, quam transcendentalitèr imbibit; consequens fit, quod vt comprehendatur, etiam sub conceptu liberæ terminationis, necessarium sit, comprehendi obiectum adæquatum ilius, non solum sub expræsso conceptu liberæ terminationis, verùm etiam sub conceptu actualitatis; licèt autem omnes creaturæ existentes secundum quodcumque tempus sint obiectum adæquatum scientiæ liberæ Dei sub expræsso conceptu liberę terminationis; non tamen sunt obiectum adæquatum illius sub conceptu actualitatis; cum hæc sit ipsa actualitas actus necessarij, à quo in ratione actualitatis non differt; ac proindè ad obiecta purè possibilia extendatur; vndè ex cognitione omnium creaturarum existentium, non infertur comprehensio scientiæ liberæ Dei, etiam provt libera est, & secundum id, quod addit ad scientiam necessariam.

46 *Impugnat. 1. solutio.*

Hæc solutio minus placere videtur; arduum enim est, asserere, quod scientia libera Dei, provt libera est, & secundum id, quod addit ad scientiam necessariam, non possit comprehendi, quin scientia necessaria comprehendatur. Vndè impugnatur primò solutio: scientia necessaria, vt distincta ab scientia libera, potest comprehendi: ergo scientia libera, vt à necessaria distincta, comprehendi potest. Probatur consequentia: scientia libera, vt à necessaria distincta, habet obiectum adæquatum distinctum ab scientia necessaria: ergò scientia libera, vt distincta à necessaria, comprehendi potest. Antecedens, est Ill. Godoy in solutione. Consequentia probatur: ideò scientia necessaria, vt à libera distincta, potest comprehendi, quia habet obiectum adæquatum distinctum ab scientia libera, ex cuius cognitione sequitur comprehensio scientiæ necessariæ; sed scientia libera, vt à necessaria distincta, habet obiectum adæquatum distinctum ab scientia necessaria, ex cuius cognitione sequitur comprehensio scientiæ liberæ: ergo scientia libera, vt distincta à necessaria, comprehendi potest. Probatur minor quoad secundam partem: si ex cognitione obiecti adæquati scientiæ liberæ, vt distinctæ à necessaria, non sequeretur comprehensio scientiæ liberæ, falsum esset fundamentum D. Thomæ, scilicèt, quanto plures effectus cognoscuntur in causa, tanto perfectiùs cognoscitur causa: ergo ex cognitione obiecti adæquati scientiæ liberæ, vt à necessaria distinctæ, sequitur comprehensio scientiæ liberæ.

47 *Impugn. 2.*

Impugnatur secundò solutio: scientia libera Dei sub conceptu liberę terminationis nequit comprehendi, quin cognoscantur possibilia: ergo scientia libera Dei sub conceptu entitatis nequit comprehendi, quin cognoscantur futura. Antecedens est Ill. Godoy in solutione. Consequentia probatur: ideò scientia libera Dei sub conceptu liberæ terminationis nequit comprehendi, quin cognoscantur possibilia, quia cognitio possibilium requiritur ad comprehensionem scientiæ liberæ Dei sub conceptu entitatis, sine cuius comprehensione nequit stare comprehensio scientię liberę Dei sub conceptu liberę terminationis; at qui cognitio futurorum requiritur ad comprehensionem scientiæ liberę Dei sub conceptu entitatis: ergo scientia libera Dei sub conceptu entitatis nequit comprehendi, quin futura cognoscantur. Probatur minor: futura continentur eminentèr, vel virtualitèr in scientia libera Dei sub conceptu entitatis: ergo cognitio futurorum requiritur ad comprehensionem scientiæ liberæ Dei sub conceptu entitatis. Consequentia patet: alioquim ad comprehensionem rei non requireretur cognitio omnium eminentèr in illa contentorum, quod est contra Ill. Godoy. Antecedens verò probatur: futura continentur eminentèr, vel virtualitèr in entitate Divina; sed entitas scientiæ liberæ, & simplicis intelligentiæ, est omnino eadem: ergo futura continentur eminentèr, vel virtualitèr in scientia libera Dei sub conceptu entitatis. Denique: hanc solutionem impugnant omnia, quæ *à num.* 36. assignavimus contra secundam responsionem Ill. Godoy, ipsamque impugnant probationes sequent.

Pro-

48 *Probat. 2. conclusio ad homin. contra Ill. Godoy.*

Probatur secundò conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: quanto perfectiùs cognoscitur causa, tanto plures effectus cognoscuntur in illa, & ex illa, seu ex vi cognitionis illius: ergo non possunt omnes effectus alicuius causæ cognosci ex vi cognitionis causæ, nisi in causa cognita omni perfectione possibili; sed cognitio causæ perfecta, omni cognitione possibili, est causæ comprehensio: ergo cognitio omnium effectuum in causa cognita ex vi cognitionis causę est causę comprehensio. Sic Ill. Godoy *num.* 20. Infero nunc: ergo cognitio omnium effectuum liberorum in causa cognita ex vi cognitionis causæ est causæ comprehensio. Consequentia est legima; alioquim legitima non erit consequentia Ill. Godoy. Tunc sic; sed Anima Christi Domini cognoscit omnes effectus liberos Dei in essentia Divina, tanquam in causa cognita ex vi cognitionis causæ: ergo Anima Christi Domini comprehendit in Deo causam effectuum liberorum. Consequentia est contra ipsum. Sussumpta verò est illius, omnibus locis, quibus *num.* 43. & 44. manet citatus.

49 *Probat. 3. etiam ad hominem.*

Probatur tertiò ad hominem etiam contra ipsum: cognitio omnium effectuum possibilium in causa est causę comprehensio iuxta Ill. Godoy: ergo cognitio omnium effectuum liberorum in causa, est causæ comprehensio. Probatur consequentia: ideò cognitio omnium effectuum possibilium in causa est causæ comprehensio, quia est cognitio effectuum, qui latent in causa; sed cognitio omnium effectuum liberorum in causa est cognitio effectuum, qui latent in causa: ergo cognitio omnium effectuum liberorum in causa est causæ comprehensio. Maior est Ill. Godoy *num.* 60. Minor probatur: si cognitio omnium effectuum liberorum in causa non esset cognitio effectuum, qui laterent in causa, esset cognitio effectuum, qui apparerent manifestè; sed cognitio omnium effectuum liberorū in causa non est cognitio effectuum, qui apparent manifestè: ergo cognitio omnium effectuum liberorum in causa est cognitio effectuum, qui latent in causa. Probatur minor: si cognitio omnium effectuum liberorū in causa esset cognitio effectuum, qui apparerent manifestè, quilibet beatus videret omnes effectus liberos; sed hoc est falsum iuxta omnes Theologos, & docet Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 21. *num.* 3: ergo cognitio omnium effectuum liberorum in causa non est cognitio effectuum, qui apparent manifestè. Probatur maior: ideò quilibet beatus videt omnia formalia Dei prędicata, quia cognitio horum prædicatorum in causa est cognitio illorum, qui apparent manifestè: ergo si cognitio omnium effectuum liberorum in causa esset cognitio effectuum, qui apparerent manifestè, quilibet beatus videret omnes effectus liberos. Antecedens est Ill. Godoy *in præsenti num.* 60. Consequentia certa videtur.

50 *Probat. 4. etiam ad hominem.*

Probatur quartò conclusio, etiam ad hominem contra Ill. Godoy: ideò cognitio omnium effectuum possibilium adæquat modum cognitionis causæ, quia illorum cognitio habetur ex vi penetrationis causæ; sed cognitio omnium effectuum liberorum habetur ex vi penetrationis causæ: ergo cognitio omnium effectuum liberorum adæquat modum cognitionis causæ, & consequentèr est causæ comprehensio. Consequentia infertur. Maior est Ill. Godoy *num.* 132. Minor probatur: ideò cognitio omnium effectuum possibilium habetur ex vi penetrationis causæ, quia est cognitio illorum in Essentia Divina, tanquam in causa illorum, seu obiecto præcognito, vel ex vi visionis beatificæ; sed cognitio omnium effectuum liberorum est etiam cognitio illorum in Essentia Divina, tanquam in causa illorum, seu obiecto præcognitio, vel ex vi visionis beatificæ: ergo cognitio omnium effectuum liberorum habetur ex vi penetrationis causæ. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy *cit. num.* 43. & 44. Maior verò, ad quam potest reduci difficultas, est etiam doctrina ipsius, vt patet ex tota hac disputatione, præsertim ex probatione suæ conclusionis, & si alia sit ratio, eam assignet, & de ipsa formabitur idem argumentum.

51 *Probat. 5. etiam ad hominem.*

Probatur quintò conclusio, ad hominem etiam contra ipsum: cognitio summè clara virtutis productivę possibilium, est illius comprehensio: ergo cognitio summè clara virtutis productivæ futurorum, est illius comprehensio. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 43. Consequentia est paritate notto-

ria. Atqui cognitio virtutis productivæ futurorum secundum omnia formalia, & eminentialia, est cognitio summè clara, quæ potest de illa haberi: ergo est talis virtutis comprehensio: ergo cognitio omnium futurorum in Deo est Dei comprehensio, quod est contra Ill. Godoy. Sumpta patet primò: nam iuxta ipsum *citat.* cognitio omnipotentiæ secundum omnia formalia, & eminentialia est cognitio summè clara, quæ potest de illa haberi: pariter ergo. Secundò: ideò iuxta Ill. Godoy *citat.* cognitio omnipotentiæ secundum omnia formalia, & eminentialia est cognitio summè clara, quæ potest de illa haberi, quia non est possibilis clarior cognitio, quam illa, quæ omnia formalia, & eminentialia omnipotentię repræsentat: ergo non est possibilis clarior cognitio virtutis productivæ futurorum, quam illa, quæ omnia formalia, & eminentialia talis virtutis repręsentat, ac proindè talis cognitio est summè clara, ex quo patet certitudo primæ consequentiæ, scilicèt, quod talis cognitio est comprehensio virtutis productivæ futurorum.

52 *Probat. 2. consequētia*

Secunda autem consequentia, in qua stat difficultas, probatur: cognitio summè clara, quæ potest haberi de virtute productiva futurorum, est talis virtutis comprehensio iuxta concessa; sed cognitio omium futurorum in Deo est cognitio summè clara, quæ potest haberi de virtute productiva futurorum: ergo cognitio omnium futurorum in Deo est Dei comprehensio. Probatur minor: cognitio virtutis productivæ futurorum secundum omnia formalia, & eminentialia, est cognitio summè clara, quæ potest de illa haberi iuxta concessa; sed cognitio omnium futurorum in Deo est cognitio virtutis productivæ futurorum secundum omnia formalia, & eminentialia: ergo cognitio omnium futurorum in Deo est cognitio summè clara, quæ potest haberi de virtute productiva futurorum. Probatur minor: cognitio omnium futurorum in Deo est cognitio virtutis productivæ futurorum secundum omnia formalia; & etiam secundum omnia eminentialia: ergo cognitio omnium futurorum in Deo est cognitio virtutis productivæ futurorum secundum omnia formalia, & eminentialia. Maior est manifesta. Probatur minor: omnia eminentialia virtutis productivę futurorum sunt omnia futura: ergo cognitio omnium futurorum in Deo est cognitio virtutis productivæ futurorum secundum omnia eminentialia. Consequentia patet. Antecedens probatur: omnia eminentialia virtutis productivæ possibilium sunt omnia possibilia: ergo pariter.

Hinc se se aperit, inconsequens apparere: quod ex cognitione omnium futurorum in Verbo non sequatur Verbi comprehensio, semel statuto, quod ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequatur Verbi comprehensio. Et ratio est: quia nulla est ratio, quæ inferre possit comprehensionem Verbi ex cognitione omnium possibilium in Verbo, quæ non interat comprehensionem Verbi ex cognitione omnium futurorum in Verbo, vt patet ex probationibus ad hominē contra Ill. God. declaratis, in quibus tota illius doctrina amplexa est.

53 *Quædam incōsequentia Thomistarum.*

Probatur sextò conclusio, ad hominem etiam contra Ill. Godoy: cognitio omnium possibilium in Verbo non est cognitio summè clara, quæ haberi potest de Verbo: ergo non est comprehensiva Verbi. Probatur antecedens: si cognitio omnium possibilium in Verbo esset cognitio summè clara, quæ haberi potest de Verbo, quantitas scientiæ beatæ, qualis est cognitio possibilium in Verbo, attenderetur solum secundum numerum scibilium; sed quantitas scientiæ beatę non attenditur solum secundum numerum scibilium: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo non est cognitio summè clara, quę haberi potest de Verbo. Consequentia est legitima. Minor est Div. Thomæ 3 *part. quæst.* 10. *artic.* 2. *ad* 3. dicentis: *Quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis.* Maior verò probatur: si cognitio omnium possibilium in Verbo esset cognitio summè clara, quæ haberi posset de Verbo, cognitio omnium possibilium in Verbo (vno excepto) non posset esse ita clara, ac cognitio omnium (nullo excepto) ergo quantitas scientiæ beatæ, qualis est cognitio possibilium in Verbo, attenderetur solum secundum numerum scibilium.

54 *Probat. 6. conclusio ad homin. etiam cōtra Ill. Godoy.*

Pro-

55 *Probat. 7. ad homin. etiam.*

Probatur septimo conclusio, ad hominem etiam contra Ill. Godoy: Christi satisfactio est sufficiens pro peccatis omnium possibilium: ergo cognoscit Christus omnia possibilia. Antecedens docetur ab Ill. Godoy *tom. præcedenti, disput. 4. imò disp. 3.* tenet: Christi satisfactionem esse valoris simpliciter infiniti. Consequentia probatur: nam Christus cognoscit perfectè, & distinctè virtutem suæ passionis: ergo cognoscit omnes homines possibiles, pro quibus erat sufficiens, & consequentèr omnia possibilia cognoscit.

56 *Probat. 8. etiam ad hominem.*

Probatur octavò, etiam ad hominem contra Ill. Godoy: anima Christi Domini actu cognovit in Verbo ex vi visionis beatificæ omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis: ergo anima Christi Domini actu cognovit in Verbo ex vi visionis beatificæ omnia possibilia. Antecedens est Ill. Godoy *num.* 113. Consequentia probatur: nec est authoritas, nec ratio, primum probans, quæ secundum non probet; sed per te Anima Christi Domini actu cognovit in Verbo ex vi visionis beatificæ omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis: ergo Anima Christi Domini actu cognovit in Verbo ex vi visionis beatificæ omnia possibilia. Maior pro prima parte probatur: nam Ill. Godoy *num. cit.* primum probat ab authoritate ex Justino Martyre *quæst. 58. ad Orthodoxos*, dicente: *Impium esse, Christo aliquam ignorantiam tribuere.* Ex Clemente Alexandrino *lib. Pedagogi, cap. 6. in principio*, vbi ait: *Absurdissimum est, asserere: Christo aliquid defuisse, eique opus fuisse, aliquid discere.* Ex Hilario, Hieronymo, Ambrosio, & Gregorio, asserentibus: Christum diem Iudicij non ignorasse; aliàs ipsum esse Incarnatam Sapientiam cum Nestorio oporteret negare: sentiunt ergo Ecclesiæ Patres erroneum esse: Christo, etiam vt homini, alicuius ignorantiam tribuere; & consequentèr omnia præsentia, præterita, & futura cognovisse ex Ecclesiæ traditione habetur. Atqui authoritates istæ æquè probant secundum, vt est manifestum: ergo non est authoritas primum probans, quæ secundum non probet.

Probatur maior pro 1. part.

Probat. 2. pars.

Maior pro secunda parte probatur: ratio primum probans, adducitur ab Ill. Godoy *num.* 117. in hunc modum: Omnes beati cognoscunt in Divina Essentia cognita ex vi visionis beatificæ, ea, quę ad suum statum pertinent; sed ad statum Christi, vt hominis, spectant omnia, quę sunt, fuerunt, vel erunt secundum quodcumque tempus: ergo hæc omnia cognovit in Divina essentia cognita ex vi visionis beatificæ. Minor constat; nam Christus, secundum quod homo, est Dominus omnium, iuxta illud Matth. *vltimo: Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Et Psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et Ioan. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Est etiam omnium creaturarum rationabilium Iudex, vt constat ex Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne Iudicium dedit Filio*: ergo ad ipsum ratione dominij pertinent omnia, & ratione iudiciariæ potestatis, omnes rationales creaturæ, omnesque illarum actus, sivè boni, sivè mali. Minor constat primò ex Concilio Senonensi *in decretis fidei, decreto* 13. vbi vt probet, præces nostras à beatis audiri, docet: *In Divinitatis speculo innotescere illis, quidquid eorum interest.* Deindè hac ratione: nam rationabilitèr quilibet beatus desiderat, scire omnia ad ipsum spectantia; sed de ratione beatitudinis est, omne rationabile beati desiderium satiare: ergo omnium cognitio habetur in Verbo per beatificam visionem. Hæc Ill. Godoy. Atqui hęc ratio ęquè probat secundum, vt est evidens: ergo non est ratio primum probans, quæ non probet secundum.

§. IV.

Ratione fundamentali probatur conclusio.

57 *Probatur cõclusio ratione fundamentali.*

RAtio fundamentalis nostræ conclusionis sic brevitèr formatur: cognoscere omnia possibilia est Animę Christi perfectio; sed hęc perfectio non repugnat: ego concedenda est Animæ Christi: ergo Anima Christi videt omnia possibilia. Maior cum vtraque consequentia tenet. Minor patebit ex solutione argumentorum.

Confirm. 1.

Confirmatur primò: quilibet beatus videt omnia, quæ ad proprium statum beatificum pertinent; sed ad statum beatificum Animæ Christi pertinet cognitio omnium possibilium: ergo Anima Christi cognoscit omnia

possibilia. Maior est generalis doctrina, eamque tenet Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 21. Minor verò probatur: Christus est finis, & Dominus vniversorum, Caput, & Iudex omnium hominum: ergo ad statum beatificum Animæ Christi pertinet cognitio omnium possibilium. *Confirm.* 2. Confirmatur secundò: nam Christum videre omnia possibilia, probant loca Scripturæ declarata *num.* 56. & authoritates Patrum traditæ *num. cit*: ergo Christo est concedendum.

§. V.

Rationibus specialibus probatur conclusio.

58 1. *Ratio specialis.* PRima ratio specialis formatur in hunc modum: cognitio omnium possibilium in Verbo infert comprehensionem omnipotentiæ: ergo cognitio vnius possibilis in Verbo infert comprehensionem Omnipotentiæ. Consequentia probatur: ideò cognitio omnium possibilium in Verbo infert comprehensionem omnipotentiæ, quia est cognitio termini adæquati illius; sed cognitio vnius possibilis in Verbo infert cognitionem termini adæquati omnipotentiæ: ergo cognitio vnius possibilis in Verbo infert comprehensionem omnipotentiæ. Maior cum consequentia tenet. Minor probatur: collectio omnium possibilium in Verbo est possibilis; sed cognitio istius possibilis in Verbo infert cognitionem termini adæquati omnipotentiæ: ergo cognitio vnius possibilis in Verbo infert cognitionem termini adæquati omnipotentiæ. Maior est certa; nam de facto datur collectio omnium possibilium in Verbo: ergo possibilis est talis collectio. Minor claret. Consequentia legitima videtur.

59 2. *Ratio.* Secunda ratio est: cognitio vnius possibilis non est cognitio totius omnipotentiæ; alioquim vnum possibile esset terminus adequatus omnipotentiæ: ergo cognitio vnius possibilis est tantum cognitio omnipotentiæ secundum activam continentiã illius: ergo ideò cognitio vnius possibilis non est comprehensio omnipotentiæ, quia non est cognitio omnipotentiæ secundum omnes activitas continentias illius: ergo cognitio omnium possibilium, quæ de facto sunt possibilia, non est comprehensio Omnipotentiæ. Probatur hęc consequentia: cognitio omnium possibilium, quæ de facto sunt possibilia, non est cognitio Omnipotentiæ secundum omnes activas continentias illius: ergo cognitio omnium possibilium, quæ de facto sunt possibilia, non est comprehensio Omnipotentiæ. Probatur antecedens: cognitio omnium possibilium, quæ de facto sunt possibilia, non est cognitio omnium futurorum, & existentium: ergo cognitio omnium possibilium, quæ de facto sunt possibilia, non est cognitio Omnipotentiæ secundum omnes activas continentias illius. Probatur consequentia: omnia futura, & existentia habent in omnipotentia activas continentias sibi correspondentes; sed per te cognitio omnium possibilium, quę de facto sunt possibilia, non est cognitio omnium futurorum, & existentium: ergo cognitio omnium possibilium, quę de facto sunt possibilia, non est cognitio omnipotentię secundum omnes activas continentias illius. Probatur consequentia: omnia futura, & existentia, quando fuerunt possibilia, habuerunt in omnipotentia activas continentias sibi correspondentes: ergo, & habent. Probatur consequentia: activa continentia Omnipotentiæ identificatur cum omnipotentia: ergo easdem, quas habuit, habet; sed per te habuit: ergo, & habet: ergo cognitio omnium possibilium, quę de facto sunt possibilia, non est cognitio omnipotentiæ secundum omnes activas continentias illius.

60 3. *Ratio.* Tertia ratio est: si ex cognitione omnium sequeretur per locum ab intrinseco, seu formaliter, comprehensio Omnipotentiæ, sequeretur etiam formaliter comprehensio totius Dei; sed non sequitur comprehensio totius Dei: ergo ex cognitione omnium possibilium non sequitur comprehensio Omnipotentiæ. Maior in sententia Thomistica conceditur, & vltrà probatur: nam si non sequitur comprehensio Dei, nec omnipotentiæ debet sequi; quia ideò sequitur comprehensio Omnipotentiæ, quia essentialiter cum possibilibus connectitur; sed omnipotentia magis essentialiter cum Deo connectitur: ergo si ex omnium cognitione sequeretur per locum ab intrinseco, seu formaliter, omnipotentiæ comprehensio, se-

que-

queretur etiam formaliter totius Dei comprehensio. Minor, inqua est difficultas, probatur: ex comprehensione omnipotentiæ tantum sequitur formaliter comprehensio Dei, vt radicantis omnipotentiam; sed ex tali comprehensione formaliter non sequitur totius Dei comprehensio: ergo non sequitur comprehensio totius Dei. Maior constat: nam ex cognitione vnius possibilis tantum formaliter sequitur cognitio omnipotentiæ, vt radicantis habitudinem ad illud possibile. Minor probatur: ex comprehensione vnius possibilis non sequitur formaliter comprehensio totius omnipotentiæ, præcipuè in sententia Thomistarum asserente: ad comprehensionem requiri cognitio omniũ, quæ sunt formaliter, & eminenter in comprehenso: ergo ex comprehensione omnipotentiæ non sequitur formaliter comprehensio totius Dei. Probatur consequentia: ideò ex comprehensione vnius possibilis non sequitur formaliter totius omnipotentiæ comprehensio, quia est tantum comprehensio vnius termini inadæquati omnipotentiæ; sed etiam comprehensio omnipotentiæ est tantum comprehensio vnius termini, quasi inadæquati totius essentiæ: ergo ex tali comprehensione formaliter non sequitur comprehensio totius Dei.

61 *Si opponas.*

Ad hanc rationem, quam aliquando proposui, aliam non audivi reddere disparitatem, nisi, quod possibile in propria specie non identificatur cum omnipotentia; benè verò omnipotentia cum toto Deo. Sed contra hoc stat: non minus virtus productiva vnius possibilis identificatur cum tota virtute omnium possibilium productiva, quam omnipotentia cum toto Deo; atqui ex comprehensione vnius possibilis non sequitur comprehensio totius virtutis omnipotentiæ formaliter, sed tantum illius virtutis, illud possibile præcontinentis: ergo neque ex comprehensione omnipotentiæ sequitur formaliter comprehensio totius Dei; si namquè identitas illius virtutis cum tota virtute formaliter non infert: *Virtus vnius possibilis comprehenditur: ergo, & tota virtus*: quare ergo identitas Omnipotentiæ cum toto Deo inferret formaliter: *Comprehenditur Omnipotentia: ergo, & totus Deus comprehenditur*?

Contra.

Quarta ratio sic formatur: cognitio Dei infinitorum possibilium arguit comprehensionem: ergo existentia Dei in infinitis locis, si essent, argueret immensitatem. Consequentia est certa; nam non minus cognitio Dei infinitorum possibilium est infinita, quam existentia Dei in infinitis locis, si essent, infinita esset. Infero: ergo cognitio creaturæ infinitorum possibilium non arguit comprehensionem. Probatur hæc consequentia: existentia corporis in infinitis locis, si essent, non arguit secundum Thomistas immensitatem, & hoc non alia ratione, nisi quia corpus infinitum erat per participationem; atqui etiam cognitio creaturæ infinitorum possibiliũ (dato, quod sit infinita) esset tantum per participationem, & non per essentiam: ergo cognitio creaturæ infinitorum possibilium non arguit comprehensionem.

62 4. *Ratio.*

Quinta ratio est: omnis causa æquivoca totalis excedit in perfectione entitativa omnes effectus ab ipsa producibiles; sed Deus respectu omnium possibilium est causa æquivoca: ergo collectionem omnium possibilium Deus excedit in perfectione entitativa. Maior est certa; nam hæc est differentia causæ æquivocæ ab vnivoca, quod hæc adæquatur cum suo effectu; illa verò semper excedit. Minor constat; nam adhuc omnia possibilia non sunt Deus. Consequentia est certa. Nunc infero: ergo ex cognitione omnium possibilium, Dei non sequitur comprehensio. Probatur hęc consequentia: cognitio comprehensiva cuiuscumque rei est cognitio perfectissima, & adæquata cum omni perfectione entitativa illius rei; sed cognitio omnium possibilium non est cognitio perfectissima, & adæquata cum omni perfectione entitativa ipsius Dei, vtpotè, Deus, quia causa illorum æquivoca, excedit omnia illa in perfectione entitativa: ergo ex cognitione omnium possibilium non sequitur Dei comprehensio. Maior est opinio Ill. Godoy. Minor, & consequentia clarent.

63 5. *Ratio.*

Vltima ratio est: Thomistæ in hac quæstione vicioſum circulum committunt: ergo est falsa. Probatur antecedens: probant idem per idem: ergo circulum vicioſum committunt. Probatur antecedens: probant, non posse

64 6. *Ratio.*

à beatis cognosci omnia, quæ sunt virtualitèr, vel eminentèr in Deo, quia comprehenderetur Deus; sed probant, Deum esse incomprehensibilem, quia non possunt videri omnia, quæ eminentèr, vel virtualitèr in ipso continentur: ergo probant Thomistæ idem per idem. Deindè: Deus secundum se, & provt præscindit ab ordine, vel connexione ad creaturas, est incomprehensibilis: ergo non ideò est, quia nequeunt in eo omnes causæ videri. Probatur antecedens. Primò: quia secundum se, & provt à tali ordine præscindit, est ens perfectissimum, infinitum, & infinitè cognoscibile: ergo Deus secundum se, & provt præscindit ab ordine, vel connexione ad creaturas, est incomprehensibilis. Probatur secundò idem antecedens: Deus secundum se, & provt præscindit ab existentia in omnibus locis, est immensus; quando enim loca non erant, Deus immensus erat: ergo paritèr.

§. VI.

Occurritur Argumento Ill. Godoy.

65 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

ILl. Godoy *num.* 20. arguit contra nostram conclusionem ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta: cognitio omnium possibilium in Divina essentia cognita, & ex vi cognitionis illius, est Divinæ essentiæ comprehensio; sed implicat, intellectum creatum, & consequentèr intellectum animæ Christi Dei essentiam comprehendere: ergo implicat in Divina essentia, & ex vi cognitionis illius omnia possibilia cognoscere. Illatio est in forma. Minorem supponit Ill. Godoy ex *disput. præcedent.* & nos etiam idem asservimus. Maiorem autem sic probat: eo modo vnum in alio cognoscitur, quo in illo continentur; sed creaturæ continentur in Deo, vt effectus in causa: ergo in illo cognoscuntur, sicut effectus cognoscuntur in causa. Tunc sic; sed cognitio omnium effectuum in aliqua causa cognita, & ex vi cognitionis illius, est causæ comprehensio: ergo omnium possibilium in Divina essentia cognitio ex vi cognitionis illius, est Divinæ essentiæ comprehensio. Probat minorem: quanto enim perfectiùs cognoscitur causa, tanto plures effectus cognoscuntur in illa, & ex illa, seu ex vi cognitionis illius: ergo non possunt omnes effectus alicui causæ possibiles cognosci ex vi cognitionis causæ, nisi in causa cognita omni perfectione possibili; sed cognitio causæ perfecta omni perfectione possibili est causæ comprehensio: ergo cognitio omnium effectuũ in causa cognita ex vi cognitionis causæ, est causæ comprehensio.

66 *Solutio Scoto imposita.*

Ill. Godoy *num.* 21. adducit solutionem ex Scoto *in 3. distinct. 14. quæst. 2.* nempè, falsum esse id, quod D. Thomas pro fundamento suę probationis assumit, nempè, res cognosci in Deo, sicut effectus in causa; non enim sic cognoscuntur, sed sicut res cognoscuntur in speculo voluntario, vt docet D. Augustin. *lib. de Videndo Deum*; ac proindè, quamvis ex cognitione omnium effectuum in causa sequatur causæ comprehensio, non sequitur ex cognitione omnium possibilium in Deo, fore Deum comprehendendum. Quam solutionem ibi impugnat, sed innutilitèr certè. Primò: quia falsum est, Scotum dixisse, res cognosci in Deo, tanquam in Speculo, nam licèt *in 3. citat.* dicat, essentiam Divinam esse Speculum voluntarium, quod si vult, videtur, si non vult, non videtur; non ob hoc asserit: res videri in Deo, tanquam in speculo; quia Essentia Divina dicitur speculum methaphoricè, vt diximus *tom. 1. in 1. sent. disput. 26. num.* 210. cuius similitudo est ibi assignata.

Falsitas impositionis ostenditur 1.

67 *Secundò.*

Secundò: quia si Ill. Godoy prædictam solutionem tribuit Scoto, quia similitudine speculi vsus fuit, ad ostendendam representationem creaturarum in Essentia Divina, tribuat etiam solutionem Concilio Senonensi, Anselmo, Augustino, Div. Thomæ, Patribus, & Theologis, qui prædicta speculi similitudine vsi sunt, vt diximus *tom. disput. & num. citat.* Tertio: quia res in Deo, tanquam in speculo, non videri, ostendimus *tom. & disput. citat. num.* 209. Quartò: quia Deum cognoscere creaturas in essentia sua, tanquam in specie impressa, seu obiecto motivo ad cognitionem illarũ, statuimus *tom. & disput. citat. num.* 195. Deniquè: quia licèt falsum sit, quod D. Thomas assumit pro fundamento, nempè, res cognosci in Deo, sicut effectus in causa, vt contrà Ill. Godoy ostendimus *tom. & disput. citat. num.* 82. *& seqq. & in præsenti notavimus num.* 2. non est ad rem prædicta solutio, quia

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

nunc

hunc fundamentum D. Thomæ gratis concedimus; vt præsentem difficultatem contra Thomistas directè examinemus, vt notatum etiam relinquimus *num. 2. in fine.*

68 *Alia solutio argumẽti omititur.*

Vndè hac solutione relicta, tùm quia Scoto imposita; tùm etiam, quia ad rem non facit; aliam solutionem ex Scoto *citat.* tradit Ill. Godoy *num.* 22. nempè: quod licèt causa perfectiùs cognita possit inferre cognitionem plurium effectuum; non tamen è contra: cognitio plurium effectuum infert perfectiorem cognitionem causę, cuius rationes tradit Scotus *citat.* consequentèrque D. Thomàs committit fallaciam consequentis, sic arguendo: *Quanto perfectiùs cognoscitur causa, tanto plures effectus cognoscuntur in illa: ergo quanto plures effectus cognoscuntur in causa, tanto perfectiùs cognoscitur causa.* Et licèt verum sit, in hoc arguendi modo prædictam fallaciam commiti, vt tacitè fatetur Ill. Godoy *numer.* 23. tamen alitèr intelligendo modum arguendi D. Thomę, eam sic impugnat dicto *num.* 23.

69 Causam perfectiùs, aut imperfectiùs cognosci, est ratio adæquata, cur in illa cognita ex vi cognitionis eius, plures, vel pauciores cognoscantur effectus, & hoc sensu locutus est Div. Thom. & sic intellecta propositione D. Thomę rectè concludit, quod sola causę comprehensio est cognitio omnium effectuum in illa, & ex illa, vt cognita: ergo solutio Scoti ex non intelligentia rationis D. Thomæ procedit. Nec Angelicus Doctor, aliquam fallaciam commisit. Minorem probat: nam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, & excessus ad excessum in causa adęquata; ita adęquatio ad adęquationem; sed causam aliqua perfectione intensiva cognosci, est ratio adæquata cognoscendi in illa aliquos particulares effectus, & perfectiùs causam cognosci est ratio adæquata cognoscendi plures effectus: ergo ratio cognoscendi omnes effectus in virtute causæ contentos, solum potest esse causam adæquatè cognosci; & consequentèr solum in causa cognita comprehensivè possunt cognosci omnes effectus illius.

70 Hæc tamen impugnatio nullius est momenti. Primò: nam falsa est maior, scilicèt, causam perfectiùs, aut imperfectiùs cognosci, est ratio adæquata, cur in illa cognita ex vi cognitionis eius, plures, vel pauciores cognoscantur effectus; quia vt dictum manet *disput. præcedenti*, ad comprehensionem alicuius non requiritur cognitio illorum, quæ eminentèr, vel virtualitèr continentur in illo; vndè stat alicuius comprehensio, quin cognoscantur effectus illius, vt ex ibi dictis satis constat. Secundò: quia quando prædicta maior aliquam haberet veritatem, distingui valet duplici distinctione infra assignanda pro solutione argumenti Ill. Godoy. Vndè omissa etiam solutione prædicta, vtpotè, non necessaria ad argumenti solutionem.

71 *Respond. 1. ad argum.*

Respondeo primò ad argumentum Ill. Godoy, negando maiorem, ad cuius probationem omissa maiori, nego minorem; & ad probationem illius omisso antecedenti, distinguo consequens: ergo non possunt omnes effectus alicui causæ possibiles cognosci ex vi cognitionis causæ; nisi in causa cognita omni perfectione possibili, secundum esse extensivum causæ concedo consequentiam; secundum esse intensivum causæ nego consequentiam. Alijs terminis: secundum esse respectivum causæ concedo consequentiã; secundum esse absolutum causę nego consequentiam. Alijs etiam terminis: secundum esse formale causæ concedo consequentiam; secundum esse materiale causę nego consequentiam. Itaquè licèt ex cognitione omnium effectuum in causa, sequatur perfectissima cognitio causæ secundum esse extensivum, respectivum, & formale causæ; non tamen sequitur cognitio perfectissima causæ secundum esse intensivum, absolutum, & materiale causæ, quod necessarium erat ad causæ comprehensionem, vt in nostra, & Ill. Godoy opinione vt certum habetur ex dictis *disput. præcedenti.*

72 Hæc triplex solutio in eandem incidit, & licèt hæc non sit, cui magis fido, eam tamen pro solutione argumenti assigno, vt si aliquis illam tribuere vellit, satisfactũ inveniat, quod Ill. Godoy adversus illam adducit.

73 *Impugnat Ill. Godoy solutionem.*

Ill. Godoy *num.* 35. solutionem datam sic impugnat: non stat, creaturas omnes in Divina essentia cognosci, non cognita Dei essentia adæquatè adæquatione intensiva; sed cognitio adæquata intensivè Divinæ essentiæ

est illius comprehensio: ergo non stat, creaturas omnes in Divina essentia, vel omnipotentia cognosci, non comprehensa Divina essentia comprehensione intensiva. Consecutio evidens est. Minor in se certa. Maior autem probatur: causa, quæ movet ad suorum effectuum cognitionem, vt intensivè cognita, non potest ad omniū cognitionem movere, nisi cognita adæquatè intensivè; sed Divina essentia est causa movens ad possibilium cognitionem, vt intensivè cognita: ergo non potest ad omnium possibilium cognitionem movere, nisi cognita adæquatè intensivè.

74 *Maiorem probat. 1.*

Maior constat primò à paritate causę moventis ad suorum effectuum productionem, vt intensivè mota, quæ non potest in omnium productionem movere, nisi adæquatè intensivè moveatur: ergo paritèr: causa movens, vt intensivè cognita, non potest movere in cognitionem omniū, nisi adæquatè intensivè cognita. *Secundò.* Secundò: quia namquè omnipotentia concurrit ad suos effectus producendos, vt à Divina voluntate applicata, non potest omnes illos producere, nisi à voluntate Divina adæquatè extensivè, & intensivè applicetur: ergo idem, quod anteà. *Tertiò.* Tertiò: nam causa movet vt extensivè cognita, hoc est, ratione formalitatum terminantium cognitionem, non potest in omnium cognitionem movere, nisi adæquatè extensivè cognoscatur, hoc est, talitèr, vt nulla illius formalitas cognitionem subterfugiat: ergo paritèr. *Quartò.* Denique: nam in eo, in quo excessus ad excessum requiritur, petitur etiam adæquatio ad adæquationem; sed in causa movente ad suorum effectuum cognitionem, vt intensivè cognita, ad excessum cognitionis effectuum requiritur excessus claritatis, penetrationis, & intensionis cognitionis causæ: ergo ad adæquatam possibilium cognitionem requiritur adæquatio intensionis penetrationis, & claritatis cognitionis causæ; & consequentèr, quod causa adæquatè intensivè cognoscatur.

75 *Minor discursus facti ab ipso probatur*

Deindè minor discursus facti probatur ab ipso: nam in cognoscente Deum, & quodlibet aliud obiectum, duo possunt considerari, ex quibus terminatio ad obiecta secundaria in primario cognoscenda perveniat, scilicet, id, quod cognoscitur, & modus cognoscendi, scilicèt, claritatis, intensionis, & penetrationis; sed Deus, vel Divina omnipotentia non movet ad possibilium cognitionem ratione sui, vt præscindit a modo intensivo, & penetrativo cognitionis ad ipsum terminatæ: ergo movet ratione huiusmodi; & consequentèr movet Divina essentia ad possibilium cognitionem, vt intensivè cognita. Minor probatur: quia potest Divina essentia ita remissè cognosci, vt nullus effectus possibilis in particulari cognoscatur in illa: ergo ratio terminationis secundariæ ad effectus in Divina essentia cognitos non est ipsa ratione sui, vt præscindit à modo intensionis, & penetrationis. *Minorem probat. 1.* Tùm etiam: nam ex duobus cognoscentibus Deum, ille plures effectus possibiles cognoscit in ipso, qui intensiùs cognoscit Deum, ipsumque magis sua cognitione penetrat: ergo terminatio secundaria ad effectus in Divina essentia cognitos, provenit ex modo intensionis, & penetrationis. *Secundò.*

76 *Tertiò.*

Tùm deniquè: nam discrimen in effectu non potest reduci ad id, quod est convenientiæ in causa naturalitèr causante; sed omnes videntes Deum conveniunt in Divina essentia cognita; cum nulla formalitas illius lateat, vel latere possit cognoscentem illum intuitivè: ergo diversitas in terminatione ad creaturas possibiles, pœnès plures, vel pauciores, quæ naturalitèr à cognitione, provt ad Deum terminata, vel à Deo, vt cognito, procedit, non in rem cognitam, in qua omnes videntes Deum conveniunt, sed in modum cognoscendi intensiorem, vel remissiorem debet reduci. Quam rationem brevitèr his aureis verbis complexus est D. Thomàs loco proximè allegato ad finem corporis articuli: *Et ita patet, quod ex quo cognoscere aliquid in Verbo, sicut impossibile est, quod aliquis intellectus creatus pertingat ad perfectum modum cognoscendi Verbum, vt cognoscibile est: ita impossibile est, vt aliquis intellectus creatus cognoscat omnia, quæ in Verbo cognosci possunt, & hæc sunt omnia, quæ Deus potest facere.*

77 *Respondeo ad replicā.*

Respondeo ad replicam negando maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: causa, quæ movet ad suorum effectuum cognitionem, vt intensivè cognita, intensione adæ-

quæ-

quata cum cognoscibilitate causæ, non potest in omnium cognitionem movere, nisi cognita adæquatè intensivè concedo maiorem; intensione adæquata cum effectibus nego maiorem. Distinguo minorem: sed Divina essentia est causa movens ad possibilium cognitionem, vt intensivè cognita, intensione adæquata cum possibilibus omitto minorem; intensione adæquata cum cognoscibilitate Divinæ essentiæ nego minorem, & consequentiam, vel illam similitèr distinguo, ex quo ad summum sequitur, non posse omnia possibilia cognosci in Divina essentia, vt causa ad illorum cognitionem movente, quin cognoscatur intensivè, intensione adæquata cum possibilibus, quæ est respectu essentiæ Divinæ adæquatio solum extensiva, quod gratis concedimus, & nihil contra nos. Terminis etiam suprà dictis potest distingui maior, scilicèt: intensione adæquata cum absoluto, & materiali causæ concedo maiorem; intensione adæquata cum respectivo, & formali causę nego maiorem; qua distinctione distinguo minorem, & nego consequentiam, vel illam similitèr distinguo.

Alijs terminis respondeo.

78 *Ad probationes præmissarum respondeo.*

Hinc ad primam maioris probationem distinguo antecedens distinctione data. Ad secundam distinguo similitèr ly *intensivè*. Ad tertiam eadem distinctione distinguo consequens. Ad quartam etiam distinctione data distinguitur minor. Et hac distinctione superfluunt probationes minoris, vt est manifestum, quin nobis nocere possint verba Div. Thomæ ab Ill. Godoy relata.

79 *Dices cum Ill. Godoy.*

Dices cum ipso *num.* 40: nam sumpta omnipotentia, vt distincta à possibilibus; ab omnibus beatis attinguitur adæquatè adæquatione extensiva; cũ nullum prædicatum omnipotentiæ conveniens, latere possit intellectum alicuius beati: ergo terminatio ad omnia possibilia non potest nasci ex adæquatione extensiva cum omnipotentia, vt distincta à possibilibus, qua ratione est obiectum primarium prædictæ cognitionis. Patet consequentia; discrimen namquè in terminatione ad obiectum secundarium, non potest oriri ex terminatione ad primarium, secundum id, in quo omnes cognitiones ad ipsum primario terminatæ conveniunt; sed omnes visiones beatificæ penetrant omnipotentiam adæquatè extensivè; ergo quod vna ad plura possibilia, vel ad omnia secundario terminetur, non potest oriri ex adæquatione extensiva cum omnipotentia, vt distincta à possibilibus.

80 *Respondeo.*

Respondeo distinguendo antecedens: sumpta Omnipotentia, vt distincta à possibilibus, ab omnibus beatis attinguitur adæquatè, adæquatione extensiva formali concedo antecedens; virtuali nego antecedens; & distinguo consequens: ergo terminatio ad omnia possibilia non potest nasci ex adæquatione extensiva formali cũ omnipotentia, vt distincta à possibilibus concedo consequentiam; ex adæquatione extensiva virtuali nego consequentiam; & ad probationem illius distinguo minorem distinctione data, & etiam consequens. Ratio est: nam omnes visiones beatificæ adęquantur cum omnipotentia adæquatione extensiva formali, non autem ádæquatione extensiva virtuali, & hoc ideò, quia licèt omnes beati cognoscant omnia prædicata omnipotentiæ secundum esse formale; non tamen omnes cognoscunt omnes formalitates omnipotentiæ, vt sunt ratio cognoscendi omnia possibilia, quod necessarium erat, vt omnes visiones beatificę adæquarentur cum omnipotentia adæquatione virtuali extensiva.

81 *Instat Ill. Godoy.*

Instat Ill. Godoy *num.* 42: nam quod omnipotentia talitèr cognoscatur, quod sit ratio obiectiva cognoscendi omnia possibilia, & ad omnium cognitionem moveat obiectivè, nascitur ex eo, quod adæquatè penetratur; sed penetrari adæquatè, est intensivè adęquatè cognosci: ergo solum cognita adæquatè intensivè potest esse ratio obiectivè movens ad cognitionem omnium possibilium; & consequentèr cognitio omnium possibilium ex vi omnipotentiæ cognitæ, est illius comprehensio.

82 *Confirmatur.*

Quæ omnia (prosequitur Ill. Godoy *numer.* 43.) Confirmari possunt: nam cognitio summè clara omnipotentiæ est illius comprehensio; sed cognitio omnipotentiæ secundum omnia formalia, & eminentialia est cognitio summè clara, quæ potest de illa haberi: ergo est omnipotentiæ comprehensio; ac proindè ex cognitione omnium possibilium in Deo

se-

sequitur comprehensio Dei. Maior cum consequentia tenet. Minor probatur: non enim est posibilis clarior omnipotentiæ cognitio, quam illa, quæ omnia formalia, & eminentialia omnipotentiæ repræsentat: ergo talis cognitio est cognitio summè clara, quæ potest haberi de omnipotentia.

83 *Respondeo ad instãtiã.* Respondeo ad instantiam, distinguendo maiorem: quod omnipotentia taliter cognoscatur, quod sit ratio obiectiva cognoscendi omnia posibilia, & ad omnium cognitionem moveat obiectivè, nascitur ex eo, quod adæquatè penetratur, adæquatione extensiva concedo maiorem; adæquatione intensiva nego maiorem; & distinguo minorem: penetrari adæquatè adæquatione intensiva, est intensivè adæquatè cognosci concedo minorem; adæquatione extensiva nego minorem, & consequentiam.

84 *Ad confirmation.* Ad confirmationem omnium respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens, vel illud distinguo: non est posibilis clarior cognitio omnipotentiæ secundum esse extensivum, respectivum, vel formale illius, quam illa, quæ omnia formalia, & eminentialia omnipotentiæ repræsentat concedo antecedens; secundum esse intensivum, absolutum, vel materiale omnipotentiæ nego antecedens; & distinguo similitèr consequens, vel nego consequentiam; nam cognitio, quæ modo infinito attingat omnia formalia, & eminentialia omnipotentiæ, vti est Dei cognitio, absque dubio est clarior.

Retorq. 1. Deindè instatur primò: cognitio summè clara scientiæ visionis est illius comprehensio; sed cognitio omnium futurorum in Verbo est cognitio summè clara, quæ potest haberi de scientia visionis: ergo est scientiæ visionis comprehensio, ac proindè anima Christi Domini, quæ cognoscit omnia futura in Verbo, comprehendet scientiam visionis, quod est contrà Ill. Godoy, & ex quo ad hominem contra ipsum conclusionem probavimus *num.* 51.

Retorq. 2. Instò secundò: cognitio attingens omnia formalia, & eminentialia omnipotentię est cognitio summè clara: ergo quantitas scientiæ attenditur solum secundum numerum scibilium contra Div. Thomam *citat. numer.* 54. vbi verba illius retulimus, & ex illis ad hominem contra Ill. God. conclusionem probavimus.

Soluto iam argumento Ill. Godoy solutione supra data, solutisque replicis, quibus illam connatus est impugnare, alia est solutio, cui magis fido, & quam non meminit Ill. Godoy. Vndè respondeo secundò negando maiorem, ad cuius probationem omissa maiori, nego minorem, & ad illius probationem omisso antecedenti distinguo consequens: non possunt omnes effectus alicui causę vnivocę posibiles cognosci ex vi cognitionis causæ, nisi in causa cognita omni perfectione posibili omitto consequens; causæ æquivocæ nego consequentiam, & concessa minori distinguo similitèr vltimum consequens. Hac solutione evanescunt omnia, quæ tradit Ill. Godoy.

86 *Ratio solutionis.* Ratio solutionis est: nam licèt ex cognitione omnium effectuum in causa vnivoca deduci posit comprehensio causę, eo, quod causa vnivoca non excedit in perfectione omnes effectus ab ea producibiles, ac proindè effectus illi adæquant virtutem, & perfectionem causæ; falsum tamen omnino est, quod ex cognitione omnium effectuum in causa æquivoca deduci valeat causæ comprehensio; cum causa æquivoca valdè excedat in perfectione totam vniversitatem effectuum ab ea producibilium, & consequentèr omnes illius effectus, etiam simul sumpti, non adæquant totam perfectionem causæ. Hoc claret in Sole, quem nullatenùs comprehenderet, qui omnes effectus ab eo producibiles cognosceret, quia adhuc restaret, Solem ipsum cognoscere in toto illo gradu perfectionis, quo in perfectione excedit omnes suos effectus. Cum ergo Deus sit causa æquivoca omnium creaturarum, adhuc ex cognitione omnium non sequitur Dei comprehensio ob rationem datam.

Vide duplicem aliam solutionem num. 107. *&* 112.

§. VII.

Alia solvuntur argumenta.

87 *Arguit.* 1. ARguitur primò: cognitio imposibilis creaturæ ei concedi non potest; sed cognitio omnium posibilium in Verbo est creaturę imposibilis: ergo cognitio omnium posibilium in Verbo nequit creaturę concedi, & consequentèr anima Christi Domini non cognoscit in Verbo omnia posibilia. Respondeo primò ne-

Respond. 1. gan-

85 *Respond.* 2. *ad argum. principale Ill. Godoy.*

Respond. 2. gando minorem ob probationes nostrę conclusionis. Respondeo secundo distinguendo minorem: cognitio omnium possibilium in Verbo est creaturæ impossibilis, ratione allata a D. Thoma nego minorem; alia ratione omitto minorem, & distinguo similitèr primum consequens: ergo cognitio omnium possibiliũ in Verbo nequit creaturæ concedi ratione allata à D. Thoma nego consequentiam; alia ratione omitto consequens, & subillatum eadem distinctione distinguo. Hanc solutionem argumento tribuo, non quia sit ratio impossibilitatis, vt creatura videat in Verbo possibilia omnia; sed vt ratio D. Thomæ examinetur, & examinatam, efficatiam non habere, manifestè appareat.

88 *Dices.* Dices: cognitio omnium possibilium in Verbo est creaturæ impossibilis ratione allata à D. Thom: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: cognitio Divinę essentię comprehensiva est creaturæ impossibilis; sed cognitio omnium possibilium in Verbo esset Divinæ essentiæ comprehensiva ratione allata à D. Thoma: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo est creaturæ impossibilis ratione à D. Thom. allata. Probatur minor: cognitio adæquata Divinæ cognitioni est in omni opinione Divinæ essentiæ comprehensiva; sed cognitio omniũ possibilium in Verbo ratione allata à D. Thoma esset adæquata cognitioni Divinæ: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo esset Divinæ essentiæ comprehensiva ratione allata à D. Thoma. Probatur minor: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, est adæquata cognitioni Divinæ; sed cognitio omnium possibilium in Verbo ratione allata à D. Thoma ad tantum se extendit, quantum ipsa Divina cognitio: ergo cognitio omnium possibilium in Verbo ratione D. Thomæ esset adæquata cognitioni Divinæ. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, est adæquata extensivè concedo maiorem; intensivè nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & consequens.

89 *Contra.* Contra: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, est adæquata intensivè cognitioni Divinæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, exprimit omnia, quæ ipsa exprimit Divina cognitio; sed cognitio exprimens, quantum exprimit Divina cognitio, est adæquata intensivè cognitioni Divinæ: ergo cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, est adæquata intensivè cognitioni Divinæ. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, exprimit omnia, & eodem modo nego maiorem; diverso modo concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

90 *Contra.* Contra: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, exprimit omnia, & eodem modo, quæ ipsa exprimit Divina cognitio: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, perfectissimè exprimit omnia, quæ ipsa exprimit Divina cognitio; sed cognitio perfectissimè exprimens omnia, quę ipsa exprimit Divina cognitio, exprimit omnia, & eodem modo, quo ipsa exprimit Divina cognitio: ergo cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, exprimit omnia, & eodem modo, quo ipsa exprimit Divina cognitio. Probatur maior: cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa cognitio Divina, exprimit omnia possibilia cum adæquata connexione ad Deum; sed cognitio sic exprimens omnia possibilia, exprimit perfectissimè omnia, quæ ipsa exprimit Divina cognitio: ergo cognitio ad tantum se extendens, quantum ipsa Divina cognitio, perfectissimè exprimit omnia, quæ ipsa exprimit cognitio Divina. *Respondeo* Respondeo distinguendo maiorem: cognitio ad tantum se extendens, tàm intensivè, quàm extensivè concedo maiorem; extensivè tantum nego maiorem; distinguo minorem: sed cognitio exprimens omnia possibilia cum adæquata connexione ad Deum adæquatione intensiva, & extensiva, perfectissimè exprimit omnia, quæ ipsa exprimit cognitio Divina concedo minorem; extensiva tantum nego minorem, & consequentiam.

91 *Contra.* Contra denique: cognitio ad tantum se extendens extensivè, quantum

ipsa Divina cognitio, est cognitio infinita intensivè : ergo ruit solutio. Probatur antecedens : cognitio ad tantū se extendens extensivè, quantū ipsa cognitio Divina, est cognitio ad infinita se extendens; sed cognitio ad infinita se extendens est intensivè infinita: ergo cognitio ad tantum se extendens extensivè, quantum ipsa Divina cognitio, est cognitio infinita intensivè. Probatur minor : nequeunt actu infinita videri, nisi cognitione actu infinita intensivè: ergo cognitio ad infinita se extendens est intensivè infinita. Probatur antecedens : nequeunt cognosci actu infinita, nisi cognitione æquivalente infinitis cognitionibus; sed cognitio æquivalens infinitis cognitionibus, est intensivè infinita : ergo nequeunt actu infinita videri, nisi cognitione actu infinita intensivè.

92 *Respond.* 1. Respondeo primò negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens : nequeunt actu infinita in se ipsis immediatè videri, nisi cognitione actu infinita intensivè concedo antecedens ; in Deo, tanquam in obiecto priùs cognitio nego antecedens, & distinguo similiter consequens. Hæc solutio est expræclara doctrina Ill. Godoy, quam tradit in præsenti *num.* 202. Ad probationem antecedentis; distincta maiori distinctione data, distinguo minorem: cognitio ratione sui æquivalens infinitis cognitionibus, est intensivè infinita concedo minorem; æquivalens ratione alterius nego minorem, & consequentiam, vel illam distinguo, vt distinxi.

93 *NOTA.* Pro intelligentia responsionis nota, posse duplicitèr posse cognosci, scilicet, in se ipsis immediatè talitèr, quod immediatè terminent cognitionem, licèt ad ipsam non moveant; & in Verbo, tanquam in obiecto præcognito ; & hoc, vel modo, quo ab Ill. Godoy intelligitur, vel modo, quo intelligitur à nobis, de quo diximus *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disput.* 20. *num.* 20. & 21. & etiam *disput.* 26. Et tunc non cognoscuntur in se ipsis immediatè, quia tunc cognitio non terminatur ad illa immediatè, sed immediatè ad Verbum, & mediatè ad ipsa possibillia, quia de ratione obiecti præcogniti est, quod cognitio terminetur immediatè ad illud, & mediatè ad alia, quæ in ipso cognoscantur, vt docet Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. §. *Dico igitur.*

94 Quarè asserо: non posse possibilia cognosci immediatè in se ipsis vnica cognitione, quin talis cognitio sit intensivè actu infinita, quia tunc ratione sui exprimeret infinita obiecta, & ratione sui æquivaleret infinitis cognitionibus, & consequentèr esset actu intensivè infinita. Possunt tamen omnia possibilia cognosci in Verbo mediatè, & in obiecto præcognitio cognitione finita, quia tunc cognitio ratione sui non exprimeret infinita obiecta, sed in virtute primi obiecti, habèntis necessariam connexionem cum illis, vt loquitur Ill. Godoy, vel liberè ea revelantis, vt nos asserimus; vndè nec ratione sui æquivaleret infinitis cognitionibus, sed ratione Verbi, vt obiecti præcogniti, & consequentèr non esset infinita actu intensivè. Ratio autem solutionis est, quia ad videndum omnia possibilia in Verbo, tanquam in obiecto præcognitio, sufficit, illud lumen, & illa cognitio, quæ ad videndum quidditativè ipsum Verbum sufficit ; sed ad videndum ipsum Verbum quidditativè sufficiunt lumen, & cognitio finita: ergo ad videndum omnia possibilia in Verbo, tanquam in obiecto præcognitio, sufficiunt lumen, & cognitio finita. Probatur maior : ad cognoscendum omnes creaturas in Verbo, tanquam in obiecto præcognito, sufficit videre in Verbo clarè, & distinctè continentiam omnium possibilium; sed ad videndum in Verbo talem continentiam, lumen, & visio sufficiunt finita: ergo ad videndum omnia possibilia in Verbo, tanquam in obiecto præcognito, sufficit illud lumen, & illa cognitio, quæ ad videndum quidditativè ipsum Verbum sufficit. *Ratio solutionis.*

95 *Respond.* 2. Respondeo secundò retorquendo replicam : cognitio ad infinita se extendens est infinita intensivè : ergo cognitio ad omnia futura se extendens est infinita intensivè ; quod est contra Ill. Godoy, & omnes adversarios, fatentes, animam Christi Domini cognitione finita cognoscere omnia futura. Probatur consequentia: cognitio ad infinita se extendens est infinita intensivè ; sed cognitio ad omnia futura se extendens, est cognitio se extendens ad infinita : ergo cognitio ad

om-

omnia futura se extendens est infinita intensivè. Consequentia est legitima. Minor certa; nam futura sunt infinita. Maior probatur: nequeunt actu infinita videri, nisi cognitione actu infinita intensivè: ergo cognitio ad infinita se extendens est infinita intensivè. Probatur antecedens; nequeunt cognosci actu infinita, nisi cognitione æquivalente infinitis cognitionibus; sed cognitio æquivalens infinitis cognitionibus est intensivè infinita: ergo nequeunt actu infinita videri, nisi cognitione actu infinita intēsivè. Retorsio facta est ad litteram replicę.

96 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: ad visionem infinitarum creaturarum arismethicè debet crescere perfectio cognitionis: ergo si creaturæ sunt infinitæ, cognitio debet esse intrinsicè infinita. Atqui cognitio intrinsicè infinita creaturæ repugnat: ergo repugnat creaturæ cognitio infinitarum creaturarum, & consequentèr cognitio omnium possibilium, ac proindè anima Christi Domini non cognoscit in Verbo omnia possibilia. Probatur antecedens: ad maius pondus portandū crescit arismethicè virtus portativa: ergo similitèr. *Respond. 1.* Respondeo primò retorquendo argumentum: ad visionem infinitarum creaturarum arismethicè debet crescere perfectio cognitionis: ergo si creaturæ sunt infinitæ, cognitio debet esse intrinsicè infinita. Atqui cognitio intrinsicè infinita creaturæ repugnat: ergo repugnat creaturæ cognitio infinitarum creaturarum, & consequentèr cognitio omnium futurorum, ac proindè Anima Christi Domini non cognoscit in Verbo omnia futura. Probatur antecedens: ad maius pondus portandum crescit arismethicè portativa virtus: ergo similitèr. *Respond. 2.* Retorqueo secundò argumentum: ad maius pondus portandum crescit arismethicè virtus portativa: ergo ad perfectiùs obiectum cognoscendum, crescit arismethicè perfectio cognitionis: ergo ad cognoscendum obiectum infinitum exigitur infinita cognitio, quod est apud omnes falsum, vt patet in Beatis, Deum infinitum videntibus visione finita.

97 *Respond. 3. directè.* Respondeo tertiò directè ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Ratio est: nam cognitio semper deficit ab entitate obiecti in essendo; non verò virtus portativa. Sic D. Thomas 3. *part. quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 3. dicens: *Quod quantitas perfectionis visionis non solum sumitur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem, & intensionem visionis; vndè & si obiecta sint infinita, adhuc visio potest esse finita, quia non esset summè clara, siquidem illa obiecta possent clarius cognosci.* *D. Thom.* Sic etiam Scotus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. *§. ad illa pro secunda*, vbi cuidam respondens argumento, ait: *Ad primum, cum dicitur, quod virtus infinita non plus posset, quam videre infinita, licèt sit verum extensivè; non verò intensivè; posset enim perfectiùs videre illa, quam aliqua, virtus finita.* *Scotus.*

98 *Dices cum Smising.* Dices ex Smising *tract.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 8. *num.* 199. inter actum, & obiecta debet esse proportio arismethica: ergo ruit solutio. Antecedens probat: nam quod potens est præstare munus infinitorum inferiorum, continet eminentèr perfectiones illorum: ergo visio terminata ad infinita, continet infinitas perfectiones: ergo inter actum, & obiecta debet esse arismethica proportio. Confirmatur triplici Scoto maxima. Prima est: nam *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *§. ostensis igitur*, infinitatem Divini intellectus hac insinuat ratione: *Potens simul intelligere aliqua obiecta, est alicuius perfectionis; potens simul intelligere plura, maioris est perfectionis*: ergo potens simul intelligere actu infinita, vti Divinus intellectus, est infinitæ perfectionis. Secunda: quia *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. *§. ista opinio*, impossibilem esse creatam speciem, quæ possit esse ratio cognoscendi infinitas quidditates, sivè non tot, quin plures, hac ostendit ratione: *Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas infinitam requirit perfectionem.* Tertia est, quam habet Doctor *in* 2. *citat.* nempè: *Si posse portare simul plura pondera, concludit maiorem virtutem, posse simul portare infinita, sivè non tot, quin plura, concludit virtutem infinitam*: ergo visio terminata ad obiecta infinita, est infinita. *Confirmat.*

99 *Respondeti potest 1. ad replicam.* Respondeti potest primò ad replicam, quam facit Smising, negando antecedens, & illius probationem distinguendo: quod potens est præstare virtute propria munus infinitorum

inferiorum, continet eminentèr perfectiones illorum concedo antecedens; virtute alterius, seu ex revelatione Divina nego antecedens; & distinguo similitèr primum consequens, negoque secundum. Hanc solutionem tribuunt Vulpes *disput.* 25. *artic.* 8. Aretinus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. *artic.* 1. *& sequentibus*. Et iuxta hanc responsionem patet solutio ad confirmationem, concedendo prædictas Scoti propositiones, & negando consequentiam; quia ibi Scotus loquitur de virtute propria, & sic est verum; at in præsenti non virtute propria, quare infinitas non sequitur.

Vulpes. *Aretinus.*

100 *Declaratur*

Quod declarare possunt exemplo ab Scoto tradito *in* 2. *cit.* scilicèt, si posse portare simul plura pondera, concludit maiorem virtutem, posse simul portare infinita, sivè non tot, quin plura, virtutem concludit infinitam, vbi clarè loquitur de virtute propria. Ex quo exemplo argumentum retorquent: si enim ego infinitum pondus virtute Divina portarem, non haberem infinitatem virtutem, sed tantum Deus, cuius virtute portabam: ergo si beatus non virtute propria, sed virtute Verbi, infinita videt possibilia, non intellectus beati dicetur infinitus, sed ipsum Verbum, cuius virtute videt.

Retorquent.

101 *Respondeo ad replicam*

Cæterum quid quid sit de veritate huius solutionis, quam impugnat Mastrius *disput.* 6. *de Visione*, *quæst.* 9. *num.* 257. Respondeo ad replicam negando antecedens, & distinguo probationem: quod potens est passivè præstare munus infinitorum inferiorum, continet eminentèr perfectiones illorum nego probationem; quod potens est activè, subdistinguo: magis principalitèr concedo probationem; minus principalitèr nego probationem. Solutio est Scoti, & ratio distinctionis sumitur ex illo *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. §. *potest dici*, vbi ait Doctor: probabile esse, creatum intellectum posse actualitèr videre in essentia Divina infinita numero visibilia, & hoc, vel visionibus numero infinitis, sivè formalitèr inexistentibus, ab ipso Deo totalitèr causatis, vel per vnicam visionem, etiam à Deo totalitèr causatam, & ad illa omnia terminatam per infinitos respectus vnionis, & tendentiæ extrinsicè illi additos. Quo in casu infinitas intensiva non sequitur, quia tantum esset receptivus; non verò elicitivus, vt etiam ipse declarat Doctor *citat. in solutione ad* 3. *pro* 2. *opinione* dicens: Quod infinitas extensiva ad aliqua, vt ad formas recipiendas, non includit infinitam entitatem receptivi, vt patet de materia prima, imò magis concludit imperfectionem; benè verò infinitas extensiva ad aliqua, vt ad effectus simul causabiles, quia tunc pluralitas maiorem dicit perfectionem. Per quod ad paritates confirmationis patet solutio.

Ratio distinctionis.

Ad confir.

102 *Ratio subdistinction.*

Ratio autem subdistinctionis optimè declaratur à Licheto *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. explicans illam rationem Scoti allatam: scilicèt, *Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas infinitam requirit perfectionem.* Aliud est enim (ait) esse rationem formalem producendi aliqua plura, quorum quodlibet specialem requirit perfectionem in causa, vt est de illa specie intelligibili, infinitas quidditates distinctè repræsentante; & aliud est, esse rationem producendi aliqua plura, quorum quodlibet non requirit specialem virtutem in causa partiali, vt est in præsenti de intellectu beati; nam si non requiritur in intellectu maior perfectio, seu virtus ad producendam intellectionem perfectioris, & perfectioris obiecti creati, ad quam, vt causa principalis concurrit, eo, quia idem intellectus, & per eandem virtutem sufficit, potiori iure hoc est dicendum respectu obiecti beatifici, cum quo, vt causa minus principalis concurrit. Per quod ad paritates etiam patet responsio.

Ad confir.

103

Et hoc est, quod vult Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. vbi ex simultanea productione plurium, & plurium effectuum arguit infinitam virtutem in causa, quia vt diximus *num. antecedenti*, ex Licheto, tantum esse verum, quando effectus producendi exigunt aliam, & aliam perfectionem in causa; nam si eadem sufficit, vt ad infinitos homines producendos virtus Franciscei, v. g. quia sunt eiusdem perfectionis, virtus infinita non sequitur. Quarè nunquam sequitur infinita virtus in intellectu, etiam si ad visiones omnium possibilium elicitivè concurrat.

104

Neque obstat, quod Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. deducat ex simultanea intellectione plurium, & plurium ob-

iec-

iectorum sine termino, infinitatem Divini intellectus; non obstat, quia hoc est, quia Divinus intellectus totaliter, & principaliter causat Divinam cognitionem, terminatam ad omnia obiecta secundaria, obiecto primario vices supplente cuiuslibet secundarij ob virtualem eorum continentiam, & quia supplet causalitatem magis, & minus perfecti obiecti, ideò intellectio Divina, quo est obiecti perfectioris, perfectiorem arguit virtutem intellectivam in intellectu Divino; at in nostro casu oppositum omninò contingit; nam creatus intellectus concurrit tantum ad visionem illam, vt causa partialis minus principalis, quarè infinitas redundat in obiecto beatifico principaliter ad visionem concurrente.

105 *Dices.* Dices: visio infinita formaliter repræsentans, quorum vnum perfectius est alio, est infinitæ perfectionis; sed visio, qua beatus omnia videret possibilia, repræsentaret formaliter infinita, quorum vnum est perfectius alio: ergo visio, qua beatus videret omnia possibilia, esset infinitæ perfectionis. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: visio ex perfectione sua, seu virtute sua, infinita formaliter repræsentans, est infinitæ perfectionis concedo maiorem; non ex perfectione sua, seu ex sua virtute, sed virtute alterius nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiã. *Ratio solutionis.* Ratio autem solutionis sumitur ex Scoto *citat. litt. M.* vbi assignat discrimen inter visionem beati, & Divinã, & ait: Quod visio beati non est ex virtute sua repræsentativa obiectorum omnium secundariorum; tùm, quia visio per se primò esset visiva, & repræsentativa tantum illius obiecti à quo producitur; sed visio beati immediatè producitur à Divina essentia: ergo, &c. Tùm, quia Divina essentia liberè, & mediantè voluntate, movet intellectum creatum, ideòquè secundarium obiectum, non virtute sua, sed ex speciali revelatione, attingit. Visio autem Divina per se primo, est visiva, omnium repræsentativa, quia naturaliter movet essentia Divina intellectum Divinum, & consequenter ex tali repræsentatione optimè in Divina; non verò in creata, infinitas deducitur.

106 Arguitur tertiò: cognito termino adæquato alicuius potentiæ, comprehenditur ipsa potentia; sed omnia possibilia sunt terminus adæquatus Omnipotentiæ: ergo cognitis omnibus possibilibus, comprehenditur Omnipotentia; sed Omnipotentia comprehensa, ipse comprehenditur Deus: ergo ex cognitione omnium possibilium sequitur Dei comprehensio. *Confirmatur.* Confirmatur: cognito toto producibili cum adæquata connexione ad suum productivum, comprehenditur productivum: ergo cognitis omnibus possibilibus cum adæquata connexione ad Omnipotentiam, comprehenditur Omnipotentia; sed comprehensa Omnipotentia, comprehenditur ipse Deus: ergo ex cognitione omnium possibilium sequitur comprehensio Dei. *Arguit. 3.*

107 Respondeo primò ad argumentum, distinguendo maiorem: cognito termino alicuius potentiæ, exprimente ad æqualitatem perfectionem ipsius potentiæ omitto maiorem; non exprimente ad æqualitatem perfectionem potentiæ nego maiorem; distinguo minorem: sed omnia possibilia sunt terminus adæquatus Omnipotentiæ, exprimens ad æqualitatem perfectionem Omnipotentiæ nego minorem; non sic exprimens omitto minorem, & nego consequentiam. Cum igitur omnia possibilia non exprimant ad æqualitatem perfectionem Omnipotentiæ, vt constat ex dictis *num.* 4. & 5. ideò ex cognitione eorum comprehensio Omnipotentiæ non sequitur. Similiter etiam distinguo confirmationem. *Respond. 1. ad argum.* *Ad confir.*

108 Respondeo secundò, aliter distinguendo maiorem: cognito termino adæquato alicuius potentiæ adæquatione extensiva, & intensiva concedo maiorem; extensiva tantum nego maiorem; similiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Idem dicendum ad confirmationem. Solutio patet ex dictis *num.* 71. Respondeo tertiò, aliter distinguendo maiorem: cognito termino adæquato alicuius potentiæ vnivocæ, seu non excedentis in perfectione suum terminum adæquatum concedo maiorem; æquivocæ, seu excedentis in perfectione suum terminum adæquatum nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Eodem modo distinguo confirmationem. *Respond. 2.* *Respond. 3.*

Hæc solutio claret ex dictis *numer.* 83. cuius rationem dedimus *num.* 86. ex ibique dictis fiat retorsio in Sole.

109 *Respond.* 4. Respondeo quartò, distinguendo aliter maiorē: cognito termino adæquato alicuius potentiæ cognitione comprehensiva, comprehenditur ipsa potentia concedo maiorem; cognitione quidditativa nego maiorem; omitto minorem, & distinguo similiter consequens. *Retorq.* 1. *argum.* Ex quo retorqueo primò argumentum: ex cognitione quidditativa termini adæquati alicuius potentiæ comprehensio ipsius potentiæ non sequitur: ergo ex cognitione quidditativa omnium possibilium in Verbo non sequitur comprehensio Verbi. Antecedens claret: nam beatus videt in Verbo terminum adæquatum potentiæ generativæ Patris, scilicèt, Filium, & tamen potentiam generativā Patris non comprehendit.

110 *Retorq.* 2. Retorque secundò: in omnium sententia cognitio comprehensiva est omnibus nobilior, & præstantior; sed cognitio causæ ex cognitione quidditativa effectuum non est omnibus nobilior, & præstantior: ergo talis cognitio non est causæ comprehensiva. Probatur minor: cognitio causæ ex cognitione comprehensiva effectuum est nobilior, & præstantior cognitione causæ ex cognitione quidditativa effectuum, vt ex se liquet: ergo cognitio causæ ex cognitione quidditativa effectuum non est omnibus nobilior, & præstantior.

Retorq. 3. Retorqueo tertiò retorsione ab Scoto facta: cognitio comprehensiva est nobilior, & præstantior; sed cognitio causæ per effectus non est cognitio nobilior, & præstantior: ergo non est comprehensiva. Probatur minor: cognitio effectus per causam est nobilior, & præstantior, quam cognitio causæ per effectus: ergo cognitio causæ per effectus non est cognitio nobilior, & præstantior. Et ex hoc sequitur, quod si cognoscens omnia possibilia, quæ sunt effectus Dei, comprehenderet Deum, potiori iure cognoscens Omnipotentiam secundum minimum gradum cognoscet omnia possibilia; cum minimum Omnipotentiæ sit sufficiens causa omnium possibilium.

111 *Retorq.* 4. Retorqueo quartò à priori: Deus secundum se, vt præscindit ab omni ordine, & connexione ad creaturas, est incomprehensibilis, quia sic consideratus est ens perfectissimum, infinitum, & infinitè cognoscibilis: ergo non ideò est incomprehensibilis, quia nequeunt in eo omnes creaturæ videri, vt deducit allata Contrariorum ratio.

Retorq. 5. Retorqueo quintò: quia in præsenti circulum vitiosum committunt Thomistæ; nam ideò asserunt, Deum esse incomprehensibilem, quia nequeunt in ipso videri omnia, quæ virtualitèr, & eminentèr continet; & ideò dicunt, non posse in eo videri omnia, quæ virtualitèr, & eminentèr continet, quia comprehenderetur Deus, qui planè circulus est manifestus: ergo, &c.

112 *Respond.* 5. *ad argum.* Sed ne alia ex terminis retorsio, simulque nostræ conclusionis probatio, prætermittatur, quintò respondeo ad prædictum argumentum, aliter distinguendo maiorem: cognito termino adæquato alicuius potentiæ, virtualitèr tantùm in ipsa potentia contento, comprehenditur potentia concedo maiorem; non tantùm virtualitèr, verum, & eminentialitèr in ipsa potentia contento nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Iam ex terminis distinctionis retorsio, simulque nostræ conclusionis probatio, claresceret: nam continentia virtualis, est quando aliquid continetur in alio eiusdem perfectionis virtualis cum illo; continentiâ verò eminentialis est, quando aliquid continetur in alio, illud in perfectione excedente, quod patet in exemplis à Doctoribus communitèr allatis; nam exemplum virtualis continentiæ est, sicut ignis continet ignem; eminentialis verò est, sicut Deus continet quamlibet, & creaturas omnes: cum igitur à contrarijs concedatur, Deum eminentialitèr continere possibilia; restat adhuc cognitis omnibus possibilibus, aliam perfectionem in ipso Deo examinare: ergo ex cognitione omnium possibilium nullatenùs sequitur Dei comprehensio.

Retorqueo argument. & etiam prob. nostræ conclusio.

113 *Arguit.* 4. Arguitur quartò: tunc causa dicitur comprehendi, cum cognoscuntur omnes eius effectus possibiles; sed si beatus videret in Verbo omnia possibilia, videret omnes Dei effectus possibiles: ergo ex cognitione omnium possibilium sequitur Dei comprehen-

sio.

Respondeo. sio. Respondeo negando maiorem: nam iam diximus *disput. præcedenti*, ad comprehensionem strictè sumptam requiri, quod res cognoscatur tanta claritate, quanta cognoscibilis est; quarè parum refert, omnia cognoscere in Deo possibilia, si non cognoscitur Deus infinito modo; est enim sic cognoscibilis.

114 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: cognitio, quæ adæquaretur cognitioni Divinæ, esset comprehensiva Dei; sed si beatus videret omnia possibilia in Verbo, cognitio illius adæquaretur Divinæ cognitioni: ergo beatus non vidit in Verbo omnia possibilia. Probatur minor: nam non plus posset cognoscere Deus, quam beatus: ergo si beatus videret omnia possibilia in Verbo, cognitio illius adæquaretur cognitioni

Respond. 1. Divinæ. Respondeo primò distinguendo antecedens: non plus extensivum posset cognoscere Deus, quam beatus concedo antecedens; intensivum nego antecedens, & consequentiam. Cum enim Deus se infinito modo cognoscat; beato verò, sic cognoscere, repugnet; ideò plus Deus cognosceret intensivum, id est, maiori claritate, vtpotè, omnimoda adæquatione. Sic Magister Sententiarum *in* 3. *dist.* 14. Respondeo secundò negando

Respond. 2. maiorem, & ad probationem nego antecedens ex dictis; nam cum Deus sit causa æquivoca ratione cuius omnia possibilia in perfectione excedit, ex cognitione omnium possibilium non cognoscitur perfectio illa superexcedens, quam quidem videret Deus: plus igitur videret, quam beatus, etiã si omnia possibilia cognosceret.

115 *Arguit. 6.* Arguitur sextò, aliter proponendo fundamentum Ill. Godoy, & aduersariorum: cognitio omnium effectuum in causa, illos continente, est causæ comprehensio; sed cognitio omnium possibilium in Deo est cognitio omnium effectuum in causa continente: ergo est Dei comprehensio. Probatur maior: cognitio causæ perfecta omni perfectione possibili est cognitio causæ comprehensiva; sed cognitio omnium effectuum in causa continente est cognitio causæ perfecta omni possibili perfectione: ergo cognitio omnium effectuum in causa, illos continente, est causæ comprehensio. Probatur minor: quanto plures cognoscuntur effectus in causa continente, plus cognitio causæ perficitur: ergo si omnes effectus possibiles in causa continente cognoscuntur, est cognitio causæ perfecta omni perfectione possibili. Respondeo distinguendo antecedens: quanto plures effectus cognoscuntur in causa continente, plus cognitio causæ perficitur, perfectione respectiva, extensionis, & vniversalitatis concedo antecedens; perfectione absoluta, intensionis, & quidditatis rei causantis nego antecedens, & similiter distinguo consequens. *Respondeo.*

116 *Dices.* Dices: ergo cognitis omnibus possibilibus in causa continente, comprehenditur causa. Probatur consequentia: cognita causa continente cognitione perfecta omni possibili perfectione respectiva, extensionis, & vniversalitatis, comprehenditur causa; sed per te si omnes effectus possibiles in causa continente cognoscuntur, est cognitio causæ perfecta omni perfectione possibili: ergo cognitis omnibus possibilibus in causa continente, comprehenditur causa. Probatur maior: causã perfectiùs, aut imperfectiùs cognitione respectiva, extensionis, & vniversalitatis cognosci, est cognitione cõprehendi, aut non comprehendi: ergo causam cognosci cognitione perfectissima possibili respectiva, extensionis, & vniversalitatis, est causam comprehendi. Probatur antecedens: causam perfectiùs, aut imperfectiùs cognitione respectiva, extensionis, & vniversalitatis cognosci, est exhauriri, aut non exhauriri intentionaliter causæ cognoscibilitatẽ; sed exhauriri cognoscibilitatẽ causæ cognitione, est causę comprehensio, & non exhauriri, non comprehensio: ergo causa perfectiùs, aut imperfectiùs cognitione respectiva, extensionis, & vniversalitatis cognosci, est cognitione comprehendi, aut non comprehendi. Probatur maior: causam physica productione extensiva, & vniversalitatis, plures, aut pauciores effectus producere, est physicè exhauriri, vel non exhauriri producibilitatẽ physicã causę: ergo causam perfectiùs, aut imperfectiùs cognitione respectiva, extensionis, & vniversalitatis cognosci, est exhauriri, aut non exhauriri intentionaliter cognoscibilitatẽ causæ. Probatur consequentia: sic comparatur physica producibilitas causæ ad effectus physicè producendos, ac inten-

tio-

tionalis cognoscibilitas causæ ad cognitos effectus in causa, & vi causæ: ergo si causam physica productione plures, aut pauciores effectus producere, est exhauriri, aut non exhauriri producibilitatē activā physicā causæ, etiam causam perfectius, aut imperfectius cognosci cognitione respectiva, vniversalitatis, erit exhauriri, aut non exhauriri intentionalem causæ cognoscibilitatem.

117 *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: sic comparatur physica producibilitas causę ad effectus physicè producendos, ac intentionalis cognoscibilitas respectiva, extensionis, & vniversalitatis permitto antecedens (dico permitto, quia poterat negari, nam producibilitas physica comparatur sic ad effectus physicè producendos, quod effectus ex causa, & vi causæ physicè producantur; at cognoscibilitas, adhuc extensiva, & extensiva causæ, non sic comparatur ad effectus cognitos in causa, quod effectus in causa, vti in causa, & vi cognitionis causæ, cognoscantur; sed vt in medio repræsentante priùs cognito, vt in specie, voluntariè proponente, iuxta Scoti mentem; quare iam est diversitas) ac intentionalis cognoscibilitas causę absolutas quidditates rei causantis nego antecedens; & distinguo consequens: ergo si causam physica productione plures, aut pauciores effectus producere, est exhauriri, aut non exhauriri producibilitatē physicā, etiā causam perfectiùs, aut imperfectiùs cognosci cognitione respectiva, & vniversalitatis, erit exhauriri, aut non exhauriri cognoscibilitatē intentionalem respectivā, & vniversalis extensionis causæ, permitto consequentiam; absoluta, & quidditativa rei causantis nego consequentiam.

118 Imò si benè attendatur, paritas est pro nostra solutione: nam sicut in causa physicè causante, & consideratur physica entitas absoluta causæ, & respectiva activitas physica ad effectus; ita etiam in causa, & consideratur cognoscibilitas intentionalis quidditatis rei causantis, & cognoscibilitas respectiva respiciens continentiam effectuum in causa; & sicut ex eo, quod causa producat physicè omnes effectus possibiles, non exhauritur entitas physica causæ, sed tantum respectiva; nam si Deus omnia possibilia produceret, adhuc possibilia producta non essent Deus; ita etiam, etsi cognoscibilitas respectiva causæ exhauriatur, non indè infertur, exhauriri absolutā cognoscibilitatem; nisi aliundè hoc accidat, sicut aliundè provenit in productione Verbi, quod exhauriatur quidditas etiam essentiæ.

119 *Replicabis.* Replicabis: ergo saltim cognitis omnibus possibilibus in Deo, exhauriretur cognoscibilitas Omnipotentis Dei, sicut productis omnibus possibilibus, exhauriretur illa potentia productiva ad extra. *Respondeo.* Respondeo distinguendo consequens: cognoscibilitas omnipotentis respectiva permitto consequentiam; entitativa, absoluta, & quidditatis nego consequentiam.

120 *Instabis.* Instabis: Omnipotentia est virtus respectiva ad possibilia; ergo si exhauritur respectivè, exhauritur Omnipotentia. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: est virtus respectiva *secundum esse* nego antecedens; *secundum dici* concedo antecedens, & nego consequentiam. Est enim duplex genus relationis *secundum esse*, & *secundum dici*, illa non dicit quid absolutum, sed solum respectivum, & sic exhausta in esse respectivo, in entitate sua exhauritur; relatio autem *secundum dici* dicit quid absolutum, & respectivum, & sic exhausta secundum respectivum, adhuc non exhauritur secundum absolutum; quarè adhuc Omnipotentia exhausta respectivè, non exhauritur, nec æquatur in prædicato absoluto ipsius Omnipotentiæ. Videatur hoc in Logica, vbi hi duo conceptus relationum distinguuntur.

121 *Arguit. 7.* Arguitur septimò: illa visio esset infinita: ergo esset Dei comprehensiva; sed visio Dei comprehensiva repugnat Animæ Christi Domini: ergo & visio illa. Probatur antecedens: illa visio contineret in suis prędicatis essentialibus omnem intelligibilitatem illorum obiectorum: ergo illa visio esset infinita. Probatur antecedens: illa visio est species expressa inchoata, vel virtualis omnium illarum intelligibilitatum: ergo contineret in suius prædicatis essentialibus omnem intelligibilitatem illorum obiectorum. Probatur consequentia: species expressa inchoata omnium illarum intelligibilitatum continet in se virtualitèr omnes illas intelligibilitates; ergo, &c. Probatur antecedens: species expressa

for-

formalis alicuius obiecti continet in se formaliter intelligibilitatem illius obiecti: ergo pariter. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego etiam antecedens, & ad probationem illius distinguo antecedens: illa visio, ratione sui, est species expræssa inchoata, vel virtualis omnium illarum intelligibilitatum nego antecedens; non ratione sui, sed virtute primi obiecti concedo antecedens, & distinguo similiter probationes sequentes. Solutio patet ex dictis *num.* 93. & 94.

Respondeo.

122 *Arguit.* 8. Arguitur octavò: Christus Dominus videt Essentiam Divinam modo finito intensivo: ergo aliquid intensionis restat in Christo videndi in essentia Divina; atqui modo finito extensivo videt infinita possibilia: ergo aliquid extensionis possibilium restat in Christo videndi: ergo non omnia possibilia videt. Probatur consequentia: quia modo finito intensivo videt essentiam Divinam, aliqui gradus intensionis essentiæ Divinæ non videntur à Christo; sed modo finito extensivo videt possibilia: ergo aliquid extensionis possibilium non videtur à Christo; at qui non videre aliquid extensionis possibilium, est non videre omnia possibilia, quia aliquid extensionis possibilium est aliquod possibile, sicut aliquid intensionis in essentia Divina, est aliquis gradus intensionis: ergo, &c. Respondeo concesso antecedenti cum consequentia, negando suppositum minoris; supponit namquè, quod videre modo finito sit de linea extensionis, quod apud omnes est manifestè falsum.

Respondeo.

123 *Arguit.* 9. Arguitur nono: ex negatione habitus rectè infertur impossibilitas actus; v.g. ex negatione luminis rectè infertur impossibilitas visionis: ergo ex negatione habitus finiti rectè infertur impossibilitas actus finiti: ergo ex negatione habitus infiniti rectè infertur impossibilitas actus infiniti. Vtraque consequentia patet ex antecedenti. Sumo nunc; atqui repugnat habitus finitus *ex quo*, vel *in quo* videantur infinita, vt in omnium sententia supponitur: ergo repugnat actus *ex quo*, vel *in quo* infinita videantur; nam eodem modo, quo datur actus, datur & habitus. Hoc argumentum falsum supponit in nostra, & Scoti opinione; si bitinemus namquè, posse intellectum creatum de potentia absoluta elicere visionem sinè habitu, vt contra Ill. Godoy ostendimus *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disput.* 18. Cæterum hoc omisso, respondeo omittendo totum argumentum; quia non probat, quod repugnet habitus, vel actus, quo in obiecto infinito, vel ex obiecto infinito, infinita videantur, quod probare debebat ad convincendum, quod anima Christi Domini visione finita non posset videre infinita in obiecto infinito, vel ex obiecto infinito.

Respondeo.

124 *Arguit.* 10. Arguitur decimo: ex eo, quod Christus omnia possibilia cognosceret in Verbo, comprehenderet Deum: ergo nequit Christus cognoscere in Verbo omnia possibilia. Probatur antecedens: ex eo, quod Christus omnia possibilia in Verbo cognosceret, vel cognosceret vnica cognitione, vel tot cognitionibus, quot sunt possibilia; quidquid dicas, comprehenderet: ergo ex eo, quod Christus omnia possibilia cognosceret in Verbo, comprehenderet Deum. Probatur minor: quidquid dicas sequitur, Christum habere, vel intellectum; vel intellectionem infinitam, non solum extensivè, verù etiam intensivè: ergo quidquid dicas, comprehenderet. Probatur antecedens quoad primam partè: si Christus vnica cognitione omnia possibilia in Verbo cognosceret, vnica intellectione cognosceret infinita disparata: ergo esset illa intellectio intensivè infinita, quia eminentèr contineret perfectiones infinitarum. Qua ratione probat Scotus *in* 4. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *num.* 22. §. *Ex primò*, non posse Angelum per vnicum actum intelligendi intelligere intelligibilia infinita, & alijs rationibus, quæ ibi videri possunt. Probatur etiam antecedens quo ad secundam partem: nam si pluribus intellectionibus intelligeret infinita: ergo infinitis: ergo intellectus, qui produceret infinitas illas intellectiones, & simul reciperet, haberet virtutem infinitam intensivam ex parte productionis, quod patet: quia si ignis esset productivus infinitorum graduum caloris; esset infinitæ virtutis intensivè: ergo pariter.

Antecedens pro 1. *part. probatur.*

Probatur quo ad 2. *p.*

Respondeo ad argumentum negando antecedens; ad probationem nego minorem, ad cuius probationē nego antecedens, & ad huius probationem quo ad primam partem, resi-

125 *Respondeo ad argum.*

Ad probat.

pon-

anteced. pro 1. part. respond. 1.

pondeo primò distinguendo antecedens: si Christus vnica cognitione omnia possibilia in Verbo cognosceret, vnica intellectione cognosceret infinita disparata, disparatè nego antecedens; ordinatè concedo antecedens, & nego consequentiam, quia solum sequitur infinitas, quando vnica intellectione intelligeret infinita disparatè, sivè in se ipsis, quod convincit probatio ex Scoto; non tamen quando intelligit ordinatè, sivè in alio eminentèr illa continente, v.g. in Verbo.

126 *Respond. 2.* Respondeo secundò ad prædictam probationem, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia casu, quo Christus vnica intellectione intelligeret infinita, illa intellectio esset à solo Deo producta, & ad omnia illa terminata per infinitos respectus vnionis, & tendentiæ, extrinsicè illi additos, quo in casu infinitas intensiva non sequitur, vt dictum manet *n.* 101. Ex quo patet ad instantiam de Angelo ex Scoto deducta; quia Angelus produceret illum actum, ideòque optimè dixit Scotus. Ad probationem quo ad secundam partem distinguo consequens primum: ergo infinitis à Deo totalitèr causatis concedo consequentiam; ab intellectu Christi nego consequentiam; vel subdistinguo: ab intellectu Christi causatis minus principalitèr concedo consequentiã; magis principalitèr nego consequentiam, ex quo non sequitur infinitas intensiva in actu Christi, vt declaratũ est *num.* 102. & ex Scoto *num.* 103. per quod patet ad exemplum de igne.

127 *Arguit. 11.* Arguitur denique, & procedit argumentum contra doctrinam multotiès datam: cognitio infinitorum in se ipsis esset infinita intensivè: ergo cognitio infinitorum in Verbo est infinita. Antecedens est à nobis multotiès concessum. Consequentia probatur: potiori ratione cognitioni infinitorum in Verbo debet concedi infinitas intensiva, quam cognitioni infinitorum in se ipsis; sed per te cognitio infinitorum in se ipsis est infinita intensivè: ergo cognitio infinitorum in Verbo est infinita. Probatur maior: perfectior est cognitio infinitorum in Verbo, quam infinitorum in se ipsis: ergo potiori ratione cognitioni infinitorum in Verbo debet infinitas intensiva concedi, quam cognitioni infinitorum in se ipsis. Probatur antecedens: perfectior est cognitio effectus in causa, quam causæ per effectus; sed cognitio infinitorum in Verbo est cognitio infinitorum in causa, quia est cognitio matutina, & cognitio infinitorum in se ipsis est cognitio vespertina, sivè per effectum: ergo perfectior est cognitio infinitorum in Verbo, quam in se ipsis.

Respondeo. Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem nego maiorem, & ad illius probationem distinguo antecedens: perfectior est cognitio infinitorum in Verbo, quam infinitorum in se ipsis, ea parte, qua est cognitio in Verbo concedo antecedens; ea parte, qua est cognitio infinitorum nego antecedens, & consequentiam; nam licèt cognitio infinitorum in Verbo sit cognitione perfectior infinitorum in se ipsis, eo, quod cognitio in Verbo est beata, matutina, & in causa, quod non habet cognitio infinitorum in se ipsis; hæc tamen cognitio, vtpotè, infinita, esset perfectior. Per hoc patet ad cæteras probationes, & recollantur dicta *n.* 64.

§. Vltimus.

Statuuntur secunda, & tertia conclusio, & corollaria præcedentis doctrinæ declarantur.

128 *2. Conclusio* SEcunda conclusio: *Anima Christi cognovit in Verbo per scientiam beatam omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis. Vndè cognovit omnia, quæ Deus scit scientia visionis.* Hanc conclusionem tenet Ill. Godoy *num.* 113. licèt alio modo; ait namquè, omnia illa Animam Christi cognovisse in Verbo ex vi visionis beatificæ, quod nos negatum habemus cum Scoto *tom. 1. in 1. sent. disput.* 20. Vndè si ob hoc Ill. Godoy *n.* 124. citat Scotum pro sententia opposita, optimè citat; si autem illum citat pro eo, quod Scotus negaverit, animam Christi cognovisse in Verbo omnia futura, vel omnia, quæ Deus scit scientia visionis, sivè actualitèr, sivè habitualitèr, immeritò citat.

129 *Conclusio est Scoti, & probat. 1.* Conclusio est Scoti locis citatis *numer.* 8. ipsamque probant authoritates traditæ *num.* 56. & est consequens ad dicta *num.* 57. & probatur breviter primò: Anima Christi cognoscit in Verbo omnia possibilia, seu omnia, quæ Deus scit scientia simplicis intelligentiæ,

tiæ, vt probant veusquè dicta: ergo cognoscit etiam ea, quæ Deus scit scientia visionis, nempè, præterita, præsentia, & futura. Secundò: quia cognoscere omnia, quæ Deus scit scientia visionis, est perfectio Animæ Christi; sed hæc perfectio non repugnat: ergo illa Christus cognoscit. Maior cum consequentia tenet. Minor autem claret ex solutione argumentorum contra conclusionem præcedentem. Alia verò argumenta, quæ obijci possunt, soluit Ill. Godoy §. 6.

Secundò.

130 *2. Conclusio*

Tertia conclusio: *Anima Christi per beatificam visionem cognoscit contingentes negationes omnium rerum possibilium etiam in particulari, & etiam negationes necessarias.* Conclusio est contra Ill. Godoy quoad secundam partem, & pro vtraque probatur hac vnica ratione: omnes istę negationes vel sunt possibiles, vel futuræ; sed quomodocumque sint, illas cognoscit Anima Christi: ergo cognoscit contingentes negationes omnium rerum possibilium etiam in particulari, & etiam negationes necessarias. Probatur minor: Anima Christi cognoscit omnia possibilia, & futura: ergo sivè prædictæ negationes sint possibiles, sivè sint futuræ, illas cognoscit Anima Christi. Consequentia est legitima. Antecedens constat ex dictis prima, & secunda conclusione, & per hoc patet ad fundamentum, quod tradit Ill. Godoy *num.* 186. pro opposito ad secundam partem nostræ conclusionis.

Probatur.

131 *1. Corollarium. Cognovit Christus per scientiã beatam omnia libera decreta Dei, & quæ continentur in potentia creaturæ.*

Ex dictis in discursu disputationis colligo primò: Animam Christi Domini per beatificam visionem cognovisse; tùm omnia libera decreta Dei, sivè absoluta, sivè conditionata. Tum etiam; omnia, quæ continentur in virtute, aut potentia creaturæ. Hoc corollarium habet Ill. Godoy *num.* 200. & 206. Constatque ex ratione, quam tertiam conclusionem probavimus; æquatur namquè scientia beatifica Christi, quantum ad numerum scibilium, cum scientia simplicis intelligentiæ, & visionis Dei.

132 *2. Corollarium. Anima Christi clariùs videt Deum qualibet alia creatura.*

Secundò colligitur: Animam Christi videre Divinam essentiam clariùs qualibet creatura. Hoc corollarium habet Ill. Godoy *num.* 214. & sic à nobis probatur: maior, vel minor claritas in visione beatifica provenit, tum ex maiori, vel minori lumine gloriæ, tùm etiam ex perfectiori intellectu, vt tenet Scotus *in 3. dist.* 13. §. *ad 3. quæstionem. Et dist.* 14. *quæst.* 4. *Et in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 6. §. *quinta conclusio*: atqui in Christo non fuit intellectus minus perfectus, quam intellectus cuiuslibet beati, & alioquim fuit in illo lumen intensius, & perfectius lumine cuiusvis creaturæ: ergo videt Deum clariùs qualibet alia creatura. Probatur minor quoad secundam partem: perfectio luminis commensuratur cum perfectione gratiæ habitualis; sed in Christo gratia habitualis fuit intensior gratia cuiusvis creaturæ, vt claret ex dictis, *disput.* 27: ergo in Christo fuit lumen intensius, & perfectius lumine cuiusvis creaturæ.

An autem infinitè excedat, vel tantum finitè, beatitudinem aliorum, discrepatur inter Theologos, verum mihi certum videtur, non excedere infinitè simplicitèr, sed secundum quid, & extrinsicè infinitè; quod patet: nam visio Animæ Christi non est infinita intrinsicè, & simplicitèr, sed solum extrinsicè, & secundum quid, quatenus infinita in Divina Essentia cognoscit, quæ ab alijs non cognoscuntur: ergo non excedit beatitudinem aliarum creaturarum infinitè intrinsicè simplicitèr, sed tantum secundum quid, & extrinsicè.

133

Deniquè infertur: beatitudinem Animæ Christi esse maiorem beatitudine cuiusvis creaturæ possibili de lege ordinaria; non autem esse maiorem omni beatitudine possibili puræ creaturæ de potentia absoluta. Hoc corollarium habet Ill. Godoy *num.* 215. & prima pars constat ex dictis. Secunda verò probatur: nam licèt beatitudo Animæ Christi nequeat esse maior intensivè de potentia Dei absoluta vt de gratia Christi diximus *disput.* 27. *num.* 10. potest tamen Deus aliam æqualem puræ creaturę concedere: ergo beatitudo Animæ Christi non est intensivè maior beatitudine possibili puræ creaturæ de potentia absoluta. Et hæc de ista disputatione, applicanda litteræ Magistri locis vbi precedens disputatio.

134 *3. Corollarium.*

Mag. Sent.

****

TRACTATUS NONUS.

DE SCIENTIA PER SE INFUSA, & Scientia per se acquisibili.

DISPVTATIO TRIGESIMA QUINTA.

An omnia obiecta creata possint ab anima Christi per Scientiam infusam supernaturalem cognosci?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

Num. 1 *Disputationis sensus aperitur.*

SCientiam per se infusam supernaturalem fuisse in anima Christi Domini, diximus cum omnibus Theologis *disp.* 32. §. 2. Nunc autem inquirimus: an tanta sit scientiæ per se infusæ supernaturalis extensio, vt per illam Christus Dominus omnia creata cognoverit? Hæc sunt verba, quibus Ill. Godoy *num.* 1. statum disputationis aperit; vndè loqui in præsenti de scientia supernaturali per se infusa, est omninò indubitatum. Quarè vt certò supposito.

2 1. *Sentētia.* Hac in re (relictis aliorum opinionibus) prima sententia tenet: omnia entia naturalis, & supernaturalis ordinis, quæ Deus decrevit producere, fuisse cognita ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam, & aliqua ex possibilibus, non verò omnium collectionem. Sic Ill. Godoy *numer.* 2. pro qua sententia statuit sex conclusiones.

Ill. Godoy.

3 2. *Sentētia.* Secunda sententia per oppositum defendit: nulla entia creata, sivè naturalis, sivè supernaturalis ordinis, fuisse cognita ab anima Christi per scientiam supernaturalem per se infusam, solumque illa obiecta, quorum species proprio labore alicuius creaturæ creabilis, vel creatæ, non possunt adquiri, fuisse cognita ab anima Christi per scientiam supernaturalem per se infusam. Sic Scotus *in* 3. *dist.* 36. §. *Contra hoc*, à versic. *Licèt de istis*, vbi absolutè negat, virtutes morales per se infusas. Pro qua sententia sit.

Scotus.

4 1. *Conclusio* Prima conclusio: *Nulla, quæ possunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognosci, fuerunt cognita ab anima Christi Domini per scientiam supernaturalem per se infusam.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 3. nam licèt in sua conclusione non expræsserit ly *per se*, cadens supra ly *infusam*, de scientia per se infusa loquitur; alioquin non loqueretur in conclusione conformitèr ad sensum disputationis, quem aperit verbis, quibus nos illum aperuimus *numer.* 1. vt ibi dictum est.

Contra Ill. Godoy.

5 *Probatur concl. vnica ratione.* Probatur conclusio hac vnica ratione: Scientia supernaturalis per se infusa est illa, quæ à nulla creatura, sivè creata, sivè creabili, acquiri valet; sed scientia omnium, quæ possunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognosci, potest acquiri ab aliqua creatura, creata, vel creabili: ergo nulla, quæ possunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognosci, fuerunt cognita ab anima Christi Domini per scientiam supernaturalem per se infusam. Consequentia est legitima. Minor evidens. Maior verò, vltrà hoc, quod est Scoti *citat.* vbi hac

ra-

Maior est Scoti, & ad eius principia conformis.

ratione negat absolutè virtutes morales per se infusas; est conformis ad illius principia; nam iuxta Scoti principia ens supernaturale dicitur absolutè illud, quod est super omnem naturam creatam, & creabilem, id est, quod à nulla creatura produci valet: ergo paritèr: ens supernaturale per se infusum dicitur absolutè illud, quod à nulla creatura creata, vel creabili potest produci.

6 *Maior probatur 1. paritate.*

Probatur maior prædicta primò hac paritate: Scientia per accidens infusa est illa, quæ ab aliqua creatura creata, vel creabili acquiri valet: ergo paritèr ab oppositò: Scientia per se infusa est illa, quæ à nulla creatura, sivè creata, sivè creabili acquiri valet, & consequentèr scientia supernaturalis per se infusa est illa, quæ à nulla creatura, sivè creata, sivè creabili, acquiri valet.

7 *Probat. 2. ratione.*

Ratione probatur secundò dicta maior: nam per se infusum debet ex natura sua distingui à quocumque per accidens infusio; sed non sic distingueretur, si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infusum: ergo per se infusum solum est illud, quod à nulla creatura potest produci. Consequentia legitima est. Maior certa. Primò: nam per se infusum debet ex natura sua distingui à quocumque non tali. Secundò: nam si Deus crearet duas species, alteram per se infusam, & alteram infusam per accidens, illasque conservaret extra subiectum, adhuc tunc ex natura sua distinguerentur. Tertiò: quia per se infusum ex natura sua distinguitur à per se adquisibili; sed quodcumque per accidens infusum est per se adquisibile: ergo per se infusum debet ex natura sua distingui à quocumque per accidens infusio.

Probatur maior.

Probatur minor.

Maior syllogismi suprà positi probatur: per se infusum non distinguitur ex natura sua à per se infusio: ergo per se infusum non distinguitur ex natura sua à per accidens infusio, si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infusum. Probatur consequentia: si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infusum, esset per se infusum, & per accidens infusum; sed per se infusum iuxta concessa non distinguitur ex natura sua à per se infusio: ergo per se infusum non distinguitur ex natura sua à per accidens infusio, si quod potest ab aliqua creatura produci, esset per se infusum. Maior constat: nam in primis esset per se infusum, vt supponitur. Deindè esset per accidens infusum, quia infusum per accidens nihil aliud est, quam quod cum possit ab aliqua creatura adquiri, à Deo infunditur; alioquim assignetur, quid sit per accidens infusum?

8 *Probat. 3. doctrina omnium generali.*

Probatur tertiò doctrina omnium: nam iuxta omnes species sensibilis ovi, v.g. in casu, quo crearetur à Deo, esset solum per accidens creata: ergo paritèr: Species intelligibilis impressa per se acquisibilis (& consequentèr scientia ex illa orta) in casu, quo à Deo infunderetur, erit solum per accidens infusa: ergo scientia per se infusa est illa, quæ à nulla creatura, sivè creata, sivè increabili, acquiri valet, & consequentèr idem dicendum est de scientia supernaturali per se infusa. Omnia sunt vera, si vera est consequentia prima. Probatur itaquè: ideò species sensibilis ovi, v.g. in casu, quo crearetur à Deo, esset solum per accidens creata, quia ex natura sua peteret educi de potentia subiecti; atqui species intelligibilis impressa per se acquisibilis (& consequentèr scientia ex illa orta) peteret ex natura sua viribus naturæ acquiri: ergo species intelligibilis impressa per se acquisibilis (& consequentèr scientia ex illa orta) in casu, quo à Deo infunderetur, erit solum per accidens infusa.

9 *Probat. 4. ad homin. contra Ill. Godoy.*

Probatur denique ad hominem contra Ill. Godoy: habitus, ad cuius productionem est in actibus intrinseca activitas sufficiens, dato, quod à Deo infundatur, est tantum per accidens infusus; sed ad adquisitionem speciei impressæ per se adquisibilis est in actu creato intrinseca activitas sufficiens: ergo dato, quod à Deo infundatur, erit tantum per accidens infusa. Consequentia est legitima. Minor nota: alioquim species non esset per se adquisibilis. Maior verò est expressa doctrina Ill. Godoy *disput. 32. numer. 117. & 119.* Ex quo manifestè apparet veritas maioris suprà positæ. Ill. Godoy hanc probationem non adducit, sicque responsionem impugnandam non habeo.

10 *Probatur conclus. ad*

Vltrà dictam à ratione probationem, ad hominem etiam contra Ill. Godoy probatur conclusio, & quæ-

hom. contra Ill. Godoy, & oſtēditur quædam illius inconſequentia.

dam illius inconſequentia oſtenditur: in anima Chriſti Domini fuit ſcientia per ſe adquiſibilis, ſeu ex genere ſuo adquiſita omnium, quæ poſſunt ab homine per virtutē intellectus agentis cognoſci: ergo reſpectu hominum ſuperfluit ſcientia ſupernaturalis infuſſa: ergo anima Chriſti Domini non cognovit per ſcientiam ſupernaturalem infuſſam omnia, quæ poſſunt ab homine per virtutē intellectus agentis cognoſci. Antecedens eſt Ill. Godoy *diſput. 32. num. 165.* Secunda conſequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: ratio convincens neceſsitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, per quam Chriſtus Dominus vltrà ſcientiam beatam cognoſcat res in proprio genere, & extra Verbum, probat ſuperfluitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, poſsita ſcientia adquiſita; ſed iuxta Ill. Godoy in anima Chriſti Domini fuit ſcientia per ſe adquiſibilis, ſeu adquiſita ex genere ſuo: ergo in anima Chriſti Domini ſuperfluit ſcientia ſupernaturalis infuſſa. Probatur maior: ratio convincens neceſsitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, per quam Chriſtus Dominus vltrà ſcientiam beatam cognoſcat res in proprio genere, & extra Verbum, eſt, quia per ſcientiam ſupernaturalem infuſſam cognoſcit res in ſe ipſis; & in proprio genere, quomodo eas non cognoſcit per ſcientiam beatam; ſed hæc ratio probat ſuperfluitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, poſsita ſcientia adquiſita: ergo ratio convincens neceſsitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, per quam Chriſtus Dominus vltrà ſcientiam beatam cognoſcat res in proprio genere, & extra Verbum, probat ſuperfluitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, poſsita ſcientia adquiſita. Maior eſt Ill. Godoy *diſput. 32. num. 81.* Probatur minor: per ſcientiam ſupernaturalem infuſſam cognoſcit Chriſtus res in ſe ipſis, & in proprio genere; ſed hoc modo cognovit res per ſcientiam adquiſitam: ergo ratio dicta probat ſuperfluitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, poſsita ſcientia adquiſita. Maior eſt Ill. Godoy *diſput. citat. num. 62.* Minor eſt ipſius *diſput. citat. num. 165.* Conſequentia legitima videtur.

Reſpōdebis cū doctrina Ill. Godoy.

Reſpondebis cum doctrina Ill. Godoy negando conſequentiam, ad cuius probationem, conceſsis præmiſſis, negatur conſequentia; quia licèt ratio convincens neceſsitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ vltra ſcientiam beatam, probet ſuperfluitatem ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ vltra ſcientiam adquiſitam, non obhoc ſuperfluit ſcientia ſupernaturalis infuſa, poſsita ſcientia adquiſita; quia neceſsitas huius vtriuſque ſcientiæ non probatur ratione, qua probatur neceſsitas ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, & ſcientiæ beatæ, imo ex alio diſtincto capite; nam neceſsitas ſcientiæ ſupernaturalis infuſſæ, & beatæ ſumitur ex duplici capite, quod probat primò *diſput. 32. num. 75*: nam intellectus Chriſti Domini eſt in potentia ad cognoſcendas res creatas in proprio genere, & in ſe ipſis, non ſolū ex parte rei cognitæ, ſed etiam ex parte medij cognoſcendi; cum vtroque modo ſint cognoſcibiles; ſed quamvis per ſcientiam beatam illas in proprio genere, & in ſe ipſis ex parte rei cognitæ contempletur; non tamen illas in ſe ipſis cognoſcit ex parte medij cognoſcendi; lumen autem beatificum terminatur ad creaturas mediante eſſentia Divina, vt obiecto cognito, & medio illas cognoſcendi: ergo per ſcientiam beatam non tollitur omnis potentialitas intellectus animæ Chriſti in ordine ad creaturarum cognitionem; & conſequentèr illa poſsita, & ſecluſa cognitione rerum in proprio genere ex parte medij cognitionis, quæ habetur per ſcientiam infuſſam à beatifica diſtinctam, potentialis, & imperfectus maneret.

Secundò idem explicat *diſput. 32. citat. num. 76*: nam intellectus animæ Chriſti eſt de ſe in potentia ad creaturarum cognitionem per proprias illarum ſpecies immediatè à Deo infuſſas; ſed huiuſmodi cognitio non habetur per ſcientiam beatam; nam ſpecies, per quam ſcientia beatifica ad creaturas terminatur, eſt eſſentia Divina, primo repræſentans Deum, & creaturas ſecundario: ergo vt perfecta cognitio intellectui Chriſti competat, neceſſaria eſt ſcientia infuſſa, diſtincta à ſcientia beata; ac proindè ſine illa potentialis, & imperfectus maneret. Et denique idem declarat *diſput. citat. num. 81.* dicens: Chriſtum ex vi ſcientiæ beatæ cognoſcere res creatas in ſe ipſis ex parte rei cognitę; non tamen in ſe ipſis, vt medio cog-

ni-

nitionis, & per proprias illarum ſpecies; ſed Divina eſſentia eſt medium, in quo obiectivè cognoſcentur; & principium per modum ſpeciei: & quia intellectus Chriſti creatus eſt in potentia ad cognoſcendas creaturas in ſe ipſis immediatè, & ratione ſui, & per proprias illarum ſpecies ſe tenentes ex parte principij: fit conſequens, quod eſſet ſine huiuſmodi cognitione imperfectus, etiam poſita viſione beatifica, ſecundario terminata ad creaturas; ac proindè, quod prædicta creaturarum cognitio ad illas in ſe ipſis immediatè terminata, non ſit cenſenda ſuperflua in anima Chriſti Domini, etiã beatifica viſione ſuppoſita.

Neceſsitas autem ſcientiæ ſupernaturalis infuſæ, & ſcientiæ adquiſitæ ex nullo ex his capitibus ſumitur, ſed accipitur ex eo, quod obiecta creata ſunt cognoſcibilia naturali, & ſupernaturali cognitione, licèt per vtramque in ſe ipſis, & in proprio genere cognoſcantur, vt ait Ill. Godoy *in præſenti num. 6. in probatione ſuæ concluſionis*. Vndè nunquam ſuperfluit aliqua ex his ſcientijs, vtpotè, adeſt ratio, neceſsitatem vtriuſque convincens.

Impugnat. reſponſio.

Fateor: hanc ſolutionem optimam eſſe pro ſolutione rationis poſitę, ſed etiam fateor, falſam, & inconſequentem eſſe doctrinam ſolutionis in opinione Ill. Godoy, & quia hoc eſt intentum præſens, ſolutionem ad hominem contra ipſum impugno: Ideò iuxta ſolutionem Chriſtus cognovit res naturales ſcientia ſupernaturali infuſa, quia res naturales ſunt in ſe ipſis cognoſcibiles ſupernaturali cognitione; ſed hæc ratio non tenet iuxta Ill. Godoy: ergo inconſequentèr procedit in ſolutione. Probatur minor: quod Deus ſit cognoſcibilis à poſteriori, in creaturis, & ex creaturis, non probat, quod Deus ſe cognoſcat à poſteriori, in creaturis, & ex creaturis: ergo quod res naturales ſint in ſe ipſis cognoſcibiles ſupernaturali cognitione, non probat, quod Chriſtus eas cognoſcat ſcientia infuſa ſupernaturali. Antecedens eſt Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. diſput. 23. num. 120.* vbi negat, quod Deus ſe à poſteriori cognoſcat, & ſimilitèr quod ſe in creaturis, & ex creaturis cognoſcat, pro quo videantur, quæ diximus *tom. 1. in 1. Sentent. diſput. 23. num. 60.*

Probatur cõſequentia

Conſequentia verò eſt paritate notoria, & vt illius efficatia magis, ac magis appareat, probatur: ideò negat Ill. Godoy *tom 1. citat.* Deum ſe à poſteriori cognoſcere, ſimilitèrque ſe in creaturis, & ex creaturis cognoſcere, quia ſemel, quod Deus ſe à priori, & in ſe cognoſcat, ſuperfluit cognitio à poſteriori, in creaturis, & ex creaturis: ergo ſemel quod Chriſtus Dominus cognoſcat res naturales ſcientia adquiſita, ſuperfluit ſcientia ſupernaturalis infuſa. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens verò eſt Ill. Godoy *tom. 1. citat.* vbi illud ſic probat *numer. 173*: *Ideò in effectibus creatis Deus ſe ipſum cognoſcit, quia ad illorum cognitionem ſupponitur cognitus perfectiſsimè; ſed etiam Divina eſſentia pro priori ad attributa ſupponitur perfectiſsimè cognita, vt radix attributorum: ergo Deus ſe non cognoſcit in attributis, aut ratione attributorum, quod neceſſarium erat, vt illum à poſteriori per attributa cognoſceret.* Hæc doctrina Ill. Godoy eſt, qua contra ipſum vtimur pro ſuperfluitate ſcientiæ ſupernaturalis infuſę, poſita ſcientia adquiſita.

11 *Arguit Ill. God. contra noſtrã concluſionem.*

Adverſus noſtram concluſionem arguit Ill. Godoy *num. 6.* ratione Div. Thomæ ad hanc formam redacta: Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis eſt illa, per quam res in proprio genere ſupernaturalitèr cognoſcuntur; ſed anima Chriſti Domini cognovit entia naturalia in proprio genere, & in ſe ipſis ſupernaturali cognitione: ergo cognovit illam per ſcientiam ſupernaturalem infuſam. Illatio eſt in forma. Maior conſtabit ex dicendis. Minor verò probatur: entia naturalia ſunt cognoſcibilia in ſe ipſis ſupernaturali cognitione: ergo anima Chriſti Domini eſt in potentia obedientiali ad illa, vt ſic cognoſcenda; ſed decuit, vt potẽtia obedientialis animæ Chriſti ad actum reduceretur, ne maneret imperfecta, vtpotè, in potentia relicta: ergo cognovit entia naturalia in ſe ipſis ſupernaturali cognitione.

12 *Antecedens probat. 1.*

Antecedens, in quo eſt difficultas, probat primò *num. 7*: nam entitas materialis poteſt per actum ſpiritualem attingi, & de facto terminat intellectualem cognitionem: ergo entitas naturalis terminare poterit cognitionẽ ſupernaturalem. Secundò: nam eſtò obiectum non poſsit ſui cognitionem excedere exceſſu ordinis, quo circa, nec entitas ſpiritualis materiali cog-

Secundò.

nitione, nec ſupernaturalis cognitione naturali poſſunt cognoſci; non tamen eſt neceſſarium, quod ab illa non excedatur; vndè entitas finita infinitam cognitionem terminare poteſt: ergo non obſtat naturalitas obiecti, quo minus valeat cognitionem ſupernaturalem in ſe ipſo terminare.

Tertiò. Deniquè: nam eſto obiectum naturale ſub ratione naturali obiectiva nequeat attingi per cognitionem ſupernaturalem; poteſt tamen ſub ratione ſupernaturali obiectiva; at in entibus naturalibus eſt dabilis hæc ratio obiectiva ſupernaturalis: ergo poſſunt terminare ſupernaturalē cognitionē.

13 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo maiorem: Scientia per ſe infuſa ſupernaturalis eſt illa, per quam res in proprio genere ſupernaturaliter cognoſcuntur, cognitione inacquiſibili ab aliqua creatura concedo maiorem; cognitione acquiſibili ab aliqua creatura nego maiorem; diſtinguo ſimiliter minorem, & diſtinguo conſequens: ergo cognovit illa per ſcientiam ſupernaturalem infuſſam per accidens omitto conſequens; per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam nego conſequentiam. Solutio patet per dicta, & præſertim *numer.* 6. & 9. & ad hominem contra Ill. Godoy per dicta *num.* 10. quin argumentum ipſius alia indigeat ſolutione.

§. II.

Statuitur ſecunda concluſio, & probatur.

14 *2. Concluſio* SEcunda concluſio: *Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſſam ſupernaturalem non cognovit quidditativè dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta.* Hæc concluſio eſt contra Ill. Godoy *num.* 41. & probatur breviter: Species omnium donorum ſupernaturalium, quæ ſunt de facto producta, poſſunt acquiri ab aliqua creatura, nempè, ab Angelo, vel ab anima ſeparata: ergo & cognitio illorum: ergo illorum cognitio non pertinet ad ſcientiam per ſe infuſſam: ergo Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſſam ſupernaturalem non cognovit quidditativè dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta.

Probatur.

15 *Ampliùs probatur contra Ill. Godoy.* Vltrà hanc tamen probationem, quæ eſt ſolidum noſtrum fundamentum, poteſt ſic contra Ill. Godoy probari concluſio: vnio hypoſtatica nequit quidditativè cognoſci per ſcientiam infuſſam: ergo Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſſam ſupernaturalem non cognovit quidditativè dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta. Probatur antecedens: vnio hypoſtatica pertinet ad ordinem ſuperiorem, ad quam pertinet ſcientia infuſſa; ſed quod pertinet ad ordinem ſuperiorem nequit cognoſci quidditativè per ſcientiam pertinentem ad ordinem inferiorem: ergo vnio hypoſtatica nequit quidditativè cognoſci per ſcientiam infuſſam. Maior eſt certa; nam vnio hypoſtatica pertinet ad ordinem hypoſtaticum, qui eſt ſuperior ordine gratiæ; ad quem ſcientia infuſſa pertinet. Probatur minor: gratia habitualis nequit quidditativè cognoſci per cognitionem naturalem, quia eſt inferioris ordinis ad illam: ergo quod pertinet ad ordinem ſuperiorem nequit cognoſci quidditativè per ſcientiam pertinentem ad ordinem inferiorem.

16 *Reſpondet Ill. Godoy.* Reſpondet Ill. Godoy *num.* 65. diſtinguendo vltimum antecedens: quia eſt inferioris ordinis, inferioritate generica concedit antecedens; inferioritate tantum ſpecifica negat antecedens, & diſtinguit ſimiliter conſequens.

Impugnatur. Impugnatur ſolutio: ergo ſi gratia habitualis eſſet ſuperior cognitione naturali, ſuperioritate tantum ſpecifica intra eundem ordinem, poſſet cognitione naturali quidditativè cognoſci: ergo per ſcientiam infuſſam poteſt Trinitas quidditativè cognoſci, quod eſt contra Ill. Godoy *diſp.* 36. Probatur hæc conſequentia: Trinitas eſt ſuperior ſcientia ſupernaturali infuſſa, ſuperioritate tantum ſpecifica intra eundem ordinem: ergo per ſcientiam infuſſam poteſt Trinitas quidditativè cognoſci. Antecedens patet: quia Trinitas, & ſcientia ſupernaturalis infuſſa conveniunt genericè in ordine ſupernaturali; nam vtrumque eſt ſupernaturale. Conſequentia legitimè infertur.

17 *Arguit Ill. Godoy.* Arguit Ill. Godoy contra hanc noſtram concluſionem *num.* 41. ratione D. Thomæ: nam omnia, quæ hominibus per revelationem innoteſcunt, fuerunt ab anima Chriſti per ſcientiam infuſſam ſupernaturalem cognita; ſed dona ſupernaturalia creata innoteſcunt hominibus per revelationem: ergo illa cognovit Chriſtus

per

per scientiam supernaturalē infusam.

18 *Confirmatur.* Quod autem illa quidditativè cognoverit, probat etiam ratione D. Thomæ *num.* 42: nam per scientiam infusam supernaturalem fuit reducta ad actum omnis potentia obedientialis, quæ in anima Christi invenitur in ordine ad cognitionē rerum, quæ extra Verbum haberi potest; sed dona supernaturalia creata possunt extra Verbum quidditativè cognosci; & consequentèr ad huiusmodi cognitionē est anima Christi in potentia obedientiali: ergo fuerunt ab anima Christi cognita quidditativè per scientiam supernaturalem infusam. Minor, in qua sola posita est difficultas, probatur: id enim, quod potest per speciem propriam clarè, & evidentèr cognosci, potest extra Verbum quidditativè cognosci; sed nulla est implicatio, in eo quod dona supernaturalia creata per propriam speciem clarè, & quidditativè repræsentētur; cum sint finitæ quidditatis; & consequentèr finitæ cognoscibilitatis; ac proindè repræsentabiles per speciem finitam, licuti & per finitam cognitionem cognoscibiles: ergo possunt extra Verbum quidditativè cognosci.

19 *Amplius confirmat.* Quod amplius explicat, & confirmat *num.* 43. in hunc modum: si aliqua dona creata nō possent in se ipsis extra Verbum quidditativè cognosci, illa essent, quæ cum Deo Trino, & Vno *obiectivè* connectuntur, vt gratia habitualis, lumen gloriæ, visio beatifica, & virtutes Theologicæ; sed hæc possunt cognosci quidditativè extra Verbum: ergo, & omnia dona gratiæ. Minor probatur: licèt hæc dona obiectivè connectantur cum Deo, possunt per speciem propriam supernaturalem, & creatam in se ipsis quidditativè repræsentari; sed quæ per propriam speciem repræsentantur, possunt illa mediante in se ipsis quidditativè cognosci: ergo possunt huiusmodi dona quidditativè extra Verbum cognosci. Minor videtur certa; nam omnis species repræsentativa obiecti potest esse principium cognitionis illius; sed species immediatè repræsentans huiusmodi dona nequit esse principium cognitionis illorum in Verbo; nam visio beatifica, quæ ad res creatas in Verbo terminatur soli Divinæ essentiæ potest inniti, vt vnitæ per modum speciei immediatè Deum repræsentantis, & illo mediante creaturas: ergo quę per propriam speciem repręsentantur, vel possunt repræsentari, possunt immediatè in se ipsis quidditativè cognosci.

20 *Maiorem probat.* 1. Maiorem autem probat primò: nam ista dona sunt limitatę quidditatis: ergo finitæ repræsentabilitatis; & consequentèr per speciem limitatam, & finitam possunt quidditativè repræsentari. *Secundò.* Secundò: quia namquè sunt finitæ, & limitatæ quidditatis, possunt per cognitionē finitam quidditativè attingi: ergo ex eadem ratione possunt quidditativè per speciem creatam repræsentari. *Tertiò.* Denique: nam si non possent per speciem finitam repræsentari quidditativè, maximè, quia terminantur ad Deum, vt est in se, qui per speciem creatam repræsentari quidditativè non potest; sed hæc ratio est nulla: ergo possunt prædicta dona per speciem propriam in se ipsis quidditativè repræsentari. Probatur minor: vt enim respectivum alicuius extrinseci, seu respiciens aliquem terminum, repræsentetur quidditativè, non est necessarium, quod terminus inspectus repræsentetur quidditativè, sed sufficit repræsentari quoad *an est*; ordo enim dependentię, quem creaturę dicunt ad Deū, quidditativè repræsentatur, termino istius ordinis, scilicèt, Deo, non repræsentato quidditativè, sicut quidditativè cognoscitur, Deo quidditivè non cognito: ergo quod predicta dona Deum respiciant, vt terminum, vel obiectum, non obstat, quominus possint per speciem creatam quidditativè repræsentari, Deo ab illis inspecto, quidditativè non repræsentato.

21 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: omnia, quæ hominibus per revelationem innotescunt, fuerūt cognita ab Anima Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam per se, vel per accidens concedo maiorem; per scientiam per se infusam præcisè nego maiorem: & concesa minori, distinguo consequens: ergo illa cognovit Christus per scientiam supernaturalem per accidens infusam concedo consequentiā; per se infusam nego consequentiam.

22 *Ad confirmat.* Ad probationem de quidditativa cognitione respondeo distinguendo maiorem: per scientiam per se, vel per accidens infusam supernaturalem

fuit reducta ad actum omnis potentia obedientialis, quæ in anima Christi invenitur in ordine ad cognitionem rerum, quæ extra Verbum haberi potest, concedo maiorem; per scientiam per se infussam præcisè nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens: ergo fuerunt ab anima Christi cognita quidditativè per scientiam supernaturalem per accidens infussam concedo consequentiam; per se infussam nego consequentiam. Vndè patet: quod nec probatio minoris, nec illius confirmatio nobis nocet, vtpotè, concedimus minorem, vt concessa manet.

23 *Ostenditur falsitas 3. concluſ. Ill. Godoy. 1.*

Ex his manifestè apparet falsitas tertiæ conclusionis, quam adducit Ill. Godoy *numer. 71.* scilicèt: *Quod visio beatifica, vnio hypostatica, & alia dona intrinsicè supernaturalia, cognoscuntur ab anima Christi Domini comprehensivè per scientiam supernaturalem per se infussam*; de hac enim loquitur, vt notatum est *vbi num. 1.* Ratio est manifesta: nam anima Christi non cognoscit quidditativè dona prædicta per scientiam supernaturalem per se infussam: ergo nec comprehensivè. Consequentia est evidens. Antecedens autem probatum manet *num. 14.*

24 *2. Potest ostendi.*

Vltrà hoc tamen potest sic ostendi falsitas tertiæ conclusionis Ill. Godoy: si scientia infussa esset comprehensiva vnionis hypostaticæ, sequeretur contradictio: ergo Christus per scientiam supernaturalem non cognovit comprehensivè omnia dona supernaturalia. Probatur antecedens: sequeretur: scientiam infussam esse, & non esse inferioris ordinis, & entitatis respectu vnionis hypostaticæ; sed hæc est contradictio: ergo si scientia infussa esset comprehensiva vnionis hypostaticæ, sequeretur contradictio. Probatur maior: in primis esset inferioris ordinis, vt supponitur ab Ill. Godoy *num. 56.* deindè non esset inferioris ordinis: ergo sequeretur: scientiam infussam esse, & non esse inferioris ordinis, & entitatis respectu vnionis hypostaticæ. Probatur antecedens: esset comprehensiva vnionis: ergo esset, & non esset inferioris ordinis. Probatur consequentia: inconveniens deductum ab Ill. Godoy, vt videri est ipso *disput. 33. num. 46. & alibi*, ex eo, quod cognitio creata esset comprehensiva Dei, est, quod esset, & non esset inferioris ordinis, & entitatis respectu Dei; sed hoc ideo est, quia esset inferioris ordinis, vt supponitur; & non esset, quia esset comprehensiva Dei: ergo similiter.

§. III.

De cognitionibus cordium, & futuris contingentibus.

TErtia conclusio: *Anima Christi Domini non cognovit per scientiam supernaturalem per se infussam occultas cordium cognitiones, nec futura libera contingentia.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num. 142.* Illam tamen expræsè docuit D. Thomas *in 3. dist. 14. quæst. 1.* vbi tractando de scientia, qua anima Christi cognovit res in proprio genere, *in artic. 3.* sic inquirit: *Vtrùm anima Christi secundum illam scientiam, qua cognoscit res in proprio genere, cognoscat omnia?* Et respondet: hoc genere cognitionis non cognoscere omnia, dicens sic: *Non negatur omnia cognoscere huiusmodi cognitionis genere animam Christi, quia species se invicem in intellectu impediunt; sed quia quædam cognoscibilia excedunt omnem speciem creatam, sicut Essentia Dei, & quædam contingentia singularia, nempè, futura.* Idem docuit *in quæst. 20. de Veritate, artic. 6.* per hæc verba: *Sed quædam sunt, ad quæ naturalis cognitio nullomodo potest se extendere, sicut est ipsa Divina essentia, futura contingentia, & cogitationes cordium, & alia huiusmodi, & horum anima Christi non habuit scientiam per modum istum, sed cognovit ea in Verbo.* Deniquè: *3. part. quæst. 11. artic. 1.* inquirit: *Vtrùm secundum scientiam inditam, vel infussam Christus omnia sciat?* Et respondet: *Christum cognoscere quæcumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, vt sunt scientiæ humanæ. Secundò: quod per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quæ per revelationem Divinam hominibus innotescunt; ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit, sed solum per primam, de qua suprà dictum est.*

25 *3. Conclusio*

D. Thom.

Ex quibus verbis sic primò probatur contra Ill. Godoy conclusio: conclusio, quam expræsis verbis negat D. Thomas, ab Ill. Godoy affirmari nequit; sed animam Christi scientia infussa cognoscere certò, & evidenter futura contingentia, & cogitationes cordium, expræsis verbis negat Div. Thomas, vt claret: ergo conclusio

26 *Probat. 1. concl. cõtra Ill. Godoy ex verbis D. Thom.*

nos-

noſtra eſt evidens. Si dicas: D. Thom. loqui de cognitione intuitiva; non verò de abſtractiva cognitione. Contra: non ſolum intelligendus eſt Div. Thomàs in ſenſu explicato; ſed etiam in hoc, quod ſcientia infuſa futura contingentia certò, & evidenter non cognoſcantur cognitione quidditativa ab anima Chriſti Domini, nec abſtractivè: ergo ruit explicatio. Probatur antecedens, ponderando rationem Div. Thomæ: futurum contingens, vt cognoſcibile, excedit omnem ſpeciem creatam; ſed quod excedit omnem ſpeciem creatam, nequit cognoſci ſcientia infuſa: ergo nec abſtractivè cognoſci valent per ſcientiam infuſam. Minor eſt certa; quia ſcientia infuſa datur per ſpeciem creatam infuſam. Maiorem probo: futurum contingens excedit omnem ſpeciem creatam ſic, quod nec abſtractivè quidditatem eius ſcientia infuſa, ſeu ſpecie creata, cognoſci valeat: ergo futurum contingens, vt cognoſcibile, excedit omnem ſpeciem creatam. Probatur antecedens: Scientia Divina excedit omnem ſpeciem creatam in cognoſcibilitate paſſiva ſic, quod nec abſtractivè quidditativè cognoſci queat ſpecie creata infuſa: ergo futurum contingens excedit omnem ſpeciem creatam ſic, quod nec abſtractivè quidditatem eius ſcientia infuſa, ſeu ſpecie creata, cognoſci valeat. Probatur conſequentia: eodem modo excedit (ait D. Thomàs) futurum contingens ſpeciem creatam; ac eſſentia Divina; ſed per te, & per Divum Thomam, ſcientia Divina excedit omnem ſpeciem creatam in cognoſcibilitate paſſiva, ſic, quod nec abſtractivè quidditativè cognoſci queat ſpecie creata infuſa: ergo futurum contingens excedit omnem ſpeciem creatam ſic, quod nec abſtractivè quidditatem eius ſcientia infuſa, ſeu ſpecie creata, cognoſci valeat. Maior patet verbis illius ſuprà relatis; minor, & conſequentia tenent.

Dices.

Contrà.

27 *Probat. 1. concluſio.*

Probatur ſecundò ratione D. Thomæ: ſi futurum contingens cognoſcibile eſt ſcientia infuſa certò, & evidenter, vel eſſet contingens eo, quod fuit revelatum, ſic; quod revelatio Divina ſit ratio cognoſcendi; vel per ſpecies proprias repræſentantes illa futura? Primum dici nequit; quia quæ cognoſcuntur revelatione Divina, tanquam ratione formali, non cognoſcuntur certò, & evidenter ſcientia infuſa; teſtimonium enim, & revelatio non poſſunt evidenter rem teſtificatam manifeſtare; ſed ſolum authoritate, & in vi ipſius loquentis, licèt ipſa teſtificatio evidenter ſit cognita, quod ſit à tali atteſtante, quod eſt revelationem ipſam eſſe manifeſtam; non verò rationem manifeſtandi clarè, & evidenter rem teſtificatam, & licèt hoc ita ſit, non abſtrahitur à linea cognitionis obſcuræ, ſivè fidei, vel revelantis. Secundum etiam dici nequit; quia futurum contingens excedit omnem ſpeciem creatam repræſentantem illa futura, vt patet ex verbis D. Thomæ ſuprà relatis.

28 *Confirmatur.*

Confirmatur: vel iſta ſpecies repræſentat tantum naturam, & quidditatem obiecti; vel ipſam futuritionem? Primum non ſufficit ad hoc, vt dicantur cognoſci futura contingentia certò, & evidenter; quia hic non quæritur de ſpecie repræſentante quidditatem, ſed de ſpecie repræſentante futurum. Secundum repræſentari non poteſt; quia vel repræſentaret futuritionem in ipſa re, vel in ſua cauſa? In ipſa repræſentari non poteſt certò, & evidenter, quia in ſe ipſa eſt contingens; in cauſa autem ſi eſt creata, etiam contingenter, & indeterminatè continet; ſi increata, & Divina, hæc nequit aliqua ſpecie creata repræſentari, vt D. Thom. tenet. Et deniquè: nec poteſt videri futurum in propria menſura, cum non ſit; nec in menſura æternitatis, quia ſpecies creata non poteſt æternitatem repræſentare: ergo futura prædicta nequeunt repræſentari per ſpeciem, iuxta D. Thomam, & conſequenter nequeunt per ſcientiam infuſam cognoſci.

29 *Dices.*

Dices: poſſe dari ſpeciem repræſentantem futurum, etiam quantum ad rationem futuritionis, quæ non repræſentatur, niſi per habitudinem ad concurſum Dei ad extra, qui dabitur in tali tempore, in quo illud futurum producitur; cum tàm res, quàm ipſa futuritio, ſit aliquid creatum: ergo repræſentabile per ſpeciem creatam. Contrà: modò in ſpeciebus Angeli reperitur huiuſmodi repræſentantio; ſed tamen non cognoſcunt futura contingentia evidenter,

Contrà.

vt ait D. Thomas 1.*p.q.*57: ergo ruit ſolutio. Maior probatur: quia ſpecies Angeli repræſentant res, vt dependentes à Divino concurſu, quando exiſtunt: ergo habent ſpeciem Divini concurſus circà talem rem, non de nobo infuſſam, quando illa producitur: ergo à principio habitum: ergo per illam poterunt cognoſcere futurum contingens.

30 *Reſpondet Ill. Godoy. ad prob. concluſionis*

Ob hæc igitur Ill. Godoy *num.*149. reſpondet ad probationes prædictas cum Caietano *in præſ. art.*1. *circa ſolutionem ad* 3. D. Thom. ſententiam, quam in allegatis locis tenuerat, retractaſſe *in præſ. artic.* 1. præcipuè *in ſolut. ad* 3. illis verbis: *Quia igitur Chriſtus habuit plenitudinem Prudentiæ ſecundum donum conſilij; conſequens eſt, quod cognoſcat omnia ſingularia, præſentia, præterita, & futura.*

31 *Impugnat.*

Hæc tamen ſolutio minus placere poterat, attendendo, quod Theologi Romani Prædicatores, qui *anno* 1570. Romæ opera D. Thomæ ediderunt, aiunt: *Tertiam partem D. Thomæ morte præventus imperfectam reliquiſſe.* Et Brebiarum Romanum antiquum *Fol.* 216. ait: *Certiſſimum tamen eſt Harricum, Gerrichem, Benedictinum ad præfactam tertiam partem addiſſe à quæſt.* 90. *vſque ad finem, & nonaginta priores quæſtiones compleviſſe Patrem Alvertum de Brixia diſcipulum D. Thomæ, vt conſtat ex teſtimonio P. Vincentij Bandelli, & Anonimi Dominicani in ſua hiſtoria via* 3. *ratione* 9. *Authoritate* 84. Et quod Scriptores Dominicani non agnoverint tertiam partem, & textum proprium D. Thomæ, ex eo patet; quia P. Nicolaus Emericus Inquiſitor Aragonenſis *anno* 1595. ſcripſit tractatum de ſcriptis D. Thomæ, & omnia citans, mentionem non facit de tertia parte. Idē facit P. Girandus Rinerus. Hoc nobis ſufficiens erat pro impugnatione ſolutionis Ill. Godoy; ſed quidquid ſit de mente D. Thomæ.

32 1. *Pars concluſionis à nobis probatur.*

A nobis probatur prima pars concluſionis: nam licèt de facto proptèr ſpecialem Dei providentiam ſecreta cordium etiam Angelis occultentur; illa tamen ſunt ab Angelo naturaliter cognoſcibilia, vt tenet Scotus, & dicitur *tract. de Angelis*: ergo ſecreta cordium non pertinent ad ſcientiam per ſe infuſſam: ergo anima Chriſti Domini non cognovit per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam occultas cordium cogitationes. Secunda conſequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti, vt ex dictis conſtat. Antecedens verò vt certum à nobis ſupponitur.

33 2. *Pars probatur.*

Secunda pars concluſionis probatur: nam futura contingentia, vel nulla ſpecie ſunt cognoſcibilia, vt aliqui Scotiſtæ tenent, Scotum pro ſe citantes *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 3. §. *ad quæſt.* verſ. *Etſi dicatur.* Vel ſunt cognoſcibilia per ſpeciem ab aliqua creatura acquiſibilem, vt alij tenent Scotiſtæ, citantes pro ſe Scotum *in* 3. *cit.* verſ. *Quod ſi alicui.* Si primum: ergo futura contingentia non ſunt cognoſcibilia per ſcientiam infuſſam, ſivè per ſe, ſivè per accidens; illius namquè, cuius nulla eſt poſsibilis ſpecies, nulla eſt dabilis ſcientia infuſſa. Si ſecundum: ergo futura contingentia non ſunt cognoſcibilia per ſcientiam per ſe infuſſam, vt ſatis manet probatum, & conſequentèr anima Chriſti Domini non cognovit futura contingentia per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam.

34 *Arguit Ill. God. contra* 1. *p. concluſionis.*

Contra hanc concluſionem quoad primam partem arguit Ill. Godoy *num.*143: nam licèt cogitationes cordium non poſsint naturaliter cognoſci, niſi à Deo, vel ab ipſo cogitante, quod autem in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcantur, non implicat, & aliàs ad perfectionem Chriſti pertinet, quod illas in ſe ipſis cognoſcat: ergo ſic cognovit de facto; & conſequentèr per ſcientiam ſupernaturalem, quæ eſt principium cognitionis rerum in ſe ipſis. Maior oſtenditur. Primò: non enim poteſt aſsignari implicatio in eo, quod cogitationes cordium in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcantur. Secundò: nam Deus illas in ſe ipſis cognoſcit; at nulla eſt ratio, cur hæc perfectio cognitionis Divinæ nequeat ſupernaturaliter creaturæ communicari: ergo poteſt, & de facto fuit Chriſto communicata. Tertiò: nam in ſe ipſis habent determinatam veritatem, cognoſcibilitatem, & reptæſentabilitatem: ergo poteſt produci à Deo ſpecies, quæ illas in ſe ipſis repræſentet; & conſequentèr poterunt in ſe ipſis ſupernaturaliter cognoſcit. Deniquè: nam dominium voluntatis creatæ in proprias cogitationes, ra-

tio-

tione cuius nequeunt ab altero, quam à Deo naturaliter cognosci, non obstat quo minus cognosci valeant ab homine mediante Divina revelatione: ergo nec potest obstare, quin etiam possint in se ipsis cognosci per speciem supernaturalem, immediatè à Deo causatam.

Respondeo.

Respondeo negando suppositum maioris, scilicèt, quod cogitationes cordium non possint naturaliter cognosci, nisi à Deo, vel ab ipso cogitante; oppositum namquè, vt certum supposuimus, probando primam partem nostræ conclusionis, ad cuius veritatem necessarium est id, vt certum, supponere, & hoc ità supposito. Distinguo maiorem: non implicat, quod cognoscantur in se ipsis supernaturaliter per scientiam per accidens infusam concedo maiorem; per scientiam per se infusam nego maiorem, & concessa minori similiter distinguo consequens. Solutio patet ex dictis, quin obstent probationes maioris.

35 *Arguit cõtra 2. part. conclus.*

Contra secundam partem conclusionis etiam arguit *num.* 144: omnis enim perfectio possibilis, cum maiori perfectione non incompatibilis, est tribuenda animæ Christi; sed cognitio futurorum contingentium in se ipsis est possibilis, & cum maiori perfectione non imcompatibilis: ergo est Christo concedenda; & consequenter per scientiam supernaturalem infusam, quæ est principium cognitionis rerum in se ipsis, fuerunt de facto ab anima Christi cognita. Illatio est legitima. Maior constat ex sæpè dictis in discursu materiæ. Minor pro secunda parte probatione non indiget; non enim est dabilis aliqua maior perfectio, cum qua incompatiatur futurorum contingentium cognitio. Pro prima verò ostenditur primò: Deus enim futura libera contingentia in se ipsis cognoscit, & non est ratio, cur hæc perfectio Divinę cognitionis nõ sit creaturæ supernaturaliter communicabilis: ergo est possibilis cognitio creata futurorum contingentium in se ipsis. Secundò: nam futura contingentia ex suppositione decreti liberi Dei, de illorum existentia in tempore, habent in se veritatem determinatam obiectivam: ergo possunt per speciem à Deo infusam, vt in se ipsis repræsentari; ac proindè possunt in se ipsis ab intellectu creato supernaturaliter cognosci.

Respondetur.

Ad hoc argumentum Scotistæ tenentes, futura contingentia nulla specie esse cognoscibilia, respondere tenentur, negando minorem; tenentes verò, esse specie aliqua cognoscibilia, respondent concedendo syllogismum, & distinguendo consequens subillatum: per scientiam supernaturalem per se, vel per accidens infusam concedo consequentiam; per se infusam præcisè nego consequentiam. Quælibet solutio est sufficiens.

36 *Falsitas 5. conclusionis Ill. Godoy ostenditur.*

Ex his apparet falsitas quintæ conclusionis Ill. Godoy, quam tradit *numer.* 194. scilicèt: *Animam Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam, & si cognoverit futura contingentia in se ipsis; non tamen illa cognovisse per notitiam propriè intuitivam.* Ratio est clara: nam nequit anima Christi per scientiam supernaturalem per se infusam cognoscere abstractivè futura contingentia, quin ea per talem scientiam cognoscat; sed per talem scientiam illa non cognoscit, vt declaratum est: ergo nec abstractivè cognoscit futura contingentia per scientiam supernaturalem per se infusam.

§. IV.

De tota possibilium collectione.

37 *4. Conclusio*

SIt quarta conclusio: *Anima Christi Domini non cognovit possibilia per scientiam supernaturalem per se infusam.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 224. vbi supponit, animam Christi Domini aliqua possibilia cognoscere per talem scientiam; & probatur: aliqua creatura, nempè, Angelus, potest formare speciem cuiuscumque possibilis: ergo cognitio de possibilibus non spectat ad scientiam per se infusam: ergo anima Christi Domini non cognovit possibilia per scientiam supernaturalem per se infusam. Nec Scotus obest *in 3. dist. 14. quæst. 3. §. ad quæst.* vers. *De cognitione abstractiva*, quia ibi solum affirmat, Christum Dominum per proprias species cognovisse quidditates rerũ; non verò determinat, prædictas species, aut cognitiones indè ortas, spectare ad scientiam per se, aut per accidens infusam.

Est contrà Ill. Godoy.

Et probat.

Scotus non obest.

38 *Impugnatur 6. concl.*

Contra hanc solutionem nihil objicit Ill. Godoy; nos verò aliqua habe-

mus

Ill. Godoy.

mus obijcienda contra suam conclusionem. Conclusio igitur ab ipso statuta *num.* 224. est hæc: *Non implicat totam possibilium collectionem extra Verbum quidditativè cognosci; de facto tamen non fuit ab anima Christi cognita*; quam sic impugno: dato, quod non implicet, totam possibilium collectionem extra Verbum quidditativè cognosci ab anima Christi, sic de facto esse cognitam, asserendum est: ergo falsa est Ill. Godoy conclusio. Probatur antecedens: dato, quod non implicet, intellectum creatum Divina intellectione esse sapientem, asserendum est, de facto intellectum animæ Christi per illam intellexisse: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy *disput.* 31. *num.* 155. Consequentia est paritate certa.

39 *Probatur cõsequentia*

Et vltra probatur: ideò iuxtà Ill. Godoy *citat.* dato, quod non implicet, intellectum creatum Divina intellectione esse sapientem, asserendum est, de facto intellectum animę Christi per illam intellexisse, quia Christo concedendum est quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involvitur; sed animam Christi Domini cognoscere quidditativè extra Verbum totam possibilium collectionem, dignitatis maximæ est: ergo dato, quod non implicet, totam possibilium collectionem extra Verbum quidditativè cognosci ab anima Christi, sic esse cognitam de facto, asserendum est. Ex hac contra Ill. Godoy ad hominem paritate plures alias deducere poteram, sed quia nulla maiorem vim habere potest, eas omitto, & ad responsionem, quam in generali ipse adducit, progredior.

40 *Responsio generali Ill. Godoy.*

Licet enim hoc argumentum sibi non fecit, responsionem generalem tradit *numer.* 238. ad omne id, quod contra ipsum obijci potest. Respondet itaque: maximam illam: *Christo concedendum est, quidquid dignitatis est*, Intelligendam esse de dignitate possibili, servato modo connaturali, debito animæ rationali.

41 *Contra 1.*

Sed contra primò: inconnaturalitas non obest, vt Christo concedatur quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involvatur: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: intellectus Christi creatus per intellectionem increatam non intelligeret modo connaturali; sed hoc non obest, vt dato, quod non implicet, intellectum creatum Divina intellectione esse sapientem, de facto intellectus animæ Christi per illam intellexisset: ergo inconnaturalitas non obest, vt Christo concedatur quidquid dignitatis est, si in eo nulla involvatur repugnantia. Probatur maior primò: ideò anima Christi Domini non cognosceret omnia possibilia modo connaturali, quia non est connaturale intellectui, plura, vt plura, simul intelligere; sed intellectus Christi creatus plura, vt plura, simul intelligeret per intellectionem increatam, vt est manifestum: ergo intellectus Christi creatus per intellectionem increatam non intelligeret modo connaturali. Maior est Ill. Godoy *num.* 237. Minor, & consequentia tenent.

Maior probatur 1.

Probatur secundò eadem maior: ideò anima Christi Domini non cognosceret omnia possibilia modo connaturali, quia si vnico actu cognosceret, necessariò requireretur vna species vniversalissima, excedens vniversalitatem specierum omnium Angelorum; sed si intellectus Christi creatus intelligeret intellectione increata, necessario requireretur species vniversalissima, excedens vniversalitatem specierum Angelorum omnium: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *num.* 237. Minor patet: nam intelligeret intellectione infinita, quæ requireret speciem infinitam.

42 *Secundò.*

Tertiò probatur maior prædicta: intellectus Christi creatus, etsi intelligeret per intellectionem increatam, adhuc etiam intelligeret per creatam intellectionem; sed hoc non alia ratione, nisi vt connaturalitèr intelligeret: ergo, &c. Maior est Ill. Godoy *disput.* 31. *num.* 172. Minor etiam est ipsius *citat. num.* 190. Consequentia constat: nam si intellectus Christi creatus intelligeret connaturalitèr per intellectionem increatam, superflueret creata intellectio, vt connaturalitèr intelligeret. Probatur quartò: intelligere per intellectionem increatam non est connaturale intellectui creato, vt de se patet: ergo intellectus Christi creatus per intellectionem increatam, non intelligeret modo connaturali.

43 *Tertiò.*

Quartò.

Contra secundò, & formatur replica ab oppositò: data non repugnan-

44 *Contra 2.*

tia

tia cognoscendi per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ scientiæ ad creatum intellectum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum: ergo anima Christi Domini modo connaturali cognosceret totam possibilium collectionem per prædictam scientiam; & consequenter solutio ruit. Probatur antecedens: data non repugnantia intelligendi intellectum creatum per intellectionem increatam, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ intellectionis ad creatum intellectum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy *disp.* 31. *num.* 168. vbi illud probat, & confirmat *num.* 169. Consequentia est paritate notoria.

45 *Probatur cõsequentia*

Et vltrà probatur: magis inconnaturale est absolutè, intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam, quam intelligere per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem; sed iuxta Ill. Godoy data non repugnantia intelligendi intellectum creatum per intellectionem increatam; nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ intellectionis ad creatum intellectum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum: ergo data non repugnantia cognoscendi per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ scientiæ ad creatum intellectum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum. Probatur maior: id, quod est absolutè impossibile, est magis inconnaturale absolutè, quam id, quod est absolutè possibile; sed intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam, est absolutè impossibile; & intelligere per scientiam supernaturalem infusam totam possibilium collectionem, est absolutè possibile: ergo magis inconnaturale est absolutè, intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam, quam per scientiam supernaturalem infusam totam collectionem possibilium intelligere. Minor pro prima parte est Ill. Godoy *disput.* 31. *numer.* 38. & pro secunda est ipsius *in præsenti num.* 224. Maior vero ex terminis patet.

Arguit pro sua conclusione Ill. Godoy *num.* 236. (& omissa D. Thomæ authoritate) Primò sic: [illegible] est inconveniens, quod plura obiecta cognoscantur ab anima Christi per scientiam rerum extra Verbum, quam per cognitionem rerum in Verbo; sed per hanc non cognovit totam collectionem possibilium: ergo nec per scientiam supernaturalem infusam. Respondeo concessa maiori, negando minorem, cuius falsitas constat ex dictis *disput. præcedent.* Retorqueo etiam argumentum: inconveniens est, quod plura obiecta cognosci valeant ab anima Christi per scientiam rerum extra Verbum, quam per cognitionem rerum in Verbo; sed per hanc iuxta Ill. Godoy *disput. præced.* non valet cognoscere totam possibilium collectionem: ergo nec per scientiam supernaturalem infusam, quod est contra præsentem illius conclusionem.

46 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

Respondeo.

Retorqueo.

Arguit secundò *numer.* 237: nam licèt animæ Christi ratione coniunctionis ad Verbum sit debita omnis perfectio possibilis, quæ illi absquè inconnaturalitate potest competere, quæ tamen illi convenire non potest absquè inconnaturalitate, ei concedenda non est; nisi oppositum sit revelatum; sed omnium possibilium cognitio non potest convenire animæ Christi absquè inconnaturalitate: ergo illi attribuenda non est. Probatur minor: vel enim omnia possibilia pluribus actibus existentibus simul cognoscuntur, vel vnico? Si primum, cum intellectus non possit modo connaturali plura, vt plura simul intelligere, inconnaturali modo omnia possibilia cognoscuntur, hoc est; contra naturalem modum intelligendi intellectus, & contra naturalem modum existendi cognitionis, quæ aliam ab ipsa distinctam, ipsi non subordinatam, petit à subiecto excludere. Si secundum: necessariò requiritur vna species vniversalissima excedens vniversalitatem specierum omnium Angelorum; vt autem docet D. Thomas, anima Christi attento suo connaturali modo intelligendi, petit species non adæquantes Angelicas in vniversalitate, vt enim inquit D. Thom. *in quæst. hac artic.* 6.

47 *Arguit. 2.*

con-

connaturale eſt animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniverſalitate, quam Angeli: ergo omnium poſsibilium cognitio non eſt animæ Chriſti poſsibilis, ſervato modo connaturali intelligendi; & conſequentèr eſtò poſsibilis ſit, non eſt illi concedenda.

48 Hoc argumentum vim non habet contra Scotiſtas aſſerentes: Animam Chriſti per ſcientiam per accidens infuſſam omnia poſsibilia habitualitèr cognoviſſe; ſed quia alij ſunt, qui affirment, illa actualitèr cognoviſſe, quorum vtrumque eſt apud Scotum probabile, de quo videantur Scotiſtæ, & à quo abſtineo, quia littem circà hoc Ill. Godoy non proponit. *Reſpond.1.* Reſpondeo primò ad argumentum negando maiorem; quia Chriſto concedendum eſt, quidquid dignitatis eſt, ſi in eo nulla repugnantia involvitur, etiam ſi connaturale non ſit, vt patet ex dictis *num.*41. 42. & 43.

49 *Reſpond.2.* Reſpondeo ſecundò: omiſſa maiori, diſtinguendo minorem: ſed omnium poſsibilium cognitio per ſcientiam acquiſitam, vel acquiſibilem, non poteſt convenire animæ Chriſti abſquè inconnaturalitate concedo minorem; per ſcientiam ſupernaturalem, ſivè per ſe, ſivè per accidens infuſſam nego minorem; & per hoc patet ad probationem illius pro prima parte. Ratio eſt: nam licèt cognitio plurium obiectorum non ſit connaturalis animæ Chriſti, cognoſcenti per ſcientiam acquiſitam; poteſt tamen eſſe connaturalem illi, cognoſcenti per ſcientiam infuſſam; ſicut vnio Eſſentiæ Divinæ per modum ſpeciei, quæ connaturalis non eſt intellectui, corpori coniuncto, connaturalis eſt intellectui, lumine gloriæ perfuſſo.

50 *Retorq. 1.* Et ex hoc retorqueo primò argumentum: licèt vnio Eſſentiæ Divinæ per modum ſpeciei non ſit connaturalis intellectui, corpori coniuncto; eſt tamen connaturalis illi, lumine gloriæ perfuſſo: ergo licèt cognitio omnium poſsibilium non ſit connaturalis animæ Chriſti per ſpeciem adquiſitam, vel adquiſibilem, erit illi connaturalis per ſpeciem ſupernaturalem infuſſam. Antecedens eſt Ill. Godoy *diput.* 31. *numer.* 168. & 169. Conſequentia paritate conſtat. Retorqueo ſecundò: licèt vnio intellectionis increatæ (poſsibilitate admiſſa) cum intellectu creato non ſit illi connaturalis præciſivè ab omni dono, poteſt tamen fieri connaturalis ipſi per aliquod donum: ergo pariter. Antecedens eſt ipſius *citat.* Conſequentia eſt paritate certa. *Retorq. 2.*

Retorqueo tertio reſumendo de futuris argumentum, quod de poſsibilibus facit Ill. Godoy: nam licèt animæ Chriſti ratione coniunctionis ad Verbum ſit debita omnis perfectio poſsibilis, quæ illi abſquè inconnaturalitate poteſt competere, quæ tamen illi convenire non poteſt abſquè inconnaturalitate, ei concedenda non eſt, niſi oppoſitum ſit revelatum; ſed omnium futurorum cognitio non poteſt convenire animæ Chriſti abſquè inconnaturalitate: ergo illi attribuenda non eſt. Probatur minor: vel enim omnia futura pluribus actibus exiſtentibus ſimul cognoſcuntur, vel vnico? Si primum; cum intellectus non poſsit modo connaturali plura, vt plura, ſimul intelligere, inconnaturali modo omnia futura cognoſcuntur, hoc eſt, contra naturalem modum intelligendi intellectus, & contra naturalem modum exiſtendi cognitionis, quæ aliam ab ipſa diſtinctam ipſi non ſubordinatam, petit à ſubiecto excludere. Si ſecundum: neceſſariò requiritur vna ſpecies vniverſaliſsima, excedens vniverſalitatem ſpecierum Angelorum omnium; vt autem docet D. Thomàs, anima Chriſti, attento ſuo connaturali modo intelligendi, petit ſpecies, non adæquantes Angelicas in vniverſalitate, vt enim inquit D. Thomàs *in quæſt. hac artic.*6. connaturale eſt animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniverſalitate, quam Angeli: ergo omnium futurorum cognitio non eſt animæ Chriſti poſsibilis, ſervato modo connaturali intelligendi; & conſequentèr eſtò poſsibilis ſit, non eſt illi concedenda, quod eſt contra ipſum, *num.*142. 51 *Retorq. 3.*

§. V.

Statuitur quinta concluſio, & probatur.

QVinta concluſio: *Anima Chriſti Domini per ſcientiam ſupernaturalem per accidens infuſſam cognovit, tùm omnia, quæ poſſunt ab* 52 *5. Concluſio*

ho-

homine per virtutem intellectus agentis cognosci; tum omnia dona supernaturalia, quæ sunt de facto producta; tum cogitationes cordium; tum futura libera contingentia, dato, quod sint specie cognoscibilia; tum denique collectionem omnium possibilium. Quod probatur: Scientia per accidens infusa est illa, quæ ab aliqua creatura creata, vel creabili, acquiri valet; sed horum omnium scientia acquiri valet ab aliqua creatura creata, vel creabili: ergo cum omnia illa Christus cognoverit per scientiam supernaturalem infusam, in quo non est litigium, illa cognovit per scientiam per accidens infusam. Maior constat ex dictis *num. 5. & sequentibus.* Minor claret ex præiactis conclusionibus. Consequentia est legitima. Et hoc est, quod dumtaxat, & optimè probat Ill. Godoy, vt constat ex solutionibus, ad argumenta illius traditis, quin contra hoc nobis aliquid opponat.

Probatur.

***

rationes, quibus *tom. 1. in 1. Sentent. disput. 11.* probavimus contra ipsum possibilitatem speciei impressæ, Deū quidditativè repræsentantis. Et nunc brevitèr probatur, species impressa Deum quidditativè abstractivè repræsentans non repugnat: ergo nec repugnat scientia infusa, Deum quidditativè abstractivè cognoscens. Atqui talem scientiam habere, est maxima Christi excellentia: ergo illi tribuenda est: ergo Anima Christi cognovit per scientiam supernaturalem infusam Essentiam Dei quidditativè abstrativè. Omnia sunt vera, si verum est antecedens.

3 *Antecedens ostendit. 1.*

Antecedens autem, in quo est difficultas, ostendi potest successu Pauli, videntis Deum in raptu, nam, illo transacto, recordabatur Dei per speciem à Deo derelictam, vt testatur 2. *ad Corinth. cap. 12*; sed talis species est repræsentatio (sicut recordatio est cognitio) Dei quidditativa, non intuitiva, cum non sit obiecti præsentis: ergo abstractiva: ergo species impressa Deum quidditativè abstractivè repræsentans non repugnat. Sed licèt optima sit hæc probatio, melius tamen probatur per solutionem argumentorum, quæ contra nos obijcit Ill. Godoy.

Secundò.

4 *Arguit. 1. Ill. Godoy.*

Arguit primò *num. 5.* contra nostram conclusionem: cognitio non intuitiva Dei petit speciem creatam Dei repræsentativam; nam quæ fit mediante Divina essentia vnita per modum speciei, necessario est intuitiva: sed implicat species creata quidditativa Dei: ergo implicat cognitio quidditativa Dei; & consequentèr Anima Christi non cognovit Dei essentiam quidditativè abstractivè.

5 *Minorem probat. 1.*

Minor, inqua est difficultas, probatur ab Ill. Godoy quadruplicitèr. Primò: nam species quidditativè repræsentans obiectum, debet esse eiusdem speciei, vel magis ipsa quidditas obiecti in esse repræsentativo; sicut forma domus, quæ in mente Artificis est, est eiusdem speciei cum forma domus, quæ est in materia, vel potius species eius; sed implicat forma creata, quæ sit eiusdem speciei cum Divina natura, vel ipsa quidditas Dei, etiam in modo essendi intentionali, & intelligibili: ergo implicat species creata quidditativè Dei essentiam, vel naturam repræsentans.

Secundò.

Secundò: nam repræsentatio, vel fundatur in dependentia, vel in convenientia cum obiecto repræsentato; sed repræsentatio speciei non fundatur in dependentia; hæc enim est propria signi instrumentalis, species autem non instrumentalitèr, sed formalitèr repræsentat: ergo fundatur in convenientia speciei cum obiecto, quod repræsentat: ergo ad repræsentandam rationem genericam, exigitur convenientia generica, & ad repræsentandam rationem specificam, specifica convenientia requiritur; sed implicat forma creata specificè conveniens cum Deo: ergo & forma creata repræsentans quidditatem, vel essentiam Divinam.

6 *Tertiò.*

Tertiò: nam species, vtpotè, virtus obiecti, debet cum illo convenire in gradu immaterialitatis, sicut potentiæ operativæ, quia sunt virtutes naturæ radicalitèr operativæ, in gradu immaterialitatis conveniunt cum illa, v.g. intellectus, & voluntas Angeli, sunt eiusdem gradus immaterialitatis cum Angelo, intellectus, & voluntas animæ rationalis, cum illa in gradu immaterialitatis conveniunt; sed implicat forma creata cum Deo conveniens in gradu immaterialitatis; gradus enim immaterialitatis Divinæ consistit in exclusione materiæ physicæ, & methaphysicæ, & totius potentialitatis, quæ exclusio omni formæ creatæ, & creabili repugnat; omnis enim entitas creata potentialis ad essendum est: ergo implicat forma creata Dei essentiam quidditativè repræsentans.

Quartò.

Denique probatur: non enim minor proportio, seu convenientia, requiritur inter speciem quidditativam, & obiectum, quam inter potentiam connaturalitèr intellectivam, & obiectum intelligibile; sed implicat potentia creata connaturalitèr intellectiva Dei quidditativè: ergo implicat species creata quidditativè Dei representativa.

7 *Respondeo ad argum. & ad 1. probat. minor.*

Respondeo ad argumentum, negando minorem, ad cuius primam probationem distinguo maiorē: species quidditativè repræsentans obiectum debet esse eiusdem speciei, vel magis ipsa quidditas obiecti in esse repræsentativo, extrinsicè, vel terminativè concedo maiorem; intrinsicè nego maiorem; distinguo simili-

tèr

tèr minorem, & nego consequentiam. Itaquè, sufficit in specie impressa specifica cum obiecto convenientia extrinseca, & terminativa in esse representativo, quæ consistit in eo, quod speciei representatio terminetur ad prædicata specifica obiecti, sicut hæc sufficit in specie expressa; imò & in forma domus, quæ in mente Artificis est; hæc enim, vtpotè, accidens, non est intrinsicè eiusdem speciei cum forma domus, quæ est in materia; est namquè substantia. Ex quo argumentum retorqueo.

8 *Alitèr respond. ad 1. probat.*

Alitèr etiam respondeo ad primam probationem, omissa maiori, negando minorem; quia non implicat, quod forma creata fiat Deus representativè, seu in esse intentionali, seu intelligibili: ergo nec implicabit forma creata, quæ in esse intentionali, & intelligibili, sit eiusdem speciei cum Divina natura, vel ipsa quidditas Dei. Consequentia est notoria; nam quod est Deus, eo modo, quo Deus est, est eiusdem speciei cum Divina natura, vel ipsa quidditas Dei: ergo si non implicat, quod forma creata fiat Deus representativè, seu in esse intentionali, seu intelligibili; nec implicabit forma creata, quæ in esse intentionali, & intelligibili, sit eiusdem speciei cum Divina natura, vel ipsa quidditas Dei.

9 *Probatur antecedens triplici paritate. Prima paritas. Secunda. Tertia.*

Antecedens autem probatur triplici paritate. Prima est: non est inconveniens, quod per speciem expressam intellectus humanus fiat Deus representativè: ergo similitèr. Secunda: non est inconveniens, quod per gratiam habitualem homo fiat Deus per participationem: ergo paritèr. Tertia est ad hominem contra Ill. Godoy: non implicat, quod accidens fiat substantia representativè, vt constat in forma domus, quæ est in mente Artificis, quæ representativè sit forma domus, quæ est in materia; & constat etiam vniversalitèr in omni specie representativa substantiæ, ex quibus etiam argumentum retorque.

10 *Ad 2. respondeo 1.*

Ad secundam probationem respondeo primò, concesso antecedenti, distinguendo primum consequens: ergo fundatur in convenientia in esse entis speciei cum obiecto, quod representat nego consequentiam; in esse representativo, subdistinguo: extrinsicè, seu terminativè concedo consequentiam; intrinsicè nego consequentiam; & similitèr distinguo consequens secundum cum sumpta, & nego vltimam consequentiam. Solutio constat ex dictis *num. 7.* *Secundò.* Respondeo secundò: concesso antecedenti cum vtraque consequentia, distinguendo sumptam: implicat forma creata specificè conveniens cum Deo, in esse entis concedo minorem; in esse representativo nego minorem, & consequentiam; cuius ratio sumitur ex triplici paritate proximè assignata, & retorque etiam.

11 *Ad 3. respondeo 1.*

Ad tertiam probationem respondeo primo, negando maiorem; quia immaterialitas speciei potiùs cum immaterialitate visionis eliciendæ, quam cum obiecto, debet proportionari. Ratio est: nam virtus derivata ab aliquo ad aliquem effectum, potiùs proportionari debet cum effectu, ad quem producendum ordinatur, quam cum causa, à qua derivatur; sed species est virtus derivata ab obiecto, & ad producendam visionem ordinata: ergo species potiùs cum visione elicienda, quam cum obiecto, proportionari debet.

12 *Secundò.*

Respondeo secundò negando maiorem propter aliam rationem: nã immaterialitas speciei potiùs commensuratur cum potentia, quam cum obiecto; quod firmatur primò: *Firmatur 1* nam quando obiectum est magis materiale, quam potentia (vt est obiectum sensibile compositum ex materia, & forma sensibili respectu potentiæ visibilis) requiritur species minus materialis, quam obiectum, & proportionata cum immaterialitate potentiæ. Quando verò obiectum est magis immateriale, quam potentia (vt est Angelus respectu sui intellectus; nam hic est qualitas inhærens apud Thomistas, & Angelus est substantia per se subsistens) requiritur species magis materialis, quam obiectum, & proportionata cum potentia: ergo immaterialitas speciei potiùs cum potentia, quam cum obiecto, commensuratur.

13 *Firmatur 2*

Firmatur secundò, assignando quatuor gradus immaterialitatis, à Thomistis communitèr declaratos. Primus est earum rerum, quæ habent esse in materia individuali, qua-

les sunt res materiales, & singulares. Immaterialitas huius gradus posita est in quadam actualitate sufficiente ad immutandam potentiam sensitivam, quæ potentia est aliquomodo supra materiam, & huic potentiæ sensitivæ correspondent species sensibiles, habentes eundem gradum immaterialitatis cum illa.

14 Secundus est earum rerum, quæ quodammodo sunt in materia sensibili, & individuali, & quodammodo sunt separatæ ab illa, vt sunt qualitates rerum materialium, quæ re ipsa habent esse in materia individuali, & sensibili, possunt tamen per intellectum separari ab illa. His correspondet virtus cognoscitiva, scilicèt, intellectus pro hoc statu, qui partim est in materia, scilicèt, in corpore, & partim est separatus, quia anima non dependet totalitèr à materia, pro quibus dantur species intelligibiles, quæ partim sunt separatæ à materia, & partim sunt in materia, quia dependet à phantasmatibus, repræsentantque res materiales.

15 Tertius est illarum rerum, quę habent esse separatum à materia sensibili physica, non verò methaphysica, quia non sunt actus puri, sed includunt potentialitatem ad esse, & operari. His correspondet potentia cognoscitiva separata à materia physica, scilicèt, intellectus Angelicus, pro quibus dantur species intelligibiles, ab eadem materia separatæ. Quartus est illius entis, qui est actus purissimus, separatus ab omni materia physica, & methaphysica, scilicèt, Deus, cui correspondet virtus intellectiva infinita, separata ab omni materia, & huic virtuti correspondet species ita immaterialis, scilicèt, Divina essentia.

16 Ex his habetur: immaterialitatem specierum magis commensurari cum potentijs, quam cum obiectis; nam in primo gradu, species sensibilis cum potentia sensibili. In secundo, species intelligibilis abstracta à phantasmatibus cum intellectu dependente à phantasmatibus. In tertio, species spiritualis cum intellectu separato, & independente à phantasmatibus. In quarto tandem, species purissima cum purissimo intellectu, Divino, scilicèt.

17 Respondeo tertiò distinguendo maiorem: species repræsentans obiectum adæquatè, adæquatione simpliciter, debet cum illo convenire in gradu immaterialitatis concedo maiorem; species repræsentans obiectum inadæquatè, vel adæquatè adæquatione secundum quid, seu comparativè ad actum nego maiorem, & concessa minori, similiter distinguo consequens.

Respond. 3.

18 *Pro declaratione nota.*

Pro declaratione solutionis notandum est: quod adæquatio repræsentantis ad repræsentatum est triplex. Prima: entitatis ad entitatem, & hæc consistit in hoc, quod entitas vnius sic adæquet entitatem alterius, quod cognita entitate repræsentantis, & entitas repræsentati cognoscatur, quomodo principia cum conclusione adæquantur. Secunda adæquatio attenditur secundum proportionem absolutè repræsentantis ad repræsentatum, & hæc consistit in hoc, quod ratio repræsentativa tantum repræsentet, quantum obiectum est repræsentabile; sicut species perfectissima albi repræsentans album, quantum est repræsentabile. Et hæc est adæquatio in repræsentando, licèt non essendo, seu entitativè.

19 Tertia denique adæquatio attenditur secundum proportionem repræsentantis ad repræsentatum, non absolutè, sed per comparationem ad actum eliciendum à potentia; & hæc consistit in hoc, quod ratio repræsentativa repræsentet obiectum, sicut est cognoscibile per talem actum, sicut species albi in oculo cæcuciente, quæ repræsentat album non absolutè, sed secundum comparationem ad actum elicitum à tali occulo, scilicèt, quantum est cognoscibile per actum talis occuli cæcutientis.

20 Hæc itaque adęquatio, vt ex eius terminis constat, & ex exemplo claret, non est adæquatio entitatis ad entitatem: nec est adæquatio in repræsentando absolutè: sed solum in repræsentando comparativè; quarè ratio sic repræsentativa deficit ab entitate, & repræsentabilitate obiecti, quia duntaxat repræsentat obiectum, quantum est cognoscibile per actum eliciendum à potentia. Et hoc tantum modo species impressa Dei, si daretur, esset Divinæ essentiæ repræsentativa.

21 Vltra hanc triplicem responionem, triplicem etiam retorsionem à ratione contra ipsum formo. Retorqueo itaquè primò: species, & obiectum non debent habere eundem gradum immaterialitatis: ergo ruit probatio Ill. Godoy. Probatur antecedens: species, quæ excedit obiectum in immaterialitate, & quæ ab illo exceditur, est obiecti repræsentativa: ergo species, & obiectum non debent habere eundem gradum immaterialitatis. Antecedens pro prima parte probatur: species obiecti sensibilis, compositi ex materia, & forma, excedit in immaterialitate obiectum; ipsa namquè hac compositione caret; sed est illius repræsentativa: ergo species, quæ excedit obiectum in immaterialitate, est obiecti repræsentativa. Probatur pro secunda parte: species, qua Angelus inferior cognoscit quidditativè superiorem, exceditur in immaterialitate ab obiecto, quia non excedit immaterialitatem Angeli inferioris; alioquim non reciperetur connaturaliter in illo; sed est illius repræsentativa: ergo species, quæ ab obiecto exceditur, est obiecti repræsentativa.

Retorq. 1.

22 Retorqueo secundò: ideò species, & obiectum debent habere eundem gradum immaterialitatis, quia speciei esset connaturalis repræsentatio quidditativa Dei; sed hoc non probat: ergo ruit probatio. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 11. numer. 51.* Minor vero probatur primò: lumini gloriæ est connaturalis visio Dei. Secundò: intellectui elevato est connaturalis visio Dei. Tertiò: conflato ex intellectu, & lumine est connaturalis talis visio; atqui nullum ex his habet cum Deo eundem gradum immaterialitatis: ergo quod speciei esset connaturalis repræsentatio quidditativa, non probat, quod species, & obiectum debent habere eundem gradum immaterialitatis.

Retorq. 2.

23 Retorqueo tertiò: æquè, imò magis immaterialis debet esse species expressa Dei, quam impressa; sed species expressa Dei non est æquè immaterialis cum Deo: ergo species, & obiectum non debent habere eundem gradum immaterialitatis. Maior patet: nam species expressa attingit immediate Deum; impressa vero mediante expressa.

Retorq. 3.

Vltra hanc etiam triplicem retorsionem à ratione, aliam duplicem à paritate formo. Retorqueo quartò: inter speciem, & obiectum non requiritur proportio entitativa: ergo species, & obiectum non debent habere eundem gradum immaterialitatis. Consequentia est legitima. Antecedens autem probatur: sufficit proportio habitudinis, seu in ratione obiecti: ergo, &c. Probatur antecedens: hæc proportio sufficit inter actum, & obiectum: ergo, &c. Antecedens est Thomistarum dicentium: Christum per scientiam infusam supernaturalem cognoscere omnia entia creata, quia inter actum, & obiectum sufficit prædicta proportio, vt habet Ill. Godoy *disput. præced. numer. 16.* Consequentia est paritate certa.

24 *Retorq. 4.*

Retorqueo quintò ex eodem capite: maior requiritur virtus ex parte agentis, vt natura humana, & Divina vniantur, quam vt intellectus creatus vniatur cum Deo; sed ad illam vnionem non requiritur proportio entitatis ad entitatem: ergo nec ad istam. Maior claret; alioquim tantum miraculum esset vnio intellectus cum Deo, quam vnio naturæ humanæ cum persona Divina, quod est falsum. Minor est evidens: quia natura humana est finita; persona verò Divina infinita. Consequentia est legitima.

25 *Retorq. 5.*

Ad quartam denique probationem potest primò responderi negando maiorem: quia inter speciem quidditativam, & obiectum solum requiritur proportio, seu conveniētia in esse repræsentativo, modo explicato in solutione ad primam, & secundam probationem; at inter potentiam connaturaliter intellectivam, & obiectum intelligibile requiritur entitativa proportio, ita, vt si obiectum est infinitum, potentia connaturaliter intellectiva illius sit etiam infinita, quod patet, tam in Thomistica, quam in Scotica Schola; in vtraque enim certum est, intellectum creatum non posse naturaliter Deum videre, & quod hoc proveniat ex finitate intellectus creati, ostendunt rationes, quibus id probant Angelicus, & Subtilis Magis-

26 *Ad 4. respondetur 1.*

ter. Rationes insp icite, & apparebit solutio.

27 *Firmatur solutio in doctrina D. Thom.*

D. Thomàs 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 4. *Et* 1. 2. *quæst.* 5. *art.* 3. *&* 3. *contra gentes, cap.* 52. sic probat: si modus essendi alicuius rei cognitæ excedit modum naturæ cognoscentis, cognitio illius rei est suprà naturam illius cognoscentis; sed modus essendi naturæ Divinæ excedit modum naturæ intellectualis creatæ: ergo cognitio Divinæ naturæ est supra naturam creaturæ intellectualis. Maiorem probat D. Thomàs: cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente; sed cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis: ergo cognitio cuiuscumque cognoscentis est secundum modum suæ naturæ: ergo si modus essendi alicuius rei cognitæ excedit modum naturæ cognoscentis, cognitio illius rei est suprà naturam illius cognoscentis. Minorem probat sic: omnis natura intellectualis creata est composita ex essentia, & existentia; non verò natura Divina: ergo modus essendi naturæ Divinæ excedit modum naturæ intellectualis creatæ.

28 *Firmatur in doctrina Scoti.*

Scotus verò *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. §. *Respondeo ergo ad quæst. Et quolib.* 14. *artic.* 2. *in principio*, optimè probat, visionem Dei esse impossibilem naturaliter intellectui creato, hac ratione: impossibile est, creatum intellectum posse elicere visionem, nisi obiectum sit præsens in se, vel in alio; sed nullo modo intellectus creatus habet Deum naturaliter præsentem: ergo nequit Deus naturaliter videri ab intellectu creato. Maior est certa: nam ab obiecto, & potentia paritur notitia. Minor quoad primam partem ab Scoto probatur ex D. Ambrosio *in Lucam, cap.* 1. dicente: *Naturæ Dei est non videri; nam si non vult, non videtur, si vult, videtur.*

29 Quoad secundam probatur: si intellectus creatus naturaliter haberet Deum præsentem in alio, vel esset in alio continente Deum formaliter, eminenter, virtualiter, vel intentionaliter; sed nullo modo: ergo intellectus creatus non habet naturaliter Deum præsentem in alio. Probatur minor pro prima parte: nequit Deus contineri in alio formaliter, eminenter, nec virtualiter; nam hoc modo continens est perfectiùs contento, vel saltim æquè perfectum; sed nihil est Deo perfectius, neque æquè perfectum: ergo intellectus creatus naturaliter non habet Deum præsentem in alio formaliter, eminenter, & virtualiter.

Pro secunda parte probatur: nam licèt possit dari species intentionalis Deum repræsentans, nequit tamen produci ab aliquo obiecto naturali, nec naturaliter ab ipso Deo: ergo intellectus creatus naturaliter non habet Deum præsentem in alio intentionaliter. Probatur antecedens: vnum obiectum non producit speciem alterius, vt de se patet; nec Deus ad extra naturaliter agit, sed liberè, vt ait Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *&* *dist.* 8. *&* 39. ergo licèt possit dari species intentionalis Deum repræsentans, nequit tamen produci ab aliquo obiecto naturali, nec ab ipso Deo naturaliter. 30

Eccè rationem D. Thomæ, & Scoti, in qua vterque ob finitatem intellectus creati negat, intellectum creatum posse naturaliter videre Deum: ergo inter potentiam naturaliter intellectivam, & obiectum intelligibile, requiritur proportio entitativa, ita, vt si obiectum est infinitum, potentia connaturaliter intellectiva illius sit etiam infinita. Quod præclarè confirmat hæc ratio: nulla potentia potest egredi naturaliter limites sui obiecti naturalis attingentiæ; sed intellectus creatus pro omni statu habet pro obiecto naturalis attingentiæ ens finitum: ergo nequit naturaliter attingere Deum, qui infinitus est. Ex qua ratione manifestè sequitur, solam potentiam infinitam posse connaturaliter Deum cognoscere; & consequenter, quod inter potentiam connaturaliter intellectivam, & obiectum intelligibile, requiritur proportio entitativa, ita, vt si obiectum est infinitum, potentia connaturaliter intellectiva illius sit etiam infinita. 31

Respondeo secundò distinguendo maiorem: non minor proportio, seu convenientia, tam in esse intelligibili, quàm in ordine, requiritur inter speciem quidditativam, & obiectum, quam inter potentiam connaturaliter intellectivam, & obiectum intelligibile concedo maiorē; in esse in- 32 *Respond. 2.*

te-

telligibile tantum nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam; nam ratio, cur implicat potentia creata connaturaliter intellectiva Dei quidditativè, non est improportio in esse intellectui, sed improportio in ordine, scilicèt, quia repugnat intellectus creatus, qui sit in eodem ordine cum Deo, nempè, supernaturali; alioquim dabilis esset intellectus creatus, cui connaturalis esset visio Dei, & consequentèr posibilis esset intellectus creatus adæquans conflatum ex intellectu, & lumine, ac proindè posibilis esset intellectus creatus, cui lumen gloriæ esset naturaliter debitum, quod totum negat etiam Ill. Godoy, & nos cum ipso negavimus *tom.* 1. *in* 1. *sent. disput.* 13. Cum ergo species quidditativa Dei, & Deus habeant proportionem in esse repræsentativo, & alias sint in eodem ordine; hinc fit, quod repugnante potentia creata connaturaliter intellectiva Dei quidditativè, non repugnat species creata repræsentativa Dei quidditativè.

33 *Arguit. 2. Ill. Godoy.* Arguit secundò Ill. Godoy *numer.* 8: non stat cognitio quidditativa Dei, quæ ipsius intuitiva non sit; sed Christus per scientiam infusam non cognovit, nec potuit cognoscere Dei essentiam *intuitivè*, vt Scotus fatetur: ergo nec *quidditativè*. Maior probatur: cognitio terminata ad rem existentem sub exercitio existentiæ, est intuitiva cognitio; sed omnis cognitio quidditativa Dei necessariò terminatur ad ipsum, vt existentem sub exercitio existentiæ: ergo omnis cognitio quidditativa Dei necessariò est intuitiva, & consequentèr non stat cognitio Dei quidditativa, & non intuitiva. Probatur minor: cognitio Dei quidditativa necessario terminatur ad omne prædicatum competens ipsi essentialiter; sed existentia, vt exercita, essentialiter convenit Deo: ergo cognitio omnis quidditativa Dei necessariò terminatur ad ipsum, vt existentem.

34 *Argument. duo falsa supponit.* Hoc argumentum Ill. Godoy duo falsa supponit. *Primum* est: Christum per scientiam infusam non cognovisse, nec potuisse cognoscere Dei essentiam *intuitivè* in Scoti opinione, quod est falsum; plures enim Scotistæ in Scoto fundati oppositum asserunt; tenent namquè: speciem impressam Dei, quam esse posibilem supponunt, deservire ad cognitionem intuitivam. Et quod tales sint Scotistæ, non cadit sub dubio. Vndè iuxtà hanc Scoti probabilem opinionem, quam præter plures Scotistas, secuntur omnes, qui extra eius Scholam posibilitatem speciei repræsentativæ Dei quidditativè defendunt, ruit omninò argumentum, negando minorem, quam vt certam supponit Ill. Godoy.

35 *Secundum.* Secundum, quod falsum supponit, est, quod existentia sit prædicatum Dei essentiale, seu quidditativum; plures enim sunt in nostra Schola hoc negantes, & certè est menti Scoti conformius, de quo promissum habeo in quæstionibus selectis disputare. Et iuxtà hanc opinionem, quam veriorem iudico, & semper iudicavi, evanescit argumentum, negando maiorem, ad cuius probationem negatur minor, & ad huius probationem minor etiam negatur.

36 *Respondeo ad argum.* Sed ab his adhuc præscindendo, respondeo ad argumentum negando maiorem, & ad probationem distinguo maiorem: cognitio terminata ad rem existentem sub exercitio existentiæ formaliter, & reduplicativè, ita, vt existentia sit ratio, vel saltim conditio movendi, & terminandi, est intuitiva cognitio concedo maiorem; cognitio terminata ad rem existentem sub exercitio existentiæ materialiter, ita, quod existentia præcisè attingatur vt obiectum cognitum, est intuitiva cognitio nego maiorem; & distinguo minorem: sed omnis cognitio quidditativa Dei necessariò terminatur ad ipsum, vt existentem sub exercitio existentiæ materialiter, vel formaliter concedo minorem; formaliter præcisè nego minorem, & consequentiam.

37 *Explicatur solutio, explicando quid sit notitia intuitiva, & abstractiva.* Itaquè argumentum procedit ex non recta intelligentia cognitionis abstractivæ, & intuitivæ; putat namquè, cognitionem abstractivam talem dici eo, quod abstrahat ab existentia, tanquam ab obiecto cognito; & intuitivam talem dici eo, quod attingat existentiam, tanquam obiectum cognitum; quod est omninò falsum, nam etiam existentia potest abstractivè cognosci, vt constat ex memoria præteritorum. Vndè abstractiva, & intuitiva notitia non dis-

tin-

tinguntur præcisè pœnès formalitates, quas attingunt, ita, vt per intuitivam attingatur in obiecto aliqua formalitas, quæ per abstractivam non attingatur; sed pœnès modum repræsentandi, scilicèt, quia abstractiva attingit existentiam, vt obiectum cognitum præcisè, seu materialitèr; intuitiva vero attingit existentiam non solum materialitèr, seu vt obiectum cognitum, sed etiam formalitèr, & reduplicativè, vt ratio, vel saltim conditio, movendi, & terminandi, ita, vt ab obiecto sub ratione formali existentiæ causetur, & ad ipsum, vt sic immediatè terminetur.

38 *Species Deū quidditativè repræsentans solum ad notitiam abstractivam potest deservire.*

Quod autem species impressa, Deum quidditativè repræsentans, non attingat Deum sub ratione formali existentiæ, & consequentèr ad notitiam intuitivam non deserviat, ostenditur: talis species impressa habet modum permanentis, & ab obiecto in conservari non dependet: ergo obiectum repræsentat indifferentèr, scilicèt, sivè existens, sivè non existens: ergo deservire nequit ad notitiam intuitivam pariendam. Antecedens constat primò: nam species intelligibilis semèl ab obiecto producta, independentèr ab eo postèa conservatur in intellectu pro memoria intellectiva, vt de facto conservata fuit in intellectu Pauli post eius raptum. Secundò: nam hæc est differentia inter species intelligibiles, & species sensuum externorum, quod istæ sunt transitoriæ, dependentque in fieri, & conservari ab actuali influxu obiecti præsenti, illæ autem sunt permanentes, & licèt ab obiecto in fieri dependeant, ab illo tamen in conservari non dependent.

39

Prima consequentia legitimè infertur ex antecedenti; si enim species intelligibilis non repræsentaret obiectum indifferentèr, & dependeret in conservari ab actuali influxu obiecti præsentis, nulla esset differentia inter hanc, & speciem sensus externi. Secunda consequentia est notoria: nam notitia intuitiva exigit necessariò præsentiam ipsius obiecti. Et hæc est ratio, cur species sensuum externorum deserviant ad notitiam intuitivam pariendam, quin ad hanc deservire possint species intelligibiles.

40

Contra hanc doctrinam replicat Ill. Godoy *num.* 14: nam desitio, vel destructio speciei quidditative Dei, à priori infertur ex non existentia ipsius, ex peculiari prædictæ speciei conceptu: ergo falsum est, esse natam eodem modo se habere, Deo existente, & non existente. Consequentia in sis adversarijs est nota. Antecedens probatur: ex defectu prædicati essentialis obiecto speciei, provt est eius obiectum, à priori colligitur non esse, vel destructio speciei secundum peculiarem conceptum illius; sed negata Deo existentia, deficit prædicatum essentiale Deo, provt est obiectum speciei quidditativæ sui: ergo non esse, vel destructio illius speciei, secundum peculiarem eius conceptum, à priori infertur ex non existentia Dei. Probatur minor: obiectum speciei quidditativæ Dei, est Deus ipse sub ratione quidditatis: ergo quod est de essentia quidditatis Divinæ, est de essentia Dei, provt est obiectum speciei; sed existentia, vt exercita, est de essentia quidditatis, & essentiæ Divinæ: ergo est de essentia Dei, vt est obiectum speciei quidditativæ sui; & consequentèr negata existentia, vel Deo non existente, deest prædicatum Deo essentiale, provt est obiectum speciei quidditativæ ipsum repræsentantis.

Replicat Ill. Godoy.

Hæc replica includit etiam falsitatem illam, quam, argumentum includere, diximus, scilicèt, existentiam esse prædicatum essentiale Dei. Sed ab hoc nunc etiam abstrahendo, respondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem; quia cum species intelligibiles, vt à sensibilibus distinguntur, non dependeant ab obiecto in conservari, vt manet ostensum, ex defectu quocumque obiecti non sequitur destructio speciei; alioquin non mansisset species Dei in intellectu Pauli post raptum, quod est falsum, nec in nobis essent species præteritorum, quod etiam est falsum. Ill. Godoy ex capite abstractionis nihil aliud contra nos adducit, ideòque aliud contra nos ex hoc capite obijcere non licèt. Tum: quia defendit potest: Christum per scientiam infusam Dei essentiam intuitivè cognovisse, cum quo ruit argumentum Ill. Godoy, vt diximus *num.* 34. Tum: quia ad impugnandam cognitionem abstractivam

41 *Respondet.*

quid-

quidditativam supponit existentiam esse prædicatum Dei essentiale, quo negato, ruit etiam illius argumentum, vt diximus *num.* 36. Tum denique; quia cum Ill. Godoy ex professo non tractet, an quidditativa cognitio, per speciem habita, sit abstractiva? Nobis non incumbit, hoc ex instituto pertractare.

§. II.

Triplex alia conclusio statuitur.

42 2. *Conclusio Est contra Ill. Godoy.*

SEcunda conclusio: *Anima Christi cognovit Deum, vt Vnum, & vt Trinum, per speciem per se infusam, ipsum immediatè quoad an est repræsentāte.* Hęc conclusio est ita nobis certa, vt non solum Anima Christi per talem speciem cognovit Deum vt Vnum, & vt Trinum quoad *an est*, verum etiam quoad *quid est*. Conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 17. Est tamen Scoti, *cit. num.* 1. & probatur eadem ratione, qua probata manet prima conclusio. Argumenta Ill. Godoy contra hanc conclusionem fundantur in eo, quod implicet species quidditativa Dei, quod in nostra opinione est omninò falsum, & quia sunt eadem, quæ contra nostram primam conclusionem adduxit, ea omitto, quia proposita, & soluta manent.

43 3. *Conclusio*

Tertia conclusio: *Christus per scientiam infusam cognovit evidentèr quoad an est Deum Authorem supernaturalem, provt vnum, & in effectibus supernaturalibus; non autem in naturalibus.* Hanc conclusionem statuit Ill. Godoy *numer.* 30. ipsamque defendit contra Vazquez, Silvium, & Gasparem Hurtado, quos citat *numer.* 1. illamque cum ipso statuimus, in ipsoque probationes, & ad argumenta solutiones videndas relinquo.

44 4. *Conclusio Scotus.*

Quarta conclusio: *Christus per scientiam per se infusam supernaturalem in nullo effectu, adhuc supernaturali, cognovit Deum, vt Trinum, evidentèr quoad an est.* Ita Scotus *quolib.* 14.

Probatur contra Ill. Godoy.

Conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 71. & probatur: nullus est effectus, adhuc supernaturalis, qui per se dependeat à Deo, vt Trino: ergo, &c. Probatur antecedens: omnis effectus, adhuc supernaturalis, dependet solum à Deo, vt Vno: ergo nullus effectus, adhuc supernaturalis est, qui per se dependeat à Deo, vt Trino.

45 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 102. negando antecedens cum probatione; quia gratia habitualis, fides Theologica, & præcipuè visio beatifica, dependent per se à Deo, vt Trino; nam licèt visio beatifica, vt est effectus Dei, vt causæ primæ efficientis, non dependeat per se à Deo, vt Trino, sed tantum vt Vno; quia tamen præter hanc dependentiam generalem in genere causæ efficientis est alia in visione beatifica, nempè, in genere causæ obiectivæ, specificatur enim à Deo; & consequentèr dependet ab illo, vt à causa extrinseca formali, & in hoc genere causæ per se dependet à Deo, non solum vt est Vnus in essentia, sed etiam vt Trinus est in personis; fit consequens, vt in visione beatifica, vt quidditativè, & comprehensivè cognita, Deus quoad *an est* evidentèr cognoscatur, provt est Trinus in personis.

46 *Contra.*

Hæc solutio Ill. Godoy fundatur in illa doctrina Thomistarum asserentium quod Trinitas personarum est de essentia obiecti beatifici, quod in nostra opinione est omninò falsum. Et quia hæc solutio est ratio, qua Ill. Godoy probat suam conclusionem, solutio ad argumentum illius erit responsionis impugnatio.

47 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit Ill. Godoy contra nostram conclusionem *num.* 76: Christus per scientiam per se infusam supernaturalem cognovit quidditativè, & comprehensivè visionem propriam beatificam, & aliorum beatorum visiones; sed non potest visio beatifica quidditativè, aut comprehensivè cognosci, non cognito Deo, vt Trino evidentèr quoad *an est*: ergo per scientiam infusam cognovit Anima Christi evidentèr Misterium Trinitatis quoad *an est*. Consequentia est bona. Maiorem probatam supponit *disput. præcedent. §. 3. & 5.* Minorem

Minorem probat. 1.

probat primò: non enim potest respectus transcendentalis quidditativè cognosci, non cognito illius termino evidentèr quoad *an est*; sed visio beatifica dicit respectum transcendentalem ad Deum Trinum, & Vnum, quod est obiectum proprium illius: ergo non potest quidditativè cognosci non cognito Deo, vt Trino evidentèr quoad *an est*. Secundò: quia namquè entitates creatæ dicunt ordinem transcendētalem ad Deum, quatenus Vnum, vt ad causam effi-

Secundò.

cien-

cientem, non possunt quidditativè, aut saltim comprehensivè cognosci, non cognito Deo, vt Vno evidenter quoad *an est*; sed visio beatifica dicit essentialiter ordinem transcendentalem ad Deum, quatenus Trinum, etsi non vt causam efficientem; benè tamen vt obiectum: ergo, &c.

48 *Tertiò.* Tertiò: quia namquè modus vnionis, quo humanitas Verbo vnitur, dicit essentialiter ordinem transcendentalem ad Verbum, vt ad extremum, non potest quidditativè cognosci, non cognito Verbo evidenter abstractivè; sed visio beatifica dicit essentialiter ordinem transcendentalem ad Deum, quatenus Trinum, tanquam ad proprium obiectum: ergo non potest cognosci quidditativè, Deo, vt Trino, non cognito evidenter abstractivè. *Quartò.* Denique probatur: non enim potest visio beatifica quidditativè cognosci, non cognita quidditativè illius veritate formali, quæ ipsi essentialis est; sed nō potest cognosci evidenter, visionem beatificam esse veram veritate formali, non cognita evidenter veritate illius obiectiva, quæ in Deo Vno, & Trino consistit: ergo non potest visio beatifica cognosci quidditativè, quin Deum esse Trinum evidenter innotescat.

49 *Respondeo ad omnia.* Respondeo ad argumentum, negando minorem, ad cuius quadruplicem probationem nego minorem, cuius falsitas duplex est ratio. Prima: *Ratio 1. falsitatis.* quia visio beatifica est entitas absoluta in se de genere qualitatis, ac proindè non includit in sua quidditativa ratione respectum ad Deum, vt ad terminum, quare potest cognosci in se distinctè, non cognita eius relatione ad obiectum. Et etiam, quia si visio alicuius beati ab alio proprijs viribus intuitivè cognosceretur, non ob id videret Deum, quia illa visio non videretur tunc ab alio beato, vt ratio videndi, sed tantum vt obiectum cognitum; cum visio solum sit ratio videndi respectu intellectus, cui inest. Solutio hæc est Scoti *quolib.* 14. *in fine.*

50 *2. Ratio falsitatis.* Secunda falsitatis ratio est: nam dato, quod visio beatifica diceret ordinem transcendentalem ad obiectum, diceret duntaxat talem ordinem ad Deum, vt Vnum, qui est obiectum essentiale beatitudinis; non verò ad Deum, vt Trinum, qui tale obiectum non est, vt est constans Scoti, & Scotistarum opinio, & nos contra Ill. Godoy propugnabimus, dum de beatitudine agamus. Vndè sicut quia creaturæ non dicunt ordinem transcendentalem ad Deum, vt Trinum, vt ad causam efficientem, possunt cognosci, non cognito Deo, vt Trino; ita visio beatifica potest cognosci, non cognito Deo, vt Trino, quia non dicit ordinem transcendentalem ad Deum, vt Trinum, adhuc vt obiectum.

51 *Replicat Ill. Godoy.* Contra hanc solutionem replicat Ill. Godoy *numer.* 91: id namquè est essentiale Deo in ratione obiecti visionis beatificæ, quod ab illa exigitur essentialiter in Deo, vt ab ipsa cognito; sed visio petit essentialiter, Trinitatem personarum attingere: ergo Trinitas personarum convenit essentialiter Deo in esse obiecti visionis. Maior est certa, & ab exemplo in solutione adducto probatur: si enim creaturæ essentialiter exigerent Trinitatem Personarum, esset Deus essentialiter Trinus, non solum in esse entis, sed etiam in ratione causæ, & principij creaturarum: ergo quod à visione beata essentialiter exigitur in Deo, vt obiecto illius, est Deo, nedum in ratione entis, sed etiam in ratione obiecti essentiale. Probatur minor: nam omne, quod est alicui essentiale in esse rei, est etiam ipsi essentiale in ratione obiecti cognitionis, qua quidditativè cognoscitur; hæc namquè si perfecta sit, petit ad omnia prædicata essentialia terminari; sed visio beatifica est cognitio quidditativa perfecta Dei: ergo personalitates, Deo in esse rei essentiales, sunt etiam ipsi essentiales, provt est obiectum cognitum per beatam visionem.

52 *Respond.* Respondeo: replicam, si aliquam vim habet, illam habere tantum contra concedentes, quod Trinitas personarum est essentialis Deo in esse entis, vel in esse rei; contra nos tamen hoc negantes, negamus namquè, personalitates Divinas esse prædicata quidditativa Dei, nullam vim habet replica Ill. Godoy. Vndè informa respondeo negando minorem, & ad probationem, omissis præmissis, nego suppositum consequentis; supponit enim, quod per-

so-

sonalitates sunt Deo in esse rei essenles, quod est apud nos falsum. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. distinct. 14. §. 2.* Mag. Sent. *Et in 1. Sententiarum dist. 3. §. 6.* ad illa verba: *Nunc restat ostendere, an per ea, quæ perfecta sunt aliquid Trinitatis vestigium, vel initium exiguum habere poterit?* *Et §. 7.* ad illa verba: *Nunc verò ad eam iam perventmus disp. vbi in mente humana, quæ novit Deum, vel potest nosse Trinitatis imaginem reperiamus.* Circa quæ verba disputari potest: an in homine, quia est imago Dei, vt Trini, possit Personarum Trinitas evidenter cognosci?

***

DISPVTATIO TRIGESIMA SEPTIMA.

De essentia, Unitate, & alijs ad Scientiam infusam supernaturalem spectantibus.

Num. 1 *Difficultatis status aperitur.*

FVisse in anima Christi Domini scientiam per se infusam supernaturalem, per quam res extrà Verbum in se ipsis cognovit, docuimus *disput. 32.* Et monstravimus, cuius obiectum extensivum *disput. 35. & 36.* fusè explicuimus. Restat modò illius essentiam, vnitatem, aliaque ad ipsam spectantia explicare, quę omnia in hac disputatione perstringemus. Et cum cognitio omnis ab obiecto, & potentia causetur, iuxta illud axioma: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*: id etiam cognitioni supernaturali scientiæ per se infusæ convenire, est necesse. Et quia obiectum creatum non ratione sui, sed ratione speciei intelligibilis, vnitur cum intellectu, & mediante specie impressa, influit in intellectionem, fit consequens, necessarias fuisse species, quibus intellectus Christi res creatas extra Verbum in se ipsis supernaturali cognitione cognosceret, ex quibus, & illius intellectu talis cognitio procederet. Quarum conditio etiam est in hac disputatione explicanda, & an præter illas fuerit necessaria alia supernaturalis qualitas, intellectum Christi elevans, & cum supernaturali rerum cognitione proportionans, qualis fuerit, & an vna, vel plures; qualisque fuerit modus cognitionis, mediante ista forma ab intellectu Christi causatæ.

§. I.

De qualitate specierum.

2 *Species*

ILl. Godoy consequentèr ad ea, quę dixit *disput. 35.* asserit in præsenti *num. 2. & 3*: Species, quibus intellectus Christi per scientiam supernaturalem per se infusā cognovit entitates creatas, tàm ordinis supernaturalis, quàm naturalis, fuisse supernaturales quoad substantiam. Quod a nobis affirmari nequit conformitèr ad dicta *disp. 35.* vbi negavimus, Christum per talem scientiam cognovisse entitates prædictas. Vndè nobis dicendum est: *Species, quibus Christus per scientiam supernaturalem per se infusam cognovit Deū, eius attributa, Trinitatem, & Incarnationem, quæ sunt obiecta scientiæ prædictæ; esse supernaturales quoad substantiam.* Quod ostenditur primò: nam si iuxta Ill. Godoy species deserviens ad cognitionem entitatum ordinis supernaturalis, & naturalis, est supernaturalis quoad substantiam: ergo multo melius erit supernaturalis quoad substantiā species deserviens ad cognitionem entis increati, & supernaturalis. Secundo: species obiectorum scientiæ supernaturalis per se infusæ a nulla creatura, sive creata, sivè creabili, possunt acquiri: ergo sunt supernaturales quoad substantiam.

huic scientiæ inserviētes sunt supernaturales quoad substantiam.

§. II.

Constituendus est in intellectu Christi habitus ab speciebus distinctus.

3 *2. Conclusio*

DEindè asserendum est: *Præter species per se infusas esse in intellectu Christi habitum elevantem potentiam.* Sic Scotistæ cum Scoto *in 1. dist. 17. quæst. 2. vel 3. §. ad 1. de 2. via,* *Scotus.*

verſ. *Ad vltimum. Et diſt. 3. quæſt. 7. §. ad quæſt.* à verſ. *Ad propoſitum. Et in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. Reſpondeo*, verſ. *Ex hoc ſequitur*, quatenus affirmat, præter ſpeciem impreſſam ponendum eſſe lumen gloriæ. Imò in primo loco ſic concludit *in fine* quæſtionis. *Nemo negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu.* Quarè immeritò dixit P. Caſtillo *diſput. 15. quæſt. 5. num. 4.* oppoſitam ſententiam neceſſario eſſe tenendam in doctrina Scoti. Quia de hoc habitu (inquit) Philoſophandum eſt, ſicut de habitu luminis gloriæ; quem eſſe diſtinctum à ſpecie, aut concurſu obiectivo, expreſsè negat Scotus *in 3. diſt. 14. quæſt. 2. §. ad 1. argum.* verſ. *Ad 3. dico. Et in 4. diſt. 49. quæſt. 11. §. Reſpondeo ergo*, verſ. *Ex hoc ſequitur corollarium.*

4 Immeritò tamen vtrumque dicit, vt conſtat ex locis, ab ipſo adductis: nam *in 3. citat.* ſolum vult Scotus, non requiri lumen, vt obiectum illuminetur, quando obiectum de ſe eſt lumē, vt Deus; non tamen negat lumen, vt confortet potentiam. *In 4. citat.* negat Scotus lumen ad recipiendam viſionem. Imò etiam dicit *ibi* Scotus, non eſſe de fide, dari lumen ad producendam viſionem, ſicut eſt de fide, dari charitatem; nam quæſtio *in Reportatis, §. ad aliud; Concedo, quod habitus, &c. Si autem ponatur, quod intellectus activè ſe habeat reſpectu actus beatitudinis, tūc ſi ponitur, habitus concurrere, non concurret, vt tota cauſa actus, ſed vt cauſa partialis cum potentia.* Vndè hac litte inter Scotitas omiſſa, noſtram concluſionem tenet Ill. Godoy *num. 10.*

5 *Probatur concluſio.* Et hac ratione probatur: obiectum, & intellectus ſunt cauſę diverſę rationis reſpectu intellectionis, & ita diverſo modo concurrunt: ergo vna non poteſt ſupplere activitatem, aut cauſalitatem alterius. Hinc eſt, quod quantumvis creſcat activitas intellectus, nequit intelligere ſine ſpecie impreſſa, aut obiecto, immediatè concurrente: & quantumvis creſcat perfectio ſpeciei impreſſæ, aut obiecti, nequit dari intellectio ſine intellectu. Modo ſic: habitus eſt eiuſdem ordinis, ac potentia; & ideò ponitur ad illam adiuvandam, ſeu ad perficiendum eius activitatem: ergo ſicut ſpecies nequit agere vices potentiæ, ſeu illam ſupplere; ita nequè agere vicem habitus, ſeu illum ſupplere. Minor ſuſſumpta conſtat in alijs potentijs, & præcipuè in voluntate: ad cuius operationem, præter obiectum propoſitum requiritur habitus, vt actus (charitatis, v. g.) perfectior evadat. Sivè quia habitus habet aliquem influxum effectivum in actus ſequentes; ſivè quia ſolum præſtat potentijs facilitatem, propenſionem, promptitudinem, & delectabilitatem, per quas potentia inclinata, expedita, ſeù facilitata, prorrumpit maiori connatu circa obiectum, vel materiam. Vtrumque enim modum philoſophandi probabilitèr defendit Scotus *in 1. diſt. 17. quæſt. 2.* Priorem *in §. Tertio modo.* Poſteriorem verò *in §. Contra iſtā opinionem*, verſ. *Qui vellet.*

§. III.

Habitus ſcientiæ infuſſæ diſtinguitur à Lumine gloriæ.

6 *Scientia per ſe infuſſa à lumine gloriæ diſtinguitur.* TErtiò aſſerimus: *Habitum ſcientiæ per ſe infuſſæ eſſe realitèr diſtinctum à lumine gloriæ.* Hoc defendit Ill. Godoy *num. 31.* & omiſſa illius ratione, ſic concluſionem brevitèr probo. Primò: lumen gloriæ eſt habitus inclinans ad videndum Deum intuitivè, & beatificè; habitus verò ſcientiæ per ſe infuſſæ inclinat ad cognoſcendum Deum abſtractivè, vt conſtat ex dictis *diſp. præced.*: ergo habitus ſcientię per ſe infuſſę eſt realitèr diſtinctus à lumine glorię. Conſequentia claret; nam idē habitus nequit inclinare ad intuitivè, & abſtractivè cognoſcendū obiectum. Secundò: ſcientia matutina diſtinguitur à veſpertina iuxtà D. Auguſt; ſed lumen glorię eſt habitus matutinæ: ergo veſpertina eſt alius habitus diſtinctus. Tertiò: ſcientia per ſe infuſa reperitur in viatoribus, vt in Paulo conſtat; lumen autem gloriæ ſolum in beatis: ergo ſunt habitus realitèr diſtincti.

Probat. 1.

Secundò.

Tertiò.

§. IV.

De vnitate ſcientiæ per ſe infuſſæ.

7 *Habitus ſcientiæ per ſe infuſſæ eſt vnicus.* QVartò aſſerimus: *Habitum ſcientiæ per ſe infuſſæ eſſe vnicum reſpectu ſuorum obiectorum.* Hanc concluſionem tuetur Ill. God. *num. 48.* & probatur. Primò: nam licèt diverſa ſint obiecta, quod per hanc ſcientiam attinguntur; omnia tamen attinguntur ſub vnica ratione formali: ergo eſt vnicus habitus. Conſequentia eſt legitima; nam ideò habitus fidei (idem eſt de habitu ſpei, & chari-

Probat. 1.

ta-

tatis) est vnicus, quia licèt per illum plura obiecta revelata attingantur; omnia tamen attinguntur sub vnica ratione formali. Antecedens autem probatur: cognoscere obiectum per propriam illius speciem abstractivam sine discursu, & conversione ad phantasma, est ratio formalis, sub qua scientia per se infusa attingit sua obiecta; sed omnia attinguntur sub hac ratione: ergo licèt sint diversa obiecta, quæ per hanc scientiam attinguntur; omnia tamen attinguntur sub vnica ratione formali.

8 *Dices.* Dices: vsus scientiæ per se infusæ stare potest cum discursu: ergo ratio formalis *sub qua* scientia per se infusa attingit sua obiecta, non est incompossibilis cum discursu: ergo falsa est probatio nostra. Antecedens est certum, & à nobis docebitur §. *sequenti*. Prima consequentia est legitima, & secunda videtur certa. *Respondeo.* Respondeo negando secundam consequentiam; quia licèt scientia per se infusa possit compati cum discursu; ipsa tamen ad discursum non inclinat; cum ad suum exercitium non sit necessarium discurrere; consequentèrque sine discursu cognoscere est ratio formalis scientiæ prædictæ.

9 *Probat. 2. conclusio.* Probatur secundò conclusio ad hominem contra aduersarios: ideò habitus scientiæ per se infusæ non esset vnicus respectu suorum obiectorum, quia ad cognoscenda obiecta naturalia requireretur, vel sufficeret habitus in substantia naturalis, & ad cognoscenda obiecta supernaturalia esset necessarius habitus supernaturalis quoad substantiam; sed hæc ratio falsum supponit: ergo habitus scientiæ per se infusæ est vnicus respectu suorum obiectorum. Maior est fundamentum contrariorum, hac ratione multiplicantium habitus scientiæ per se infusæ. Minor verò probatur: falsum est, quod obiecta naturalia cognoscantur per scientiam per se infusam, vt diximus *disput.* 35: ergo ratio aduersariorum falsum supponit.

§. V.

De vsu istius scientiæ discurrendo.

10 *Non fuit discursiva quoad acquisitionem* SCientiam istam non fuisse discursivam quoad acquisitionem, est apud omnes certum, & patet: nam hæc scientia fuit Diuinitus indita: ergo non inventione humana acquisita: ergo non fuit discursiva quoad acquisitionem. Antecedens cum prima consequentia est certum. Secunda ostenditur: illa scientia dicitur, & est discursiva quoad acquisitionem, quæ per discursum acquiritur; sed scientia per se infusa fuit Diuinitus indita, & non inventione humana acquisita: ergo non fuit discursiva quoad acquisitionem.

11 *Non fuit ex sua natura discursiva.* Quod autem hæc scientia non sit suaptè natura discursiva, sed per modum simplicis apprehensionis, ac intuitus, est doctrina communis, quam habet etiam Ill. God. *num.* 79. Et probatur: nam ideò modus cognoscendi per discursum nobis convenit, quia acquirimus scientiam, prius asserendo notitiam alicuius propositionis, & ex illa deducendo notitiam alterius, tanquam conclusionis illatæ; sed per scientiam per se infusam èque primo per se directè repræsentantur omnes propositiones, & veritates, quæ sub ea cadunt, neque oportet vnam ex alia deducere: ergo talis scientia non est ex natura sua discursiva.

12 *Scientia per se infusa potest esse discursiva.* Restat ergo difficultas: an modus iste intelligendi, ita fuerit huic scientiæ adæquatus, vt intellectus Christi per illam non potuerit discurrendo intelligere? Negat Scotus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. §. *Ad argumenta, vers. ad* 4. vbi docet: Potuisse Christum vti hac scientia discurrendo. Quæ sententia est etiam D. Thomæ, quam sequitur Ill. Godoy *numer.* 81. & probatur primò: ratio discursus propriè dicti in eo sita est, vt sit cognitio vnius rei, orta ex cognitione alterius; sed per scientiam per se infusam potuit Christus habere cognitionem vnius rei, ortam ex cognitione alterius: ergo potuit Christus vti hac scientia discurrēdo. Maior est generaliter vera. *Probat. 1.* Minor probatur: per scientiā per se infusam potuit Christus cognoscere Essentiam Diuinam, vt est radix attributorum, & attributa, vt sunt in Essentia Diuina radicata: ergo potuit cognoscere attributa ex cognitione Diuinæ essentiæ: ergo per scientiam per se infusam potuit Christus habere cognitionem vnius rei, ex cognitione alterius ortā. Antecedens est certum. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: ex cognitione radicis potest cognoscere radicatum, v. g. homo est risibilis, quia est rationalis;

ſed per ſcientiam per ſe infuſſam potuit Chriſtus cognoſcere Eſſentiam Divinam, vt eſt radix, &c: ergo, &c.

13 *Probat. 2.* Probatur ſecundò: cognoſcere rem omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt, ſpectat ad perfectionem, & excellentiam cognoſcentis: ergo quamvis Chriſtus Dominus clarè, & ſine diſcurſu cognoſcat Dei Omnipotentiam per ſpeciem illius, poterit etiam ex cognitione eſſentiæ Divinæ, vt radicem Omnipotentiæ, deducere cognitionem ipſius Omnipotentiæ; ſed hęc eſt diſcurſiva cognitio: ergo poteſt Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſſam diſcurſivè cognoſcere. Antecedens cum ſuſſumpta claret. Conſequentia probatur: Omnipotentia, vt radicata in Eſſentia Divina, eſt cognoſcibilis ex cognitione Eſſentiæ Divinæ, vt radicantis Omnipotentiam: ergo quamvis Chriſtus Dominus clarè, & ſine diſcurſu cognoſcat Omnipotentiam Dei per ſpeciem illius, poterit etiam ex cognitione eſſentiæ Divinæ, vt radicis Omnipotentiæ, deducere cognitionem ipſius Omnipotentiæ.

§. VI.

De converſione ad phantaſmata.

14 *Proponitur difficultas.* ILl. Godoy *num.* 115. diſputat: an ex eo, quod anima Chriſti erat corpori coniuncta, potuerit intelligere per habitũ ſcientiæ infuſſæ cum converſione ad phantaſmata? Ante cuius reſolutionem primò notandum eſt: quod converſio ad phantaſmata dupliciter poteſt accipi. Primò: ita, vt converſio ad phantaſmata importet puram concomitantiam cognitionis infuſſæ cum actu phantaſiæ, vt contingit in Beatis poſt Reſurrectionem, qui plura obiecta, qui in Verbo vident, actu etiam phantaſiæ cognoſcunt. Vndè converſio ad phantaſmata in hac acceptione nihil aliud eſt, quam quod intellectus agens cũ phantaſmate producat ſpeciem impreſſam obiecti, qua producta, poſsit intellectus poſsibilis intelligere tale obiectum, vtendo habitu ſcientiæ infuſſæ.

Converſio iſta duplicitèr accipitur.

Primò.

15 *Secundò.* Secundò accipitur, provt importat connexionem neceſſariam, & dependentiam à ſenſibus, vt ſonat Axioma illud ex Ariſtotel. *deſſumpt. 3 de Anim. cap. 8. Oportet, intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Et hac converſione indiget intellectus noſter pro hoc ſtatu, quia nullum obiectum poteſt cognoſcere intellectus humanus, quin illud cognoſcat phantaſia medio phantaſmate corporeo. Et ratio eſt: quia cum intellectus pro hoc ſtatu dependeat neceſſariò à cognitione ſenſus iuxta illud Philoſophi: *Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*, nequit dari ſpecies intelligibilis abſquè dependentia, & connexione ad phantaſmata.

Notandum eſt ſecundo: quod hæc neceſsitas, ſeu indigentia noſtri intellectus converſionis ad phantaſmata, non oritur ex natura intellectus vt ſic; alioquim anima ſeparata neceſſariò ſic intelligeret; nec ex eo, quod anima ſit vnita corpori; alioquim poſt Reſurrectionem in gloria ſic intelligeret; nec ex eo, quod anima vnitur corpori mortali; quia in ſtatu innocentiæ haberent homines corpora mortalia, & tamen non fuiſſent adſtricti ad ſolum illum modum intelligendi. Sed hæc neceſsitas oritur in nobis ex peccato Adæ, in cuius pœnam datus eſt nobis hic infimus modus intelligendi per converſionem ad phantaſmata; vndè hic ſtatus potiùs eſt pœnalis, quam naturalis, vt ait Scotus *in lib. de Anima, quæſt.* 18.

16 *Vndè oritur neceſsitas iſtius converſionis.*

Hinc patet: hanc quæſtionem, ſeu dubitationem, non habere locum in noſtra ſententia, quæ affirmat: ſolum Deum, eius attributa, & miſteria Triniratis, & Incarnationis, eſſe obiecta ſcientiæ per ſe infuſſæ. Nec habet locum in communi Scotiſtarum ſententia, quæ hanc ſententiam extendit ad plura obiecta creata ſpiritualia. Cũ enim omnes excludamus à ſphæra ſcientiæ per ſe infuſſæ quælibet obiecta materialia, ſeu ſenſibilia; (circa quæ tantum phantaſia poteſt occupari) certum erit, intellectum animæ Chriſti in vſu huius ſcientiæ phantaſma non ſpeculari; imò neque poſſe.

17

In ſententia autem Div. Thomæ, quam amplexus eſt Ill. Godoy *diſp. 35. num. 3.* affirmans: circa obiecta materialia occupari ſcientiam per ſe infuſſam, locum habet præſens difficultas. Vt autem nos hoc dubium diſputare valeamus, ſic valet proponi: an ex eo, quod anima Chriſti erat corpori coniuncta, potuerit intelligere per habitum ſcientiæ per ſe infuſſæ in ſententia Thomiſtarum, & per accidens infuſſę in noſtra ſententia, cum converſione ad phantaſmata? Sic itaque propoſita difficultas locum habet in noſ-

18 *Aliter proponitur difficultas.*

tra Schola, cum circa obiecta materialia, seu sensibilia occupari scientiam per accidens infussam, statutum habeamus *disp.35. num.52.* Vndè hic loquemur de habitu scientiæ infussę, præscindendo à *per se*, vel *per accidens* infusiæ.

19 *Christus potuit vti habitu scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata 1. modo capta.*

Deniquè notandum est: in præsenti non loqui de conversione ad phantasmata primo modo accepta, quia certum est: in illa acceptione potuisse Christum vti habitu scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata. Ratio est: nam conversio ad phantasmata primo modo accepta, nihil aliud est, quam quod intellectus agēs cum phantasmate producat speciem impressam obiecti, qua producta, possit intellectus posibilis intelligere tale obiectum, vtendo habitu scientiæ infussæ; sed nulla est repugnantia, vt Christus possit sic intelligere, etsi non sit obligatus ad sic intelligendum: ergo potuit Christus vti habitu scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata primo modo sumpta, scilicèt, vt importat puram concomitantiam cognitionis infussæ cum actu phantasiæ.

20 *Sensus proprius difficultatis.*

Relinquitur ergo difficultas de conversione ad phantasmata secundò modo capta, scilicèt, provt importat necessariam connexionem, & dependentiam à sensibus, ita, vt sensus difficultatis sit: an ex eo, quod anima Christi erat corpori coniuncta, habuerit necessitatem conversionis ad phantasmata in intelligendo per habitum scientiæ infussæ?

21 *Conclusio.*

Conclusio: *Christus non habuit necessitatem conversionis ad phantasmata in vsu scientiæ infussæ; potuit tamen ad libitum eam exercere cum conversione ad phantasmata.* Prima pars conclusionis est Scoti *in 3. dist. 14. quæst. 3. in fine.* In eaque convenit Ill. Godoy *num. 111.* vbi asserit: potuisse Christum per habitum scientiæ infussę intelligere sine conversione ad phantasmata, & vltrà rationem, quam ibi tradit, probatur: necessitas conversionis ad phantasmata in intelligendo oritur in nobis ex peccato Adæ ex dictis *num. 16*; atqui Christus caruit omni peccato: ergo non habuit necessitatem conversionis ad phantasmata in intelligēdo.

Scotus.

Ill. Godoy.

1. Pars probatur.

22 *Probat. 2. pars.*

Secunda pars conclusionis docetur ab Ill. Godoy *num. 116.* vbi asserit: potuisse Christum intelligere per habitū scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata, quod intelligo in sensu nostræ conclusionis; non verò necessariò, & ex indigentia; alioquim sibi manifestè contradiceret ad ab ipso asserta *num. 111.* Et omissa illius ratione, sic probatur à nobis: actus scientiæ infussę non impedit operationem sensitivam: ergo potuit Christus pro suo libito vti phantasmatibus in exercitio scientiæ infussæ. Consequentia est legitima. Antecedens certum; nam actus scientiæ infussæ, attenta naturali subordinatione inter potentias animæ nostræ, valdè consentaneus est cognitioni intuitivæ, vt de se est manifestum.

23 *Difficultas reducitur ad modum loquèndi.*

Ex his concluditur, quod hæc difficultas ad modum loquendi reducitur dumtaxat; nam qui tenent: Christum non potuisse intelligere per habitum scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata, locuntur ex indigentia, & necessariò, quod est prima pars nostræ conclusionis. Qui autem asserunt: Christum potuisse intelligere per habitum scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata, intelligendi sunt pro libito Christi. Et vt omnimoda claritate soluta maneat difficultas proposita, dicendum censeo, hoc esse verum: Christus potuit, sed non debuit, intelligere per habitū scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata; & hoc esse falsū: Christus potuit, & debuit intelligere per habitum scientiæ infussæ cum conversione ad phantasmata. Sic enim salvatur, Christum non eguisse conversione ad phantasmata in intelligendo, vti nos egemus, quod est Christi prævilegium.

§. Vltimus.

De scientiæ per se infussæ actualitate.

A Ctualitas scientiæ consistit in coniunctione cum actu secundò; vndè inquirere de actualitate scientiæ infussæ animæ Christi, idem est, atque investigare: an, & quomodo fuerit coniuncta cum actuali suorum obiectorum cognitione? Et in primis certum est: non fuisse necessario coniunctam cum actu sibi adæquato, id est, cum actuali suorum obiectorum cognitione, in quo omnes Theologi conveniunt; & patet: nam principium indifferens ad plura obiecta non po-

24 *Non fuit necessariò reducta ad actum sibi adæquatum*

test necessariò cum omnibus illis coniungi; sed habitus scientiæ infusæ est principium de se indifferens ad plura obiecta: ergo non fuit necessariò cum omni cognitione coniunctus. Quod amplius ex mox dicendis constabit.

25 *Nec cum aliquo actu fuit necessariò semper coniuncta.*

Secundo suppono: non fuisse necessariò semper in consideratione actuali alicuis obiecti. In quo etiam consentiunt communiter Theologi; & ratio est: nam iste habitus, quamvis supernaturalis, convenit naturæ humanæ Christi secundum modum eius connaturalem; sed modus connaturalis naturæ humanæ est, non esse necessariò cum aliquo actu cognitionis coniunctam, sed quandoque esse in potentia, & quandoque in actu, inter quæ extrema medius est habitus: ergo, &c. Quæ ratio potest aliter explicari: nam habitus scientiæ infusæ, esto supernaturalis, fuit voluntati humanæ Christi quantum ad vsum subiectus: ergo, &c. Antecedens probatur. Primo: nam habitus charitatis supernaturalis est; & tamen in statu viæ subditur voluntati nostræ quantum ad vsum: ergo, &c. Secundò: nam habitus iste convenit animæ Christi secundum proportionem cum habitibus naturalibus quantum ad modum; hæc enim proportio non obstat illius supernaturalitati; sed habitus naturales subduntur voluntati quantum ad vsum: ergo habitus scientiæ infusæ fuit voluntati Christi quantum ad vsum subiectus; & consequenter non fuit necessario semper in actuali cognitione alicuius obiecti.

26 His positis, quod examen desiderat, est: An Christus per scientiam infusam omnia illius obiecta cognoverit, vel simul, vel successivè; & an sine interruptione illa semper vsus fuerit? Inquo, omissis aliorum placitis, duplicem conclusionem statuit Ill. Godoy, & aliam duplicem pro veriori sententia proponemus.

27 1. *Conclusio* Prima conclusio: *Christus Dominus non solum de potentia Dei absoluta potuit omnia obiecta scientiæ per se infusæ simul cognoscere; verum etiam illa de facto simul consideravit.* Hæc conclusio quoad secundam partem est contra Ill. Godoy *num.* 132. & (ni fallor) nec ipse, nec alius nobis opponeretur, si ipse, vel alius assignaret pro obiectis scientiæ per se infusæ ea, quæ nos assignamus. Et quia probata manet prima pars conclusionis, secunda probata, hæc probatur: ad excellentiam Christi spectat, quod simul cognoscat per proprias species Deum, eius attributa, Trinitatem, & Incarnationem; sed hæc tantum sunt obiecta scientiæ per se infusæ: ergo Christus de facto simul cognovit omnia obiecta scientiæ per se infusæ. Consequentia est legitima. Minor patet ex dictis *disp.* 35. *num.* 53.

2. *Pars est contra Ill. Godoy.*

28 *Probatur maior.* Maior probatur: nullum est inconveniens, quod Christus habeat simul duplicem actum scientiæ per se infusæ; sed vt simul cognoscat per proprias species Deum, eius attributa, Trinitatem, & Incarnationem, duplex tantum actus requiritur: ergo ad excellentiam Christi spectat, quod simul cognoscat per proprias species Deum, eius attributa, Trinitatem, & Incarnationem. Maior videtur certa. Probatur minor: ad duo obiecta cognoscenda duplex tantum actus requiritur; sed Deus, eius attributa, Trinitas, & Incarnatio, sunt duo obiecta: ergo vt simul cognoscat per proprias species Deum, eius attributa, Trinitatem, & Incarnationem, duplex tantum actus requiritur. Probatur minor: Deus, eius attributa, & Trinitas est vnum obiectum; sed Incarnatio est aliud: ergo sunt duo obiecta. Minor cum consequentia tenet. Maior patet: nam Deus, eius attributa, & Trinitas vnico actu cognoscuntur.

29 *Arguit Ill. Godoy.* Contra hanc secundam partem nostræ conclusionis arguit Ill. Godoy *num.* 134: obiecta scientiæ per se infusæ simul de facto non cognovit Christus per vnum actum, nec per plures: ergo nullo modo illa simul cognovit. Antecedens pro prima parte constat; nam in communi Theologorum sententia, paucis exceptis, species scientiæ infusæ animæ Christi inservientes sunt plures, & in sententia D. Thomæ *artic.* 6. in maiori numero, quam species naturales Angelicæ; sed quæ per plures species repræsentantur, non vno, sed pluribus actibus cognoscuntur, saltim secluso miraculo, & attentis rerum naturis: ergo non fuerunt simul cognita per vnicum actum. Pro secunda parte etiam probatur: nam esto sit possibile de potentia absoluta intellectum plura obiecta per plures actus non ordinatos cognoscere, id tamen non est possibile attentis natu-

Probat. 2. pars.

ris

ris rerum, & sine magno miraculo; sed nulla est necessitas, quod rerum naturæ invertantur in hoc casu, nec confugiendi ad miraculum, vt Christus omnia extrà Verbum simul de facto cognoscat: ergo sine fundamento adstruitur in anima Christi Domini omnium simultanea cognitio.

30 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum nego secundam partem antecedentis, ad cuius probationem distinguo maiorem: esto sit possibile de potentia absoluta, intellectum plura obiecta per plures actus non ordinatos cognoscere, id non est possibile, attentis naturis rerū, & sine magno miraculo, si in ly *plura* includantur obiecta infinita cathegorematicè, vel syncathegorematicè omitto maiorem; si ly *plura* reducatur ad duo tantū obiecta nego maiorem; & concessa minori de obiectis scientiæ per se infusæ, nego consequentiā. Itaque licèt verum sit, quod Christus de facto simul non cognoscat omnia obiecta, ad quæ in opinione Ill. God. (de qua *disput.* 35.) & aliorum etiam Scotistarum (de quorum opinione diximus *num.* 17.) se extendit scientia per se infusa; falsum tamen est, quod simul non cognoscat obiecta, ad quæ in nostra sententia se extendit scientia per se infusa; cum hęc tantum sint duo, vt manet ostensum.

31 Vndè, si loquatur de obiectis, quæ Christus cognovit per scientiam per se infusam, & infussam per accidens, & quæ declaravimus *disp.* 35. *num.* 52. & 53. verum est, quod ea simul non cognovit Christus, ob rationem ab Ill. God. traditam, & ob alias ab aliquibus Scotistis adductas, quo in sensu intelligendus est Scotus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. §. *ad quæst.* vers. *Quod si alicui.* Et per hoc patet: oppositionem in conclusione oriri tantum ex oppositione obiectorum, ad scientiam per se infusam spectantium.

32 *Conclusio* Secunda conclusio: *Christus de facto toto vitæ suæ tempore in actibus scientiæ per se infusæ sine interruptione se exercuit.* In hac conclusione convenit Ill. Godoy *num.* 144. *Probatur.* Et probatur: quia hæc non interruptio extollit excellētiam Christi, & aliàs non apparet aliquod inconveniens in hac continuatione, & perseverantia: ergo Christo est concedenda. *Confirmatur.* Confirmatur: habitus scientiæ per actum secundum perficitur, scientiaque ad actum reducta perfectior est se ipsa, vt solum in actu primo; atqui possibile fuit, scientiam per sē infussam animæ Christi, esse semper cum actuali operatione coniunctam, & simul cum omni suo obiecto in actu secundo coniungi, vt ex prima liquet conclusione: ergo Christo est concedendum; ipsi namquè attribuere debemus, quod perfectius est, si non occurrit inconveniens.

Ratione autem cuiusdam corollarij, quod tradit Ill. Godoy *num.* 154. in dubium vertitur: An scientia infusa animæ Christi fuerit perfectior scientia Angelorum? Communis Thomistarum sententia est: scientiam per se infussam Christi quoad certitudinem, & claritatem cognitionis, & quoad numerum obiectorum fuisse præstantiorem scientia per se infusa Angelorum; imperfectiorem verò quoad modum cognoscendi, seu ex parte specierum, eo, quod Angeli intelligant per species vniversaliores, vt ait Ill. Godoy *num.* 154. 33 *De comparatione scientiæ per se infussæ Christi cum simili Angelorum scientia.*

Cœterum opposita sententia communior est inter Theologos, quam probat Scotus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 4: nā sicut possibile fuit, animam Christi habere summam gratiam, ita possibile fuit, habere perfectissimas species intelligibiles; sed quod est possibile, si perfectionem dicit, tribuendum est animæ Christi: ergo animæ Christi fuerunt infussæ species perfectiores; & consequentèr scientia per se infusa Christo, quoad modum cognoscendi, seu ex parte specierum, perfectior fuit scientia per se Angelis infusa. Ratio autem huius perfectionis sumitur ex entitate specierum, eo, quod sint principia cognitionis clarioris, & certioris, quam species Angelorum. 34

Arguit Ill. Godoy *num.* 154: scientia infusa animæ Christi, esto supernaturalis sit, fuit tamen in modo operandi conformis modo naturali intelligendi animę rationalis; sed animę rationali, vt naturali modo intelligenti, etiam in statu separationis, debentur species impressæ in minori vniversalitate, quam Angelis: ergo etiam illi, vt supernaturalitèr intelligēti per habitum scientiæ infussæ respondent species minus vniversales illis, quæ infunduntur Angelis. Minor cum consequentia tenet. Maior à D. Thoma supponitur, & potest probari: nàm illa conformitas in modo operandi cum 35 *Arguit Ill. Godoy.*

modo naturali intelligendi animę rationalis non repugnat conceptui supernaturalitatis, cui solum opponitur, quod à natura exigatur; sed Deus in elevando naturam ad ordinem supernaturalem se conformat cum natura, omni conformitate possibili, non opposita supernaturalitati: ergo scientia infusa Christi est conformis, & proportionata in modo operandi cum modo naturali intelligendi animæ rationalis.

36 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum negando suppositum minoris; supponit namque, quod possit vna, & eadem species, plura, ac disparata obiecta repræsentare, quod est falsum; quia vt arguit Doctor *in 2. dist. 3. quæst. 10.* cum vnitas speciei essentialiter dependeat ex vnitate obiecti, nec plures quidditates disparatæ in eadem re creata perfectè contineri possint, sequitur necessario, quod species sint multiplicandæ ad multiplicationem quidditatum, & quod maior, vel minor perfectio speciei non est desumenda ex maiori, aut minori vniversalitate in repræsentando, sed ex perfectiori modo representandi quoad claritatem, & distinctionem.

37 *Replicabis cũ doctrina Ill. Godoy.* Replicabis tamen cum doctrina Ill. Godoy: species debent commensurari cum naturis; sed natura humana Christi est imperfectior Angelica: ergo Christus habuit species Angelicis imperfectiores. Atqui hoc nequit esse verum, nisi sint species vniversaliores in repręsentando: ergo verum est suppositum, & consequenter ruit nostra solutio.

38 *Respond. 1.* Respondeo primò negando maiorem: quia species potius debent commensurari cum obiectis, quæ repræsentant, quam cum naturis, quas informant. *Respond. 2.* Respondeo secundò, omissa maiori, distinguendo minorem: natura humana Christi nudè sumpta est imperfectior Angelica concedo minorem; vt vnita Verbo nego minorem; ex quo retorqueo primò: species dantur Angelis, & Christo iuxta proportionem naturarum: ergo vt eadem proportio servetur, cognitio, & lumen ipsis dantur iuxta proportionem naturarum, quod negant Thomistæ ex dictis *num. 33.* *Retorq. 1.*

Retorqueo secundo: gratia, & gloria non fuit Christo, & Angelis communicata iuxta proportionem naturarum: ergo nec species. Antecedens est certum; alioquin sicut natura humana Christi est Angelica inferior, ita inferiorem gratiam, & gloriam habuisset, quod est contra omnes. Consequentia est paritate rationis; nam ratio antecedentis, scilicet, vnio hypostatica, vel alia qnæcumque, est etiam consequentiæ ratio. Et hæc de ista *disput.* applicanda litteræ Magistri *in 3.* vbi disputationes proximè præcedentes. 39 *Retorq. 2.* *Mag. Sent.*

Pro complemento tractatus disputandum restabat de scientia per se acquisibili, quam fuisse in anima Christi *disp. 32.* docuimus. Qualiter in illa fuerit, An per infusionem à Deo? An verò proprijs actibus ab anima Christi acquisita? In quo duplex è regione opposita versatur sententia. Prima docens, proprijs actibus, & successiu temporis fuisse ab anima Christi acquisitam. Hanc tenet Ill. Godoy *num. 157.* se citans pro illius defensione ad *disp. 24. §. 3. & seqq.* Secunda docens, fuisse animæ Christi infusam in primo instanti suæ conceptionis. Hæc est probabilior sententia, cui adhæreo, & pro cuius defensione videantur dicta *disp. 32. num. 34. & 35.* ad amplius enim nos non cogit Ill. Godoy in hoc tomo. 40 *De Scientia per se acquisibili diversæ sententiæ.*

***

Et hæc de secundo tomo in 3. sententiarum, correctioni Ecclesiæ subiecta, in laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Virginis Matris sub titulis Immaculatæ Conceptionis, & à Filio desolatæ, Petri Apostolorum Principis, Beatissimi P.N. Francisci, & Subtilis Magistri, cui si quid disonum inveniatur assertum, libentissimè rectractamus.

Finis tom. 2. in 3. sent. & quinti nostri operis.

IN-

INDEX LOCVPLENTISSIMVS RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN HOC SECUNDO TOMO IN TERTIUM LIBRUM Sententiarum Scoti continentur.

D. *vel* Disp. *Disputationem significat.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem designat.*

A

ACCIDENS.

Accidens potest Deo hypostaticè vniri mediatè. *Disp.18.num.40.*

Accidens duplicem respectum dicit ad subiectum. *Ibidem.*

Accidens relativum nequit immediatè à Verbo assumi. *Num.41.*

Accidens absolutum potest vniri immediatè cum Divina subsistentia. *Num.43.*

Accidens non potest subsistere per subsistentiam creatam sub ratione subsistentiæ; benè verò sub ratione substantantis. *Num.70.*

Accidens nequit immediatè vniri cum Divina existentia. *Num.93.*

Accidens methaphysicum est, quod alteri accidit, eique vnitur per accidentalem inhærentiam. *Disp.20. num.180.*

Accidens est triplex. Physicum, methaphysicum, & logicum, eorumque explicationes. *Disput.31. num.88.*

ADAMVS.

Adamus fuit membrum Christi. *Disp.29. num.35.*

Adamus est caput omnium descendentium quo ad contractionem peccati originalis. *Num.40.*

Adamus non est caput omnium malorum, vt peccantium personaliter. *Ibidem.*

ANGELVS.

Angeli sunt membra Christi, in quantum Dei. *Disp.29. num.30.*

Angeli sunt membra Christi, in quantum hominis, secundum dignitatem, & influxum imperij, & exterioris guvernationis. *Num.31.*

ANTI-CHRISTVS.

Anti-Christus aliqua ratione est caput omnium perditorum. *Disp.29. num.38.*

Anti-Christus est membrum Diaboli. *Ibidem.*

AXIOMATA.

Verbum numquam dimisit, quod semel assumpsit. Disp.18. num.23. 100. 109. & 186.

Qui non potest ad minus, non potest ad magis. numer.29.

Talia sunt subiecta, qualia permituntur ab eorum prædicatis. Disp.20. num.65.

Quando quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto. Disp.20. num.143. Disp.28. num.12.

In materia naturali ab indefinita valet ad vniversalem. Disp.20. num.143.

Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio etiam est causa negationis. Disp.21. num.47.

Nemo dat, quod non habet. num.158.

Quandocumque aliqua ratio communis ex suo conceptu formali importat aliquid, illud habet in inferioribus, in quibus verè reperitur illa ratio communis. Num.161.

Quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu. Disp.27. num.28.

Quod cedit in excellentiam Christi, est Christo concedendum, si nullum est inconveniens. Disput. 29. num.11. 17. Disp.31. num.98. Disp.32. num. 32. Disp.34. num.57.

Deus punit damnatos citra condignum. Disput. 29. num.17.

Opera ad extra sunt toti Trinitati communia. Disp. 30. num.6.

Concesso antecedenti, in illatione, vt verò, conceditur consequentia illativè vera. Disp.31. num.47.

Quidquid Deus potest facere mediis causis secundis, causantibus in genere causæ efficientis, potest se solo facere. Num.78.

Inter actum, & obiectum non requiritur entitativa proportio. Disp.33. num.42.

Cognoscibilitas sequitur ad entitatem. Num.54.

Quando ad aliquem effectum plura concurrunt, licèt vnum sit infinitum, si aliud finitum est, effectus non est infinitus. Num.58.

Cognitio semper deficit ab entitate obiecti in essendo. Disp. 34. num. 97.
Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas infinitam requirit perfectionem. Num. 98. & seqq.
Inter speciem, & obiectum non debet esse proportio entitativa. Disp. 36. num. 24. & 25.
Ab obiecto, & potentia paritur notitia. Num. 28. Disp. 37. num. 1.
Vnum obiectum non producit speciem alterius. Disp. 36. num. 30.
Deus ad extra liberè agit. Ibidem.
Inter potentiam naturaliter intellectivam, & obiectum intelligibile requiritur proportio entitativa. Num. 31.
Oportet, intelligentem phantasmata speculari. Disp. 37. num. 15.
Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Ibidem.

B

BEATITVDO. BEATVS.

Beati sunt Christi membra. *Disp. 29. num. 2.*
Beatitudo affert necessariò delectationem, & inamisibilitatem. *Disp. 32. num. 5. & 7.*
Beati non vident creaturas in Essentia Diuina, tanquam in obiecto prius cognito, nec tanquam in causa illorum, sed tanquam in specie impressa, illas repræsentante. *Disp. 34. num. 2.*
Beatitudo Christi est maior beatitudine possibili cuiuslibet creaturæ de lege ordinaria; non autem de potentia absoluta. *Num. 134.*

C

CAVSA.

Causa vnivoca totalis adæquatur in perfectione cum suo effectu. *Disp. 34. num. 86.*
Causa æquivoca totalis semper excedit effectum in perfectione. *Ibidem.*

CHARITAS.

Charitas fertur in Deum, quatenus est bonus in se, & propter se, sive absens sit, sive præsens. *Disp. 24. num. 52.*

CAPVT.

Caput est naturale, & misticum. *Disp. 28. num. 3.*
Caput naturale respectu membrorum est prius, perfectius, & causativum. *Ibidem.*
Caput misticum dicitur tale per analogiam ad caput naturale. *Ibidem.*

CHRISTVS.

Christus est creatura, est propositio vera in rigore, & proprietate sermonis. *Disp. 20. num. 197.*
Christus incepit esse, est propositio vera in rigore, & proprietate sermonis. *Num. 213. cum seqq.*
Christus habuit gratiam habitualem. *Disp. 21. n. 1.*
Christus à primo suæ conceptionis instanti fuit Sanctus. *Ibidem.*
Christus habuit omnes virtutes per se infusas; per se acquisibiles, morales, & theologicas; quæ cum statu beatifico, & vnione hypostatica non repugnant. *Disp. 24.*
Christus habuit omnia dona Spiritus Sancti. *Disp. 25. num. 1.*
Christus habuit summam gratiam habitualem. *Disput. 27.*
Christus est caput Ecclesiæ. *Disput. 28. numer. 4. & sequentibus.*
Christus est membrum Ecclesiæ; vt habentis pro capite Deum. *Num. 12. & 13.*
Christus secundum animam, & secundum corpus est caput Ecclesiæ. *Num. 19. & 20.*
Christus est caput omnium Iustorum, sive prædestinati sint; sive reprobi. *Disp. 29. num. 3.*
Christus est caput actu omnium fidelium, etiam in peccato mortali existentium, imperfectè tantum, & secundum quid. *Num 4. & 6.*
Christus est caput saltim in potentia omnium hominum, dum viuunt in hac vita. *Num. 7.*
Christus est caput actu infidelium omnium. *Numer. 10. & seqq.*
Christus est caput actu damnatorum. *Num. 17.*
Christus, vt Deus, est caput Angelorum. *Num. 30.*
Christus, in quantum homo, est caput Angelorum secundum dignitatem, & influxum imperij, & exterioris gubernationis. *Num. 31.*
Christus, vt homo, fuit caput primorum Parentum. *Num. 35.*
Christus, vt homo, est caput omnis creaturæ naturalis. *Num. 36.*
Christus à primo conceptionis instanti habuit scientiam beatam. *Disp. 32. num. 2.*
Christus habuit scientiam in proprio genere. *Numer. 8.*
Christus habuit scientiam per se infusam supernaturalem. *Num. 17.*
Christus, nec quoad species, nec quoad habitum, habuit scientiam naturalem per se infusam. *Numer. 28.*
Christus habuit à primo suæ conceptionis instanti scientiam naturalem per accidens infusam, quoad species, & quoad habitum. *Numer. 32. & sequentibus.*
Christus habuit scientiam per se acquisibilem, vel ex genere suo acquisitam. *Num. 44.*
Christus habuit intellectum, seu habitum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem. *Num. 51.*
Christus habuit per accidens infusos habitus per se acquisibiles. *Num. 52.*
Christus habuit habitus per se infusos scientificos, realiter distinctos ab speciebus per se infusis. *Ibidem.*
Christus cognovit, non solum omnia prædicata, quæ formaliter competunt Deo, verum etiam aliquas creaturas possibiles existentes, præteritas, & futuras. *Disp. 34. num. 3.*
Christus cognovit in Essentia Diuina omnes

creaturas posſibiles ex vi viſionis eſſentiæ, dato, quod hic in Divina eſſentia illas videat. *Num.9. cum ſeqq.*

Chriſtus cognovit in Verbo omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, nempè futura, exiſtentia, & præterita. *Num.128.*

Chriſtus per beatificam viſionem cognovit contingentes negationes omnium rerum poſsibilium etiam in particulari, & etiam negationes neceſſarias. *Num.130.*

Chriſtus per ſcientiam beatam cognovit omnia, quæ Deus ſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. *Num.131.*

Chriſtus videt eſſentiam Divinam clariùs qualibet creatura. *Num.132.*

Chriſtus habet beatitudinem maiorem beatitudine cuiuslibet creaturæ poſsibili de lege ordinaria, non autem de potentia abſoluta. *Numer. 134.*

Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam non cognovit ea, quæ poſſunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognoſci. *Diſp.35. num.4.*

Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam non cognovit quidditativè dona ſupernaturalia, quæ ſunt de facto producta. *Numer. 14.*

Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam non cognovit occultas cordium cogitationes, nec futura libera contingentia. *Numer. 25.*

Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam non cognovit poſsibilia. *Num.37.*

Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem per accidens infuſſam cognovit omnia, quæ poſſunt ab homine per virtutem intellectus agentis cognoſci; tùm omnia dona ſupernaturalia, quæ de facto ſunt producta; tùm cogitationes cordium; tùm futura libera contingentia, dato quòd ſint ſpecie cognoſcibilia; tùm denique collectionem omnium poſsibilium. *N.52.*

Chriſtus per ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſſam cognovit Deum, eius attributa, Miſterium Trinitatis, & Incarnationis, in quantum Verbum Divinum terminat naturam humanam Chriſti Domini. *Num.53.*

Chriſtus cognovit per ſcientiam ſupernaturalem infuſſam Dei Eſſentiam quidditativè abſtractivè. *Diſp.36. num.2. & ſeqq.*

Chriſtus cognovit Deum, vt Vnum, & vt Trinum, per ſpeciem per ſe infuſſam, ipſum immediatè quo *ad an eſt* repræſentantem. *Num.42.*

Chriſtus per ſcientiam infuſſam cognovit evidenter quo *ad an eſt* Deum auctorem ſupernaturalem, provt vnum, & in effectibus ſupernaturalibus; non autem in naturalibus. *Num.43.*

Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſſam ſupernaturalem in nullo effectu, adhuc ſupernaturali, cognovit Deum, vt Trinum, evidenter quo *ad an eſt*. Num.44.

Præter ſpecies per ſe infuſſas fuit in intellectu Chriſti habitus elevans potentiam. *Diſput. 37. numer.3.*

Chriſtus potuit vti ſcientia per ſe infuſſa, diſcurrendo. *Num.12. & 13.*

Chriſtus potuit vti habitu ſcientiæ infuſſæ cum converſione ad Phantaſmata, vt importat puram concomitantiam cognitionis infuſſæ cum actu Phantaſiæ. *Num.19.*

Chriſtus potuit, & non debuit, intelligere per habitum ſcientiæ infuſſæ cum converſione ad Phantaſmata. *Num.21. 22. & 23.*

Chriſtus non fuit neceſſariò in actuali conſideratione omnium obiectorum ſcientiæ per ſe infuſſæ, imo nec alicuius. *Num.24.*

Chriſtus non ſolum de potentia abſoluta potuit omnia obiecta ſcientiæ per ſe infuſſæ ſimul cognoſcere, verum etiam illa de facto ſimul conſiderávit. *Num.27. & ſeqq.*

Chriſtus de facto toto tempore vitæ ſuæ in actibus ſcientiæ per ſe infuſſæ ſine interruptione ſe exercuit. *Num.32.*

Chriſtus habuit ſcientiam infuſſam perfectiorem ſcientia infuſſa Angelorum. *Num.34.*

Chriſtus à primo ſuæ conceptionis inſtanti habuit ſcientiam per ſe adquiſibilem, per accidens infuſſam. *Num.40.*

COGNITIO.

Cognitio ſemper deficit ab entitate obiecti in eſſendo. *Diſp.34. num.97.*

Cognitio intuitiva, & abſtractiva in quo diſtinguantur. *Diſp.36. num.37.*

COMPREHENSIO.

Comprehenſio triplicitèr accipitèr, eorumque explicatio. *Diſp.33. num.1. 2. & 3.*

Ad comprehenſionem riguroſam duo requiruntur. *Num.4.*

Comprehenſio debet eſſe cognitio certa, evidens, & intuitiva. *Num.7.*

Comprehenſio eſt nobiliſsima cognitio. *Ibidem.*

Ad comprehenſionem ſufficit (ſuppoſita adæquatione ex parte modi cognoſcendi) cognoſcere omnia prædicata quidditativa rei. *Numer.11. & ſeqq.*

Comprehenſio eſt adæquata obiecti cognitio, non ſolum quoad prædicata quidditativa, verum etiam quoad modum cognoſcendi. *N.29.*

CONTINENTIA.

Continentia virtualis eſt, quando aliquid continetur in alio eiuſdem perfectionis virtualis cum illo. *Diſp.34. num.112.*

Continentia eminentialis eſt, quando aliquid continetur in alio, illud in perfectione excedente. *Ibidem.*

CREATIO.

Creari duplicitèr capitur. *Diſp.20. num.195.*

D

DAMNATVS.

Damnati sunt membra actu Christi. *Disput.* 29. *numer.* 17.

DELECTATIO.

Delectatio consequitur beatitudinem. *Disput.* 32. *numer.* 5.
Delectatio tempore mortis Christi fuit impedita ex speciali Dei providentia. *Num.* 7.

DEVS. DEITAS.

Deus factus est homo, est propositio vera in rigore, & proprietate. *Disp.* 20. *num.* 1.
Deus est homo, est propositio per se, & in materia necessaria, methaphysicè loquendo; logicè autem loquendo, est propositio per accidens, & in materia contingenti. *Num.* 179. *cum seqq.*
Deus est homo, est propositio vera, & formalis. *Numer.* 183.
Deus non fuit vnitus cum humanitate sub conceptu absoluto communi tribus personis. *Disp.* 21. *num.* 172.
Deus sub conceptu absoluto communi tribus personis potuit vniri cum humanitate. *N.* 173.
Deitas non sanctificat formaliter humanitatem Christi. *Num.* 174. *cum seqq.*
Deus est à creatura incomprehensibilis. *Disp.* 33. *numer.* 53.
Deum esse à creatura incomprehensibilem, non est de fide. *Num.* 93. *& seqq.*
Deum esse à creatura incomprehensibilem, est ita certum, vt oppositum, non solum sit temerarium, verum etiam erroneum, aut saltim errori proximum. *Num.* 130.
Deus se non supercomprehendit. *Num.* 131.
Solus Deus se comprehendit. *Ibidem.*
Deus est incomprehensibilis à quacumque creatura de potentia absoluta factibili. *Num.* 132.
Deus est incomprehensibilis loco, tempore, intelligentia, & amore, quorum explicatio. *Numer.* 133.

DIABOLVS.

Diabolus est omnium malorum aliqua ratione caput. *Disp.* 29. *num.* 37.

DISCRETIO SPIRITVVM.

Discretio spirituum consistit in cognitione occultarum cogitationum cordis. Ad quid deserviat, & esse gratiam gratis datam. *Disput.* 25. *numer.* 90. *& 94.*

E

EXISTENTIA.

Existentia creata non distinguitur realiter ab essentia. *Disp.* 18. *num.* 93.

EVTROPELIA.

Eutropelia est virtus, quæ versatur circa locos, & Ludos, non tantum vt exercendos, sed etiam vt contemnendos. *Disp.* 24. *num.* 8.
Eutropelia fuit in Christo Domino. *Ibidem.*

F

FIDELES.

Fideles sunt membra Christi secundum animam, & corpus. *Disp.* 28. *num.* 20.
Fideles in peccato mortali existentes sunt membra Christi; non tamen perfectè, & simpliciter. *Disp.* 29. *num.* 4. 5. *&* 6.

FIDES.

Fides, nec quoad actum, nec quoad habitum, fuit in Christo Domino. *Disp.* 24. *num.* 18. *&* 19.
Obiectum primarium fidei est res Divina non visa. *Num.* 31.
Fides humana non fuit in Christo Domino. *Numer.* 62.
Fides, vt est gratia gratis data, explicatur. *Disp.* 25. *numer.* 92.

FORMA.

Forma corruptibilis, & materialis separata à materia nequit vniri cum Divina existentia, nec ad Divinam subsistentiam assumi. *Disput.* 18. *num.* 143. *& sequentibus.*

G

GRATIA.

Gratiam habitualem fuisse in anima Christi, sub nomine saltim doni creati permanentis, est immediatè de fide. *Disp.* 22. *num.* 2. *& seqq.*
Gratiam habitualem sub his terminis *gratiæ habitualis* fuisse in anima Christi, est ita certum, vt oppositum sit saltim temerarium. *Num.* 13.
Gratia habitualis fuit in anima Christi à primo suæ conceptionis instanti. *Num.* 14.
Gratia in omni intensione possibili de lege ordinaria fuit infusa animæ Christi à primo suæ conceptionis instanti. *Num.* 15.
Gratia habitualis fuit necessaria in Christo ad merendum modo connaturali. *Disp.* 23. *num.* 3.
Gratia habitualis non fuit ita necessaria in Christo ad merendum, vt non posset sine illa de potentia Dei absoluta mereri. *Num.* 4.
Gratia supernaturalis auxilians fuit necessaria in Christo ad merendum præmium supernaturale. *Numer.* 5.
Gratia habitualis fuit necessaria in Christo, ad esse formaliter Sanctum. *Num.* 6.
Gratia habitualis ordinatur in bonum habentis. *Disp.* 25. *num.* 89.
Gratia gratis data est donum, quod datur homini primo, & per se, vt reddatur potens operari, vel cooperari saluti aliorum. *Ibidem.*
Gratia gratis data ordinatur in bonum aliorum, habitualis verò in bonum habentis. *Ibid.*

Gratiæ gratis datæ sunt novem. *Num.*90.
Gratia sanitatum est gratia gratis data, & quid, vt talis gratia, significet. *Num.*90. & 93.
Gratia linguarum est gratia gratis data, & quid significet. *Num.*90. & 94.
Gratiæ gratis datæ (gratia sanitatum, & operatione virtutum exceptis) includunt, vel denotant necessariò externum Sermonem. *Num.*94.
Gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo Domino. *Num.*95.
Gratia habitualis quadruplicitèr potest accipi. *Disp.*26. *num.*1.
Gratia habitualis Christi non est simplicitèr infinita in esse entis. *Ibidem.*
Gratia habitualis Christi non est simplicitèr infinita in esse qualitatis. *Num.*2.
Gratia habitualis Christi in esse qualitatis esset infinitæ intensionis actu, si qualitas sic infinita non repugnaret. *Num.*3.
Gratia habitualis Christi in esse moris non est simplicitèr infinita. *Num.*4.
Gratia habitualis Christi non est infinitæ intensionis cathegorematicè. *Num.*6. & *seqq.*
Gratia habitualis non educitur de potentia obedientiali animæ; sed habet esse per creationem. *Num.*23.
Gratia habitualis Christi non potest dici physicè in ratione gratiæ infinita. *Num.*28. & *seqq.*
Gratia habitualis in Christo non fuit aucta, nec augeri potuit de lege ordinaria. *Disput.*27. *num.*1.
Gratia habitualis Christi fuit summa, & omnium maxima. *Num.*2.
Si gratia Christi habitualis potuisset augeri, Christus, in quantum homo, diceretur sanctior absolutè. *Num.*3.
Gratia Christi habitualis non potuit de potentia Dei absoluta esse maior intensivè. *Num.*10. & *sequentibus.*
Gratia Christi habitualis fuit plena plenitudine omnimoda, & rigurosa, quæ plenitudo est Christo propria. *Num.*47.
Gratia habitualis Christi non est formalitèr gratia capitis, sed congruentèr tantum. *Disp.*28. *num.*24. & *seqq.*
Gratia capitis in Christo consistit in denominatione, seu relatione rationis. *Ibidem.*
Gratia capitis adæquatè, & in recto fundamentaliter consistit in gratia vnionis, & habituali. *Num.*39.
Si gratia habitualis est formalitèr gratia capitis, vnio etiam hypostatica est formalitèr talis gratia. *Ibidem.*
Gratia capitis potuit de potentia Dei absoluta communicari puræ creaturæ. *Num.*58.
Gratia capitis non sola ratione à gratia personali differt. *Num.*59.
Gratia habitualis non fuit gratia vnionis prior tanquam dispositio prævia, necessario illam inducens. *Disp.*30. *num.*2.
Gratia Christi habitualis est eiusdem speciei cum nostra. *Ibidem.*
Gratia habitualis in Christo non fuit prior gratia vnionis, tanquam medium necessitatis ad illam. *Num.*3.
Gratia habitualis non consequitur ad gratiam vnionis consecutione essentiali. *Num.*4.
Gratia habitualis non consequitur ad gratiam vnionis efficienter physicè, vera, & propria efficientia. *Num.*5.
Gratia habitualis habet esse per creationem. *Ibidem.*
Gratia habitualis à tota Trinitate indivisè procedit. *Num.*6.
Gratia habitualis non fuit dispositio prævia, nec physica, nec moralis ad gratiam substantialem vnionis. *Num.*7.
Gratia habitualis in Christo non consequitur ad gratiam vnionis physicè dimanativè, vt propria illius passio. *Num.*8.
Gratia habitualis non est propriè connaturalis humanitati Christi, seu Christo, vt homini. *Num.*11.
Gratia habitualis potest dici connaturalis humanitati Christi, seu Christo, vt homini, quatenus debito congruentiæ propter vnionem hypostaticam fuit debita humanitati Christi collatio summæ gratiæ. *Ibidem.*
Gratia habitualis non potuit de potentia absoluta esse dispositio physica ad vnionem hypostaticam. *Num.*13.
Gratia habitualis non potuit de potentia Dei disponere moraliter ad vnionem hypostaticam. *Num.*15.

H

HABITVS.

Habitus potest stare cum repugnantia obiecti primarij illius. *Disp.*24. *num.*15. & *seqq.*
Habitus stare potest, si circa obiectum secundarium possit operari. *Num.*17.
Habitus est superfluus, quando nunquam eliciturus est actum. *Num.*19. *Disp.*25. *num.*9.
Habitus scientiæ per se infusæ inclinat ad cognoscendum Deum abstractivè. *Disp.*37. *num.*6.
Habitus scientiæ per se infusæ distinguitur à lumine gloriæ realitèr. *Ibidem.*
Habitus scientiæ per se infusæ est vnicus. *Num.*7.

HOMO.

Homo factus est Deus, est vera propositio in rigore sermonis. *Disp.*20.
Homo licèt ex natura sua supponat pro supposito, potest à prædicato determinari, vt supponat pro individuo. *Num.*64. & *seqq.*
Homo est Deus, est propositio per se, & in materia necessaria, methaphysicè loquendo; logicè autem, est propositio per accidens, & in materia contingenti. *Num.*179. & *seqq.*

Homo est Deus, est propositio vera, & formalis. *Num.*183.
Homines ad quinque status reducuntur, nempè, Beati; Viatores iusti; Pecatores fideles; Infideles, & Damnati. *Disp.*29. *num.*1.
Homines omnes, dùm vivunt in hac vita, sunt, membra Christi, saltim in potentia. *Num.*7.

HVMANITAS.

Humanitas Christi non exitit existentia Verbi, sed propria gaudet existentia. *Disp.*18. *num.*93.
Humanitas Christi non sanctificatur formalitèr per aliquod donum substantiale, à gratia habituali distinctum. *Disp.*21. *num.*14. *& seqq.*
Humanitas Christi non sanctificatur formalitèr per vnionem hypostaticam ex ratione vnionis. *Num.*139.
Humanitas Christi non sanctificatur formalitèr per personalitatem Divinam sub conceptu expresso personalitatis. *Num.*157.
Humanitas Christi non fuit vnita cum Deo sub conceptu absoluto communi tribus personis. *Num.*172.
Humanitas Christi potuit vniri cum Deo sub conceptu absoluto communi tribus personis. *Num.*173.
Humanitas Christi non sanctificatur formalitèr per Deitatem. *Num.*174. *& seqq.*
Humanitas Christi fuit Sancta per gratiam habitualem. *Disp.*22. *num.*1.
Humanitatem Christi fuisse Sanctam per gratiam habitualem, sub nomine doni creati permanentis, est de fide immediatè. *Num.*2. *& sequentibus.*
Humanitatem Christi fuisse Sanctam per gratiam habitualem sub his terminis *gratiæ habitualis*, est ita certum, vt oppositum sit temerarium. *Num.*13.

I

INDECENTIA.

Alia est negativa, & alia positiva, & vtraque explicatur. *Disp.*18. *num.*34.

INFIDELIS.

Infideles, sivè baptizati, sivè non, sivè occulti, sivè publici, sunt actu membra Christi. *Disput.*29. *num.*10. *& sequentibus.*

INTELLECTVS.

Intellectus est proprietas naturæ intellectualis. *Disp.*31. *num.*1.
Intellectus Christi creatus non videt de facto Divinam essentiam per visionem increatam. *Numer.*2. *& seqq.*
Si intellectus Christi Domini intellexisset intellectione increata, Deum de facto comprehendisset. *Num.*9. *& seqq.*
Intellectus Christi Domini nequit intelligere per increatam Dei cognitionem. *Num.*75. *& seqq.*
Dato, quod non implicet, quod intellectus creatus Divina intellectione sit sapiens, Intellectus Christi Domini de facto per illam intellexit. *Num.*98. *& seqq.*
Intellectus Christi Domini de facto intellexit intellectione creata, per quam non intelligeret, si per increatam intellectionem intellexisset. *Num.*103. *& seqq.*
Intellectus Christi Domini non comprehendit de facto Divinam essentiam, nec potuit de potentia absolura. *Disp.*33. *num.*32.
Intellectus pro hoc statu dependet à phantasmatibus. *Disp.*37. *num.*15.
Intellectum pro hoc statu dependere à phantasmatibus, oritur ex peccato Adæ. *Num.*16.

INTERPRÆTATIO SERMONVM.

Interprætatio sermonum est gratia gratis data, & quid sit. *Disp.*25. *num.*90. *& 94.*

IVSTVS.

Omnes Iusti, sivè prædestinati sint, sivè reprobi, sunt membra Christi. *Disp.*29. *num.*3.

IVSTITIA.

Iustitia vindicativa habet duos actus. *Disput.*24 *numer.*7.
Iustitia vindicativa quoad vtrumque actum fuit in Christo Domino. *Ibidem.*

L

LIBERALITAS.

Liberalitas versatur erga divitias, non solum illas distribuendo, sed etiam illas contemnendo. *Disp.*24. *num.*6.
Liberalitas fuit in Christo Domino. *Ibidem.*

LVMEN.

Lumen gloriæ est habitus inclinans ad videndum Deum intuitivè, & beatificativè. *Disput.* 37. *num.* 6.
Lumen gloriæ est habitus scientiæ matutinæ. *Ibidem.*
Lumen gloriæ solum reperitur in beatis. *Ibidem.*
Lumen gloriæ distinguitur realitèr ab habitu scientiæ per se infusæ. *Ibidem.*

M

MAGNIFICENTIA.

Magnificentia versatur erga divitias, non solum illas distribuendo, sed etiam illas contemnendo. *Disp.*24. *num.*6.
Magnificentia fuit in Christo. *Ibidem.*

MATERIA PRIMA.

Materia prima habet propriam existentiam. *Disp.* 18. *num.*140.
Materia prima sine forma nequit assumi ad Divinam subsistentiam. *Num.*141.
Materia prima non habet propriam subsistentiam. *Num.*141. *& 142.*

N

NATVRA.

Naturæ aceptiones explicantur. *Disp.*18. *num.*1.

Natura in rigore ſtat pro natura ſubſtantiali completa. *Ibidem.*

Natura largè abſtrahit à natura ſubſtantiali, accidentali, completa, & incompleta. *Ibidem.*

Natura ſubſtantialis completa dividitur in purè ſpiritualem, purè corporalem, & ex vtraque mixtam, & quales ſint. *Ibidem.*

Natura humana eſt aſſumptibilis; & aſſumpta fuit à Verbo in vnitatem ſuppoſiti. *Num.*2.

Natura Angelica eſt aſſumptibilis à Verbo. *Numer.*4.

Natura Angelica in ordine ad aſſumptionem excedit in congruentia dignitatis naturam humanam; hæc autem excedit Angelicam in congruentia vniverſalitatis; & neceſsitatis. *Num.*10. 11. 12. & 13.

Natura irrationalis completa poteſt de Potentia Dei abſoluta vniri hypoſtaticè Deo, & ab ipſo aſſumi in vnitatem ſuppoſiti. *Num.*17.

Natura irrationalis, ſi eſſet à Verbo aſſumpta, eſſet Sancta Sanctitate in ordine ad cultum, & reverentiam, & ſi non in ordine ad beatitudinem. *Numer.*32.

Natura humana non eſt magis aſſumptibilis à Verbo qualibet alia natura. *Num.*37.

Natura creata, propria perſonalitate retenta, nequit de potentia Dei abſoluta perſonari perſonalitate Divina. *Diſput.*19. *num.*8.

O

OMNIPOTENTIA.

Omnipotentia continet creaturas per infinitum exceſſum. *Diſput.*34. *numer.*4.

OPERATIO.

Operatio virtutum eſt gratia gratis data, & quid, vt talis gratia, ſignificet. *Diſp.*25. *num.*93.

P

PARS.

Pars eſſentialis non habet propriam ſubſiſtentiam. *Diſp.*18. *num.*111. & *ſeqq.*141. & 142.

PERSONA. PERSONALITAS.

Perſona ſolum diſtinguitur à ſuppoſito pœnes naturam, quam connotat. *Diſp.*18. *num.*35.

Perſona Divina habet rationem perſonæ, ſuppoſiti, ſubſiſtentiæ, & termini ſuſtentantis. *Numer.* 40.

Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia. *Num.*115.

Perſonalitas Verbi ſub expreſſo conceptu perſonalitatis non ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti. *Diſp.*21. *num.*157.

PIA AFFECTIO.

Pia affectio eſt actus voluntatis, qua quis vult credere. *Diſp.*24. *num.*58.

Pia affectio, quæ eſt quædam virtus, fuit in Chriſto Domino. *Ibidem.*

PHILOTYMIA.

Philotymia eſt virtus inclinans ad parvos honores acceptandos. *Diſp.*24. *num.*9.

Philotymia fuit in Chriſto Domino. *Ibidem.*

POENITENTIA.

Pœnitentia non eſt virtus diſtincta à iuſtitia vindicativa *Diſp.*24. *num.*10.

Pœnitentia non exigit, quod peccatum ſit commiſſum à pœnitente. *Ibidem.*

Pœnitentia, quæ eſt virtus moralis, fuit in Chriſto. *Num.*11.

PROPHETIA.

Prophetia conſiſtit in revelatione, & infallibili cognitione eorum, quæ longè diſtant à cognitione hominum. A quo ſumat originem, & eſſe gratiam gratis datam. *Diſp.*25. *num.*94.

S

SANGVIS.

Sanguis fuit immediatè Verbo vnitus. *Diſp.* 18. *Num.*171.

Sanguis ſpectat ad conſtitutionem naturę humanæ. *Num.*175.

Reliquiæ aliquæ ſanguinis Chriſti remanſerunt in terra poſt eius reſurrectionem. *Num.*184.

Sanguis in terra relictus non manet vnitus Verbo. *Num.*185.

SANCTITAS.

Sanctitas eſt triplex. Prima eſt neceſſaria, ſubſtantialis, & prorſus infinita, vt eſt Divina ad ipſum Deum. Secunda eſt ſubſtantialis, & infinita; ad finitum verò terminata, vt eſt vnio hypoſtatica. Tertia eſt accidentalis, vt gratia habitualis. *Diſp.*21. *num.*2. 3. & 4.

Sanctitas ſecunda, à tertia tripliciter differt. *N.*5.

Sanctitas eſt duplex. Vna propria Iuſtorum. Alia in ordine ad cultum, & quæ ſint. *Num.*7.

Sanctitas in ordine ad beatitudinem eſt duplex. Vna radicalis, & alia formalis. *Num.*8.

SAPIENTIA.

Sapientia eſt cognitio, quam ex fidei principijs diſcurſu, & ratione deducimus. *Diſp.*25. *num.*91

Sapientia conſiderat res Divinas, & ſupernaturales. *Ibidem.*

Sapientia dupliciter conſideratur, & quomodo ſit donum Spiritus Sancti, & quomodo gratia gratis data. *Ibidem.*

SCIENTIA.

Scientia eſt cognitio, quam ex fidei principijs diſcurſu, & ratione deducimus. *Diſp.*25. *num.*91

Scien-

Scientia considerat res humanas, & naturales. *Ibidem.*
Scientia dupliciter consideratur, & quomodo sit donum Spiritus Sancti, & quomodo sit gratia gratis data. *Ibidem.*
Scientia in proprio genere est scientia per proprias rerum species. *Disp.32.num.8.*
Scientia in proprio genere, est duplex. Vna adquisita, & alia per se infusa. *Num.10.*
Scientia adquisita est, quæ proprio labore adquiritur ministerio intellectus agentis. *Ibidem.*
Scientia adquisita dicitur per accidens infusa, quando species ad illam deserviens infunditur à Deo. *Ibidem.*
Scientia per se infusa, est illa, cuius species intelligibiles nequeunt proprio labore adquiri. *Ibidem. Disp.35. numer.5.*
Scientia per se adquisibilis est, quæ licèt aliquando de facto per accidens à Deo infundatur, per se tamen petit, vt conaturaliter fiat, nostris actibus adquiri. *Disp.32. num.42.*
Scientia adquisita est, quæ oritur ab specie, quam intellectus propria virtute adquirit. *Num.43.*
Scientia per se adquisibilis, & adquisita dividitur in intuitivam, & abstractivam, eorumque explicationes. *Ibidem.*
Scientia per se infusa reperitur in viatoribus. *Disp.37. num.6.*
Scientia per se infusa non est discursiva quoad acquisitionem. *Numer.10.*
Scientia per se infusa non fuit ex natura sua discursiva. *Num.11.*
Scientia per se infusa potest deservire ad discursum. *Num.12.*
Scientia infusa Christo fuit perfectior scientia infusa Angelis. *Num.34.*
Scientia per se adquisibilis fuit infusa Christo à primo suæ conceptionis instanti. *Num.40.*

SPECIES.

Species intelligibiles, seu impressæ, aliæ sunt per se infusæ, & aliæ per accidens. *Disp.32.num.11.*
Species per se infusæ sunt, quæ à nulla creatura creata, vel creabili adquiri valent. *Ibidem.*
Species per accidens infusæ sunt per se adquisibiles. *Num.13.*
Species est virtus derivata ab obiecto, & ad producendum actum ordinata. *Disp.36.num.11.*
Species impressa potius cum actu eliciendo, quam cum obiecto, debet proportionari. *Ibidem.*
Species non debet habere eundem gradum immaterialitatis cum obiecto. *Num.21. & seqq.*
Species non debet proportionari cum obiecto entitativè. *Num.24.*
Species impressa intelligibilis habet modum permanentis, & ab obiecto in conservari non dependet. *Num.38.*
Species sensuum externorum sunt transitoriæ, & ab obiecto dependent infieri, & conservari. *Ibidem.*
Species intelligibiles deserviunt ad notitiam abstractivam. *Num.39.*
Species sensuum externorum deserviunt ad notitiam intuitivam. *Ibidem.*
Species obiectorum scientiæ per se infusæ sunt supernaturales quoad substantiam. *Disput.37. numer.2.*

SPES.

Spes quoad habitum fuit in Christo Domino. *Disp.24.num.21. & seqq.*
Obiectum primarium spei est res Divina non possessa. *Num.31.*
Actus proprius spei fuit in Christo. *Num.33.*
Actus spei circa gloriam animæ non fuit in Christo. *Num.34.*
Actus spei circa gloriam corporis, & nominis exaltationem, fuit in Christo Domino. *N.36.*
Actus spei circa gloriam corporis est eiusdem speciei in Christo, & viatoribus. *Numer.45. & sequentibus.*
Spes fertur in Deum, vt bonum nostrum, sivè absens, sivè præsens sit. *Num.51. & 52.*
Actus spei circa gloriam corporis procedit ab habitu supernaturali, non charitatis, sed spei. *Num.54. & 55.*

SVBSISTENTIA.

Subsistentia duo dicit, scilicèt, subtentare, & supponitare. *Disp.18. num.70.*
Subsistentia est incommunicabilitas vt *quo* per modum formæ totius alteri vt actui per se substantialitèr completivo. *Num.114.*
Subsistentia triplicitèr sumitèr, eorumque explicationes. *Num.123.*
Subsistentia partialis non datur. *Num.146.*

SVPPOSITVM.

Suppositum differt solum à persona pœnes naturam, quam connotat. *Disp.18. num.35.*
Suppositum est individua substantia naturæ substantialis. *Num.115.*

T

TIMOR.

Timor est triplex, eorumque explicationes. *Disp.25. num.3.*
Timor mundanus non fuit in Christo; benè verò timor sumptus pro passione appetitus. *Ibidem.*
Timor, sumptus pro affectu voluntatis, est duplex, servilis, & filialis, eorumque explicationes. *Ibidem.*
Timor filialis duo habet obiecta. 1. est potestas, & maiestas Dei. 2. est malum. *Num.4.*
Timor filialis habet duos actus. 1. est subiectio reverentialis ad Deum, qui dicitur actus prosecutionis. 2. est fuga à malo, & dicitur actus fugæ. *Ibidem.*
Timor quoad habitum, & aliquem actum, reperitur in Christo Domino. *Num.6. & seqq.*

Timor quoad actum reverentialem fuit in Christo Domino. *Num.*20.
Timor quoad actum fugæ à malo non fuit in Christo Domino. *Num.*29.
Actus primarius doni timoris non est fuga mali culpæ, sed subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, non absolutè inspectam, sed vt facientem mirabilia. *Num.*72.

V

VERBVM.

Verbum Divinum potuit assumere naturam Angelicam. *Disp.*18. *num.*4.
Potuit etiam assumere naturam irrationalem. *Num.*17.
Non potuit assumere immediatè accidens relativum. *Num.*41.
Verbum Divinum immediatè assumpsit, assumptione sustentationis, partes essentiales humanitatis, v.g. corpus, & animam; non verò assumptione per modum personationis. *Num.*105.
Verbum Divinum priùs assumpsit partes, quam naturam, assumptione sustentationis; assumptione verò personationis, priùs naturam, quam partes, & consequentèr quælibet pars essentialis humanitatis fuit Verbo vnita, vnione distincta ab vnione, qua humanitas fuit vnita Verbo. *Num.*130. *& seqq.*
Verbum Divinum non potuit assumere materiam primam sine forma substantiali, ad illam reddendam subsistentem. *Num.*141.
Verbum Divinum assumpsit immediatè sanguinem. *Num.*171.
Verbum Divinum assumpsit immediatè choleram, phlegma, & melancholiam. *Num.*177.
Verbum non retinet vnionem sanguinis in terra relicti. *Num.*185.
Verbum Divinum immediatè assumpsit dentes, vngues, & capillos. *Num.*187.
Hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, est vera in rigore sermonis. *Disp.*20.
Si Verbum Divinum naturam irrationalem assumeret, illam non sanctificaret. *Disput.*21. *num.* 248. *&* 249.

VISIO.

Visio beata non dicit ordinem transcendentalem ad Deum, vt Trinum, adhuc vt obiectum. *Disp.*36. *num.*50.

VNIO.

Vnio ad personam est triplex, eorumque explicationes. *Disp.*18. *num.*98.

VNIO HYPOSTATICA.

Vnio hypostatica est forma sanctificans in ordine ad cultum, & reverentiam; non verò in ordine ad beatitudinem. *Disp.*18. *num.*32.
Si vnio hypostatica esset forma sanctificans in ordine ad beatitudinem, sanctificare esset effectus secundarius illius. *Num.*33.
Vnio hypostatica ex sua ratione formali non est forma sanctificans. *Disp.*21. *num.*139.
Vnio hypostatica non est conditio requisita ad sanctitatem. *Num.*140.
Vnio hypostatica non est gratia capitis formaliter, sed solum congruentialiter. *Disp.*28. *num.*38

VIRTVS.

Virtutes per se infusæ fuerunt in anima Christi Domini à primo suæ conceptionis instanti in summa intensione de lege ordinaria possibili. *Disp.*24. *num.*1.
Virtutes naturales, & per se adquisibiles, fuerunt in anima Christi Domini. *Num.*2.
Virtutes omnes morales per se adquisibiles fuerunt in Christo à primo suæ conceptionis instanti per accidens infusæ. *Num.*3.
Virtutes per se adquisibiles fuerunt in Christo à primo conceptionis instanti cum omni intensione possibili de lege ordinaria. *Num.*4.
Virtutes prædictæ fuerunt in Christo necessariæ, vt promptè, & formaliter eliceret actus illarum. *Num.*5.

LAUS DEO.

Timor quoad actum reverentialem fuit in Christo Domino. *Num.* 20.

Timor quoad actum *ratione* à malo non fuit in Christo Domino. *Num.* 9.

Actus primarius doni timoris non est fuga mali culpæ, sed subiectio reverentialis ad Deum ob Divinam eminentiam, non absolutè inspectam, sed vt facientem mirabilia. *Num.* 71.

V

VERBVM.

Verbum Divinum potuit assumere naturam Angelicam. *Disp.* 18. *num.* 4.

Potuit etiam assumere naturam irrationalem. *Num.* 17.

Non potuit assumere immediatè accidens relativum. *Num.* 41.

Verbum Divinum immediatè assumpsit assumptione sustentationis, partes essentiales humanitatis, v. g. corpus, & animam; non verò assumptione per modum personationis. *Num.* 105.

Verbum Divinum prius assumpsit partes, quam naturam, assumptione sustentationis; assumptione verò personationis, prius naturam, quam partes, & consequenter quælibet pars essentialis humanitatis fuit Verbo vnita, vnione distincta ab vnione, qua humanitas fuit vnita Verbo. *Num.* 130. *& seqq.*

Verbum Divinum non potuit assumere materiam primam sine forma substantiali, ad illam reddendam subsistentem. *Num.* 141.

Verbum Divinum assumpsit immediatè sanguinem. *Num.* 171.

Verbum Divinum assumpsit immediatè choleram phlegma, & melancholiam. *Num.* 177.

Verbum non retinet vniones sanguinis in terra relicti. *Num.* 185.

Verbum Divinum immediatè assumpsit dentes, vngues, & capillos. *Num.* 187.

Hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, est verè in rigore ferarum. *Disp.* 20.

Si Verbum Divinum naturam irrationalem assumeret, illam non sanctificaret. *Disp.* 21. *num.* 148. *& seqq.*

VISIO.

Visio beata non dicit ordinem transcendentalem ad Deum, vt Primum, adhuc vt obiectum. *Disp.* 36. *num.* 50.

VNIO.

Vnio ad personam est triplex, eorumque explicationes. *Disp.* 18. *num.* 98.

VNIO HYPOSTATICA.

Vnio hypostatica est forma sanctificans in ordine ad cultum, & reverentiam; non verò in ordine ad beatitudinem. *Disp.* 18. *num.* 32.

Si vnio hypostatica esset forma sanctificans in ordine ad beatitudinem, sanctificare esset effectus secundarius illius. *Num.* 33.

Vnio hypostatica ex sua ratione formali non est forma sanctificans. *Disp.* 21. *num.* 139.

Vnio hypostatica non est conditio requisita ad sanctitatem. *Num.* 140.

Vnio hypostatica non est gratia capitis formaliter, sed solum congruentialiter. *Disp.* 28. *num.* 18.

VIRTVS.

Virtutes per se infusæ fuerunt in anima Christi Domini à primo suæ conceptionis instanti in summa intensione de lege ordinaria possibili. *Disp.* 24. *num.* 1.

Virtutes naturales, & per se adquisibiles, fuerunt in anima Christi Domini. *Num.* 2.

Virtutes omnes morales per se adquisibiles fuerunt in Christo à primo suæ conceptionis instanti per accidens infusæ. *Num.* 3.

Virtutes per se adquisibiles fuerunt in Christo à primo conceptionis instanti cum omni intensione possibili de lege ordinaria. *Num.* 4.

Virtutes prædictæ fuerunt in Christo necessariæ, vt promptè, & formaliter eliceret actus illarum. *Num.* 5.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

LAUS DEO.

despachese manda m.to con audienzia y termi
de tres dias como por esta Peticion se pide con
su ynsercion Probeyolo el S.r lizdo D. Pedro can
tero de Contreras Probisor Jeneral deste obispado
en Vll.d a 4 de quatro de febrero de mil y 4 d
setenta y seis años =

Ger.mo Sanz de la guerra Em.e de fr. Juan Guillen presidente
del Conuento de los Santos orden de san Agustin Zerca de la villa de
Villanueba = Digo que Ysauel gonçalez V.a de dho auto
encomendo se dixesen en dho Conuento por el anima
de su marido cinquenta missas y se an dho y testa
duuiendo a dho Conuento cien R.s de la limosna dellas y
aunque se le a pedido a la suso dha los pague no lo aqui
rido hacer = a V.md pido y suplico mande despa
char contra la suso dha sum.to con graues penas y
zensuras para que lo pague pido &.a &.a

Guerra

El Mro. a sido de poner en execon los autos de Vmd.
no a tenido efecto a causa de sus muchas ocupaciones =
a Vmd. pido y suplico mande suspender a mi parte las cen
suras por aora y que se despachen contra el dho
Fran.co diez Carrasco para que pague la dha cantidad
cometiendo su notificacion a la persona que Vmd. fuere
servido de nombrar imponiendole censuras agra
badas para que lo execute siendo con el que
rido pido &a

Guerra

Por presentada y despachese mandamiento con audiencia
como por esta peticion se pide contra Fran.co diez
Carrasco vecino de Simancas con termino de tres dias y en
quanto a la suspension de censuras pedida por esta
parte por aora no a lugar probeyolo el Lizdo
D. Pedro Cantero de Contreras Provisor General deste
obispado en Vlla. a catorze de febrero de mil y seis.tos y se
tenta y seis años =

1.142